
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

REGNERI à MANSVELT

Philoſophiæ, dum viveret, Doctoris & Profeſſoris in Academia Trajectina

ADVERSUS ANONYMUM

THEOLOGO-POLITICUM

Liber Singularis,

In quo omnes & ſingulæ TRACTATUS THEOLOGICO-POLITICI Diſſertationes examinantur & refelluntur, cum præmiſſa diſquiſitione de Divina per Naturam, & Scripturam Revelatione.

OPUS POSTHUMUM.



AMSTELÆDAMI,

Apud ABRAHAMUM WOLFGANG Bibliopolam, Anno 1674.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

LECTOR BENEVOLE.

VIdes hic fœtum poſthumum Viri Clariſſimi & Acutiſſimi Regneri a Manſvelt, in inclyta Academia Trajectina Profeſſoris Philoſophiæ celeberrimi, qui in ipſo ætatis flore, cum multa præclara, præcipue in doctrina morali, moliretur, obiit. Cui ut pietate & orthodoxa religione nihil fuit prius & antiquius, ſic ejus cauſam agendam ſibi cenſuit acerrime. Id enim ei inprimis curæ fuit à teneris unguiculis, ut de rerum cauſſis & fidei capitibus rectè ſentiret, & Deum rite coleret, ac utriuſque rationes juventuti traderet. Non eſt ut alios teſtes tibi allegem quo animo & ſpiritu huic ſtudio, quamdiu in vivis fuit, ſemper incubuerit, cum hic ipſe liber, cui immortuus eſt, omnium teſtium ſit locupletiſſimus. Nam ut veritatem & religionem vindicaret, ne vitæ quidem ſuæ pepercit. Improbo enim labore, quem in divinarum & humanarum rerum indagatione, & eorum, qui arcem doctrinæ Chriſtianæ impugnarant, refutatione poſuit, videtur ejus valetudinem corrupiſſe. Quantum in hoc viro Theologia & Philoſophia detrimenti fecerint, & quantum ab ejus ingenio ſibi potuiſſent promittere, ſi fatorum vis ineluctabilis non interceſſiſſet, facile intelligent omnes, qui hunc librum evolvent: qui tamen limatior procul dubio prodiiſſet, ſi ultimam ei manum potuiſſet imponere. Quicunque tamen eum viderunt, & de hoc argumento rectè poſſunt exiſtimare, digniſſimum habuerunt, qui in omnium manibus verſaretur & viri & religionis cauſa, præcipue cum Manſveldius primus ſit & unicus, qui adhuc Anonymi iſtius Tractatum Theologico-Politicum, ut vocat, à capite ad calcem refellerit. Vale & beati laboribus fruere, & ſi quid in iis forte deprehenderis, quod minus tibi probetur, id & humanitati & morti acerbæ Viri Eximii adſcribe, injuriæ verò horum temporum, quibus jacent Muſæ, omneque Muſarum ininſtrumentum, quod tam tarde lucem adſpiciant, & tamdiu ſub prœlis ſudaverint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

INDEX CAPITUM.

Cap. I. *ERuitur, & examinatur Anonymi Scopus & Propoſitum.*

II. *De Divina Revelatione per Naturam, ſeu Philoſophia.*

III. *De Naturaliter revelatæ Cognitionis prima Corruptione, & reliquiis in Homine.*

IV. *De Divina Revelatione per Scripturam, ſeu Theologia.*

V. *De utroque modo Revelatæ Cognitionis Conſpiratione, Diſtinctione, & mutuo inter ſe Auxilio. Nec non de utriuſque confuſione, & inde ſecuta Corruptione.*

VI. *De Prophetia.*

VII. *De Prophetis.*

VIII. *De Hebræorum Vocatione. Et, An Donum Propheticum Hebræis peculiare fuerit?*

IX. *De Lege Divina.*

X. *De Ratione, cur Cæremoniæ inſtitutæ fuerint. Et de Fide Hiſtoriarum. Nempe qua ratione, & quibus ea neceſſaria ſit.*

XI. *De Miraculis.*

XII. *De Interpretatione Scripturæ.*

XIII. *In quo oſtenditur Pentateuchon, & libros Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, & Regum non eſſe Autographa. Deinde inquiritur, An eorum omnium Scriptores plures fuerint, an unus tantum? & quinam.*

XIV. *De iiſdem Libris alia inquiruntur, nempe, An Ezras iis ultimam manum impoſuerit? & deinde, Utrum notæ marginales, quæ in Hebræis Codicibus reperiuntur, variæ fuerint Lectiones?*

XV. *Reliqui V. T. Libri eodem modo, quo ſuperiores, examinantur.*

XVI. *Inquiritur, An Apoſtoli Epiſtolas ſuas, tanquam Apoſtoli & Prophetæ, An vero tanquam Doctores, ſcripſerint? Deinde Apoſtolorum officium oſtenditur.*

XVII. *De vero Legis Divinæ Syngrapho. Et qua ratione Scriptura Sacra vocatur. Et qua ratione Verbum Dei. Et denique oſtenditur, ipſam, quatenus Verbum Dei continet, incorruptam ad nos perveniſſe.*

XVIII. *Oſtenditur Scripturam non niſi ſimpliciſſima docere; Nec aliud præter obedientiam intendere: Nec de Divina Natura aliud docere, quam quod homines certa vivendi ratione imitari poſſunt.*

XIX. *Quid ſit fides. Quinam fideles. Fidei fundamenta determinantur. Et ipſa à Philoſophia tandem ſeparatur.*

XX. *Nec Theologiam Rationi, nec Rationem Theologiæ ancillari; Oſtenditur & Ratio, qua nobis Sacræ Scripturæ authoritatem perſuademus.*

XXI. *De Republicæ fundamentis, & Jure uniuſcujuſque Naturali & Civili: Deque ſummarum Poteſtatum Jure.*

XXII. *Oſtenditur neminem omnia in ſummam Poteſtatem, transferre poſſe: nec eſſe neceſſe. De Republica Hebræorum, qualis fuerit vivente Moſe. Qualis poſt ejus mortem, antequam Reges elegerint. Deque ejus præſtantia. Et denique de cauſis, cur Reſpublica Divina interire & vix abſque ſeditionibus ſubſiſtere potuerit.*

XXIII. *Ex Hebræorum Republica, & Hiſtoriis quædam dogmata Politica concluduntur.*

XXIV. *Oſtenditur jus circa Sacra penes ſummas Poteſtates omnino eſſe, & Religionis cultum externum Reipublicæ paci accommodari debere, ſi Deo recte obtemperare velimus.*

XXV. *Oſtenditur in libera Republica unicuique & ſentire, quæ velit, & quæ ſentit, dicere licere.*

REGNE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

REGNERI à MANSVELT
Philoſophiæ, dum viveret, Doctoris & Profeſſoris in Academia Trajectina

ADVERSUS ANONYMUM THEOLOGO-POLITICUM
Liber Singularis.

CAPUT PRIMUM.

Eruitur & Examinatur Anonymi Scopus & Propoſitum.

ANte plurimos annos & ſecula, diſputatum fuit in Eccleſia Chriſtiana, de uſu rationis in Theologia: præcipue cum multi ex Gentilibus Philoſophis, de Theologicis quibuſdam veritatibus convicti, Chriſtianam religionem ſuſciperent. Hi enim in Eccleſia vix recepti fuerunt, quin ex iis non pauci, Theologiam ſuis ratiociniis accommodare, & ſecundum Philoſophica, & obſcuratæ ac aberrantis ſuæ rationis dogmata, flectere conati fuerint. Aliis extra Eccleſiam, eandem ſophiſticis ſuis argutationibus, quantum poſſent, oppugnantibus. Verum tam iniquo Philoſophiæ in Theologiam dominio primi Eccleſiæ Doctores ſe magno animo & heroico auſu, feliciſſimo cum ſucceſſu oppoſuerunt. Quod abunde docent etiamnum extantia doctiſſima ſcripta Juſtini Martyris, Clementis Alexandrini, Athenagoræ, Theophili, Tertulliani, Arnobii, Minutii Felicis, Lactantii, aliorumque, qui ſimul & excellentes tunc erant Philoſophi, & Theologi doctiſſimi. Hi fortiſſime proſtrato & confutato gentilium errore, iniquiſſimo, quod erroneis ſuis ratiociniis concedebant in Scripturam, & univerſam inde petitam religionem Chriſtianam, dominio, legitimum & rationale oppoſuerunt Philoſophiæ Miniſterium. Sententiam ſuam ut plurimum exprimentes, emphatica illa Scripturæ formula, qua Sara

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Domina, de ſua ancilla Hagar, importunius ſeſe gerente, reſpondit, *Ejiciatur ancilla.* Qua nullo modo aſſerere voluerunt, adeo deprimendam eſſe Philoſophiam, & in ſervitutem agendam, ut ex ſe ipſa nihil poſſit, & tantum à Theologiæ nutu dependere debeat. Multo minus, natura notam veritatem, per Scripturam revelatæ cedere debere, tanquam magis certæ. Nam optime noverant eundem eſſe Deum qui per naturam & Scripturam hominibus veritatem dictat; & omnis generis veritates, ſine ſervitute, in maxima libertate, quam aptiſſime conſpirare. Nec non intime perſpexerant, recte adhibitæ rationis lumine plurimas patefieri veritates, Theologis cognitu utiliſſimas, & omnino neceſſarias; quemadmodum & in Scriptura Theologis revelantur, ex quibus Philoſophi non parvam poſſunt capere utilitatem. Ita ut quævis alterius conſiliis uti queat, & ſuo ordine ac loco abſque ſervili ſubjectione & miniſterio, mutuam ſibi invicem fœnerari utilitatem. Sed voluerunt ejiciendos eſſe Philoſophos; qui ex verbo divino demonſtratæ per Theologos veritati, & Spiritus S. in hoc aut illo Scripturæ loco, quo utuntur, probatæ menti, vanas ſuas opponunt ratiocinationes, & illam corrumpendo, his accommodant, iiſque pertinaciter adhærent, etiam poſt demonſtratum à Theologis, in auxilium vocato lumine rationis, errorum fontem. Idque ſummo jure. Nam eorum erroribus nulla vel Philoſophica vel Theologica veritas cedere debuit, vel ſubjici. Verum cum ſubſequentibus temporibus eandem vim à Scholaſticis pateretur veritas, primi Eccleſiæ Chriſtianæ reformatores Zwinglius, Lutherus, Melanthon, &c. primorum Eccleſiæ Patrum veſtigiis inſiſtentes, iiſdem armis eos debellarunt, & eadem formula clamarunt, *Ejiciatur ancilla.* Nam abſurdiſſimum hoc hominum genus, vaniſſimis ſuis ratiociniis, & phantaſticis ſpeculationibus, univerſam Scripturam, & inde hauſtam puriſſimam Theologiam adeo deteſtabili modo conſtupraverat & corruperat, ut conqueſtus fuerit Lutherus, *exulem factam fuiſſe veram & ſinceram Theologiam*, ac ſubſtitutam *falſam Scripturæ & Sacramentorum intelligentiam.* Quid enim aliud, quam monſtroſiſſimum illud Scholaſticæ Theologiæ monſtrum, & tam iniqua veritatis revelatæ, per corrupta ratiocinia, conſtupratione, generari potuiſſet? Quamdiu itaque, ad hæc uſque tempora, multis quidem rejectis, plurima tamen Scholaſticorum dogmata recepta fuerunt à variis Eccleſiæ Doctoribus, & Academiarum alumni, quaſi legibus quibuſdam, iis adſtricti fuerunt, nunquam hæc quæſtio diſputari non potuit. Cum vero Sociniani rationis uſum in Theologicis, non tantum mirum in modum, & ultra rationem omnem extenderent, ſed etiam ardentiſſime propugnarent, & multis argumentis Sophiſticis adſtruere niterentur: contra quam Scholaſtici, qui quamvis abſolutiſſimum rationi dominium concederent, nunquam tamen niſi ejus miniſterium propugnaverant, à mul-

tis,

tis, ut plurimum per Scholaſticos deceptis, adeo in oppoſitam partem diſceſſum fuit, ut, male intellecta Patrum & primorum Reformatorum illa formula, *Ejiciatur ancilla*, Philoſophos pro imperio coram Theologo tacere juſſerint, & Philoſophicas veritates cæca obedientia, non modo Theologiæ Dominæ cedere, ſed etiam quibuſvis Theologorum dictatis, ſubjici voluerint. Quæ non parva veritatis injuria, & in nobis reliqui divini luminis ſuffocatio eſt; ac veritatum per naturam & ſcripturam optime conſpirantium, temere & contra rationem ſuſcitata diſcordia. Verum recentioribus Philoſophis Chriſtianis, longe ſanius, quam Scholaſtici, philoſophantibus, & Theologiam à Philoſophia quam accuratiſſime diſcernentibus, ac utriuſque diverſiſſima agnoſcentibus principia, media plane aliena, & fines omnino diſtinctos; ſed tamen ab eodem Deo profluentia; & idcirco nullam admittentibus accommodationem hujus ad illam, aut illius ad hanc; ne aut hæc per illam, aut illa per hanc corrumperetur, quamvis utriuſque mutuum uſum non contemnendum admitterent, de novo prædicta quæſtio non agitari non potuit. Idque tanto magis, quanto diutius Philoſophica veritas, tam iniqua ſervitute adeo procul aberrantibus dominis, eadem pro inutili ancilla abutentibus, ſervire coacta fuerat. Præcipue nuperrimam occaſionem præbente Anonymo, qui de Sacræ Scripturæ interpretatione, non modo paradoxe, ſed etiam heterodoxe, ut à viris Doctiſſimis demonſtratum fuit, ſcripſit. Nam hic, inter recentiores illos Philoſophos ſaniores, nomen ſuum profeſſus, à quibus tamen, in hac cauſa, non minus quam cœlum à terra, diſtabat, ſummum, per injuriam, adverſus eos, in aliorum, Philoſophiam illam non ſatis, percipientium, animis, excitavit præjudicium; quaſi abſurdiſſima ejus dictata, ex illorum principiis profluerent; & contrarium clare demonſtrandi, laborem, viris Doctiſſimis, qui eundem pro veritate ſuſcipere dedignati non fuerunt, impoſuit. Hujus item veſtigia ſecutus eſt alter Anonymus, qui nuper, ſub eodem prætextu, ex denſiſſimis cerebri ſui tenebris in lucem edidit, *Tractatum*, ad æternas potius tenebras condemnandum, *Theologico-Politicum*, quaſi cum recentioribus Philoſophis demonſtraturus, quam neceſſario evitanda ſit omnis Theologiæ & Philoſophiæ miſtura. Cum interim non alium in finem editus videatur ille Tractatus, quam ut clariſſimo & ſplendidiſſimo veritatis lumini, per Patriam noſtram, tam ex Scriptura quam natura, ſub liberrimo & prudentiſſimo ſummarum poteſtatum regimine, divina gratia, clariſſime ſplendenti, craſſiſſimas nubes & tenebras obduceret. Alius fuerit Auctoris animus, hic eſt inſeparabilis hujus operis effectus, niſi omnis generis erronea ejus ratiocinia, manifeſtiſſime demonſtrentur. Hoc autem & veritati, & Patriæ pro modulo meo præſtare coëgit non modo publicum quod Patriæ Patres impoſuere munus, Philoſophicam veritatem omnibus vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ribus promovēndi & propagandi, verum etiam pietas quam Deo, veritati & Patriæ per naturam & ſcripturam debeo. Quis ſit Auctor hujus Tractatus, nec ſcio, nec ſcire deſidero; imo malim eum nunquam fuiſſe, quam extitiſſe, & noſci. Non ipſum tamen ſed ejus errores oppugnare, vel potius ad veritatis normam reducere, propoſui. Specioſa ſunt quæ prætendit & promittit, *Pietatem*; *Philoſophandi libertatem*; & *Reipublicæ pacem*, quibus nihil præferendum eſt. Quid enim majus in hac vita deſiderari poteſt, quam pie, cum libertate, in publica pace vitam tranſigere? Hæc defendere & propugnare, videri vult; & hunc ſolum in finem, *apprime*, ut inquit, *neceſſe fuit, indicare præcipua, tum circa Religionem, tum circa Summarum Poteſtatum jus, præjudicia*; *quandoquidem*, ut ait, *communi libertati omnino repugnat, liberum uniuſcujuſque judicium præjudiciis occupare, vel aliquo modo coërcere.* Imo quaſi divino Spiritu & impulſu hæc perſcripſiſſet, dictum illud Apoſtoli Johannis Epiſt. prima, capite quarto, commate tertio & decimo, nefandi ſui Tractatus fronti inſcripſit. *Per hoc cognoſcimus quod in Deo manemus, & Deus manet in nobis, quod de* Spiritu *ſuo dedit nobis.* Cum interim per omnem Tractatum ſuum ita ſe gerat, ut potius ab eodem mendacii ſpiritu, quo Achabi Prophetæ 1 Reg. 22: 22: 23. & Spiritu erroris ab Apoſtolo 1 Joh. 4: 6. oppoſito Spiritui veritatis, ductus videatur. Nam volente Deo, ſperamus nos apertiſſime demonſtraturos, quod abſurdiſſima confuſione Deum cum creatura, & ſpiritum cum corpore confundat; atque ita jam ab initio aberrans à veritatis tramite, Pietatem, quantum ab ullo fieri potuit, enervet. Pro Philoſophandi libertate, omnis generis errores fovendi, defendendi, & propagandi profanam licentiam propugnet. Et denique talia ſtruat fundamenta, quibus ſemel admiſſis, omnem reipublicæ pacem everti plane neceſſarium eſt. Non enim quæ vera ſunt præjudicia, ſed manifeſtas veritates circa Religionem & Scripturam, ac Summarum poteſtatum jus, apertiſſimo errore, tanquam præjudicia rejicit. Et videns, quantum à Sapientiſſimis probentur, Scholaſticorum dictatis, longe ſaniora recentiorum Philoſophorum dogmata, quæ ex principiis à Nobiliſſimo Renato Des-Cartes feliciſſime detectis, legitima methodo quotidie deteguntur, ſub eorum nomine, ineptiſſima & abſurdiſſima, ab omni veritate & pietate alieniſſima ſua ſomnia, ſubſtituit. Non parvo, ſed diabolico, artificio adſtruens Atheiſmum; quem tam nervoſe proſtravit, & fatentibus ipſis ejus adverſariis, heroico auſu, ſuperavit, idem ille Nobiliſſ. Carteſius. *Philoſophiam à Fide ſeparare*, quæ non poſtrema recentiorum Philoſophorum cura eſt, non tantum in titulo, ſed etiam per omnem ſuum Tractatum, præcipuum intentum dicit, & paſſim inculcat, *Philoſophandi libertatem ſalva pietate & Reipublicæ pace tolli non poſſe.* Quæ quanto magis ſpecioſa ſunt, tanto majori impetu nos ad eorum examen impulerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

lerunt. Præcipue ut inquireremus, quantum hæc inſana diſtent à maxime ſanis recentiorum Philoſophematibus, quibus hæc per imperitiam à nonnullis adſcribuntur & annumerantur. Ipſe ſcribendi cauſam enarraturus, maximam morum corruptionem cauſatur. *Miratus ſæpe fui*, inquit in Præfatione, *quod homines, qui ſe Chriſtianam Religionem profiteri jactant, hoc eſt, amorem, gaudium, pacem, continentiam, & erga omnes fidem, plus quam iniquo animo certarent, & acerbiſſimum invicem odium exercerent, ita ut facilius ex his, quam illis fides uniuſcujuſque noſcatur.* Imo jam dudum eo rem perveniſſe dicit, *ut neminem fere, quiſnam ſit, num ſcilicet Chriſtianus, Turca, Judæus vel Ethnicus, noſcere poſſis, niſi ex corporis externo habitu, & cultu, vel quod hanc, aut illam Eccleſiam frequentat, vel denique, quod huic, aut illi opinioni addictus eſt, & in verba alicujus Magiſtri jurare ſolet. Cæterum vita eadem omnibus eſt.* Quis non cum Poëta diceret

———— Felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt; habeat jam Roma pudorem,
Tertius è cœlo cecidit Cato.

Optime ſane! nullus enim, depravatos hominum, Chriſtianam Religionem ſe profiteri jactitantium, mores, quotidie videns, apertis faucibus ad raucedinem uſque non exclamat, pietatem & morum correctionem, inter eos, quibuſcunque præſcriptis à Deo mediis, ab omnibus promovendam & propugnandam eſſe. Petit hoc ipſa Chriſtiana Religio. Petunt omnes qui eam ex corde profitentur. Non enim ad Chriſtianam Religionem ſufficit, eam externo corporis habitu & cultu profiteri; vel eam profitentium cœtum & Eccleſiam frequentare; aut ore-tenus addictum eſſe eorum dogmatibus; multo minus in alicujus eorum Magiſtri verba jurare, & interim iniquo cum aliis certare animo, & acerbiſſimo flagrare odio; cæteriſque vitiis habenas laxare. Nec etiam ſufficit, ab Anonymo tanto labore adſtructa *fides pia*, ut inquit, *& non vera*, imo quæ *plurima* admittit *dogmata*, *quæ nec umbram veritatis habent* pag. 162. Non ſufficit illa *ſimplex*, quam introducit, etiam ex peſſimis erroribus natam, *obedientia*, pag. 154. &c. Non ſufficit *Magiſtratui* præ Deo præſtanda *ſubjectio*, aliaque plurima, per integrum hunc tractatum ubique diſperſa. Sed requiritur divina Chriſti & Chriſtianæ doctrinæ cognitio, per & ſecundum Scripturam comparata; ut & publica, privataque, tam ſolitaria, quam ſocia, tum verbis, tum omnibus cogitationibus & actionibus facta profeſſio. Ita ut prædicta vitia non ſint Religionis, ſed hominum eandem non recte profitentium: nec iis pateſiat, qualis ſit, quam temere jactant, & præ ſe ferunt, Religio, ut innuit Anonymus, ſed quantum ab ejus genuina profeſſione deficiant. Quare Anonymus omnino abſurde,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſub prætextu reſtituendæ profeſſionis, ipſam Chriſtianam Religionem fundi-tus evertere aggreditur. Major enim & continua requiſita fuiſſet ejuſdem im-preſſio, & coram omnium mentis oculis non interrupta ejus facta præſentia. Nam ſi continuo cogitarent homines, quomodo ſit profitenda Chriſtiana Re-ligio, maximum proculdubio vitiorum numerum evitarent; & non ſolo cor-poris habitu, ſed omnibus operibus à Turcis, Judæis, & Ethnicis, non mi-nus quam Oriens ab Occidente diſtarent. Imo vero jam tantum inter Chriſtia-nos dari defectum, quem longiſſime modum excedere fatemur, ut eadem, & in iiſdem vitiis, eorum vita ſit, cum Turcis & Ethnicis, abſque ſumma ta-men veriſſimæ Religionis Chriſtianæ, & multorum bonorum injuria dici poſſe non putamus. Contrarium fortiſſimis argumentis evinci poſſet ab iis qui inter utroſque vixerunt, & illorum barbariem ac nequitiam oculis perlu-ſtrarunt. Sed cum nos Chriſtianorum malitiam patrocinari minime velimus, & ineptiſſima hæc Anonymi comparatio parum admodum ad rem faciat, ean-dem ſuo loco relinquere propoſuimus. Hujus itaque corruptionis originem indagaturus Anonymus, *non dubitat, quin inde ortum fuerit* hoc malum, *quod Eccleſiæ miniſteria, dignitates, & ejus officia beneficia æſtimare, & paſtores ſummo honore habere, vulgo Religioni ſit.* Verum ab una parte dubitari ne-quit, quin digniſſima ſint Eccleſiæ Miniſteria. Πιστὸς ὁ λόγος, inquit Pau-lus, 1 Tim. 3 : 1. εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. *Firmus*, certus & fide-lis, ſeu cui quis tuto credat, *hic eſt ſermo, ſi quis Epiſcopatum*, vel quodvis aliud in Eccleſia miniſterium, *expetit* vel deſiderat, pulchrum, egregium, ſeu *bonum opus deſiderat.* Et idcirco non ſine beneficio cuiquam tale miniſte-rium obtingit. Et qui id obtinet, propter id ipſum ſuo honore dignus eſt; præcipue ſi eo legitime fungatur: Οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες, βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται. *Nam qui bene monſtraverint, bonum ſibi ipſis acquirunt gradum*, ad honores & exiſtimationem in Eccleſia Dei, 1 Tim. 3. 13. Imo Οἱ καλῶς προεστῶτες διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, *qui bene præſunt duplici honore digni habeantur*, inquit Apoſtolus, 1 Tim. 5. 17. muneris ſcilicet, & bonæ ejuſdem adminiſtrationis. Sed etiam ab altera parte negari non poteſt, quin ex eo, quod multi, peſſimo errore, hæc miniſteria conſideraverint, tanquam δόξας *dignitates*, quas A-poſtoli Judas commate octavo, & Petrus Epiſtolæ ſecundæ, capite ſecundo, commate decimo, etiam dicunt κυριότητας, *dominationes*; atque ita pro mi-niſtris, qui eſſent τύποι τοῦ ποιμνίου *exemplaria gregis*, & ſuſceperint & admi-niſtraverint κατακυριεύοντες *dominantes* 1 Pet. 5. 3. ac eoſdem poſtea non habuerint tanquam ἐργάτας *operarios* à Domino in meſſem ſuam miſſos, Matt. 9: 37. 38. Sed tanquam αἰσχροκερδῶς *turpis lucri gratia* paſcentes 1 Pet. 5: 2. nec non tantum iis præbuerint honorem, ut abſque ulla inquiſitione, ſolis eo-rum, ſæpiſſime peſſimorum hominum, verbis adhæſerint, & illi hoc admi-

ſerint,

ſerint, & ex depravato dominandi ſtudio flagitaverint, inter plurimos qui Chriſtianam religionem profiteri ſe jactitant, plurima profluxerint mala. Imo hinc factum, ut inter eos *antiquæ religionis nihil* fere *manſerit præter ejus externum cultum* (*quo*, ut inquit Anonymus, *vulgus Deum magis adulari quam adorare videtur*) *& quod fides*, inter eos, *jam nihil aliud ſit*, *quam credulitas & præjudicia*, eaque talia, *quæ homines ex rationalibus brutos reddunt*, *utpote quæ omnino impediunt*, *quo minus unuſquiſque libero ſuo judicio utatur*, *& verum à falſo dignoſcat*, *& veluti ad lumen intellectus penitus extinguendum data opera excogitata videntur.* Ad quam eandem abſurditatem, quantumcunque eam deteſtetur, omnes ſed alia tantum via, ſeducere voluit Anonymus, nam ut ſecundum ipſum, *quis ſe juſtum & pium præſtare poſſit*, *in omnibus ſe ſummis poteſtatibus*, quibus cap. 16. pag. 185. conceſſerat, *nullo repugnante jure civili vel naturali*, *Deo*, *ſi vellent*, *obedientiam denegare*, ita ſubjicere tenetur, ut etiam *ſæpe contra id quod bonum* & juſtum *judicat*, *ac palam ſentit*, *agere debeat.* Sed quid hæc ad Religionem Chriſtianam, quæ hæc omnia, tanquam abſurdiſſima vitia reprehendit, & homines de iis convincit; & quantum divina gratia poteſt, ab iis deducit; imo cui hæc omnia directe adverſantur. Nulla hæc admittit rectæ rationi contraria, ſed divina, & rationem tranſcendentia, à Deo revelata, *myſteria.* Non hæc *rationem prorſus contemnit & abnegat*, ſed tanquam illuſtriſſimum donum divinum, quamvis hominum malitia non parum corruptum, ſupponit, & in auxilium vocat. Imo etiam non niſi cum ratione credit & admittit ea quæ Rationem humanam longe ſuperant, & à Deo revelata, per rationem ex Scriptura cognoſcuntur & creduntur. Ita ut hic abſurdiſſimus homo, hæc non niſi ſumma cum abſurditate, *abſurda arcana* dicere poſſit. Corruptum agnoſcit intellectum humanum, & privatum ea perfectione quam olim obtinebat Adamus, ſed amiſſum vel tanquam inutile rejiciendum, aut adeo diminutum ut vel nihil intelligat, vel de iis quæ intelligit nullam poſſit habere certitudinem, nunquam aſſeruit Chriſtiana religio, ſed irrationalis Scepticorum & Atheorum fluctuans profanitas. Cum tamen infinitam Dei perfectionem comprehendere nequeat, eum rejicit, ne ſit menſura vel norma, ſecundum quam feratur judicium, de iis, quæ nobis in Scriptura manifeſte ſunt revelata myſteria: hunc jure merito ſummum exiſtimans intellectus humani abuſum, & inexorabili odio proſequens. Nec idcirco in Religione Chriſtiana *divinum*, ut ſomniat Anonymus, *creduntur habere lumen*, *qui* omnem *rejiciunt intellectum*, *& rationem contemnunt*: ſed qui ſua ratione, tam in iis quæ natura, quam quæ revelatione cognoſcuntur, divina quadam virtute, ſuperne gratioſe conceſſa, ſupra omnes alios, recte utuntur. Multi quidem Chriſtianorum, varios ſuos errores, in quos per Ariſtotelicorum & Plato-

nico-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nicorum ſpeculationes inciderant, iis, quæ tam in Natura quam Scriptura revelata ſunt, permiſcuerunt: ſed illi hominum non Religionis errores ſunt. Et illi ipſi ab aliis, etiam de iis convicti fuerunt, & convincuntur quotidie. Verum ex Chriſtiana Religione non niſi ſimiles gentilium ſpeculationes doceri, quibus, ut inquit, *ne gentiles ſectari viderentur, Scripturam accommodaverunt*, aperta calumnia eſt, quam nunquam probabit homo impudentiſſimus. Præterea multi quidem aliquando verum Scripturæ ſenſum eruituri, præſupponunt, ipſam ubique veracem & divinam eſſe: ſed id non ſemper faciunt. Inter Chriſtianos id probatum admittentes, nihil eſt quod ulterius probetur. Aliis id negantibus, & quibus Chriſtianam Religionem probare nituntur, manifeſtiſſimis argumentis id probant. Ita ut non niſi per atrociſſimam calumniam dici poſſit, Chriſtianos *non tam Scripturam credere, quam aſſentari*. Perpenſis his, ut putat, juſtiſſimis ſcribendi cauſis, & eorum origine perſpecta, *ſedulo*, inquit, *ſtatui, Scripturam de novo integro & libero animo examinare, & nihil de eadem affirmare, nihilque tanquam ejus doctrinam admittere, quod ab eadem clariſſime non edocerer*. Optime profecto! conditionem accipimus. Sed nec ſolus is eſt, nec primus, qui hanc rationem iniit. Omnium Chriſtianorum hoc munus eſt, & viris doctiſſimis familiariſſimum, ac notiſſimum, & omnibus qui de Chriſtiana Religione ſeſe convictos non ſentiunt, aut alios convincere volunt, maxime neceſſarium. Nihil enim de ſcriptura docet Chriſtiana Religio, quod non ſit veritati conforme. Multas quidem tenebras ſuffundere conatur hic Auctor, ſed à quovis, integro & libero animo examinante, facillime diſpelluntur. Ut ex ſequentibus, ſpero, luce meridiana clarius patebit. *Hac igitur cautione*, inquit, *quærere ante omnia incepi, quid eſſet Prophetia, & qua ratione Deus Prophetis ſeſe revelaverit*, &c. Atque ita porro narrat, quid in hoc ſuo tractatu præſtiterit. Quam recte, volente Deo, ſingula libero & integro animo examinantes, in ſequentibus docebimus. Cæterum præfationem concludens, *confidit*, ea quæ ſcripſit, *ob præſtantiam & utilitatem argumenti, non ingrata fore Philoſophis; præſertim quia ipſis hæc ſatis ſuperque nota eſſe credit*. Verum ſi per Philoſophos intelligat eos qui ſola naturæ dictata ſequuntur, & revelatione carent, ſeu ut ipſe docet, à revelatis abſtinere tenentur, plane fallitur, cum cenſet hæc iis placitura: nam eos ne quidem attingunt, cum maxima ex parte extra eorum ſphæram & limites conſtituta ſint. Si vero intelligat eos, qui veritatem tam per Naturam quam Scripturam ſectantur, non minus errat: nam apertiſſimum erit, hoc argumentum, nec pro præſtantia tractatum, nec ſine maniſeſtiſſimis erroribus propoſitum eſſe. Et utriſque quidem hæc nota ſunt, quæ tradit, ſed non aliter quam plures alii errores, quos norunt & evitant. Imo propter plurimos decipiendi, & in errores inducendi dolos, hæc omnia capitali odio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

odio, jure merito proſequentur. Atque adeo demonſtratu facillimum ipſis foret, ſi modo aliis non impedirentur, quod ea quæ docet Chriſtiana Religio, *non pertinaciter & ex præjudicio*, nec *per ſuperſtitionem* aut *metum*, nec *ex contumacia* aut *impetu*, ſed rectiſſima cum ratione retineant, & rejiciant ea quæ hic ineptiſſime ab Anonymo fuerunt propoſita. Nos, dum alii aliis & majoribus intenti ſunt, noſtro hic fungemur officio. Primo diſtinctius inquiſituri, quæ ſit in nobis naturalis cognitio, ſeu Philoſophia? quæ ante, quæ poſt humani generis corruptionem? quæ cognitio per revelationem & Scripturam Sacram? quæ utriuſque, conformitas, & diſtinctio? Et quodnam mutuum eorum auxilium? ut ita tandem pateat, non tantum quomodo hæ divinæ diſciplinæ ſuo ordine & loco ſibi mutuo conſulant; ſed etiam quantam ſupremæ poteſtates, ſalva pietate, & reipublicæ pace, ſecundum eaſdem, ſubditis poſſint & debeant concedere libertatem, ſentiendi & dicendi in republica quod quiſque velit. In eundem finem, examinantes omnes & ſingulas quas continet nefandus ille Tractatus Theologico-Politicus diſſertationes.

CAPUT SECUNDUM.

De Divina Revelatione per Naturam, ſeu Philoſophia.

§. 1. REvelatio, ſi nomen ſpectetur, proprie eſt veli detractio, qua id, quod eo velatum & occultatum erat, oculis patet. Unde & id quod revelatur detegi & retegi dicitur. Quemadmodum & apud Græcos Καλύπτω ſignificat *tego, operior*. Et Ἀποκαλύπτω *detego, revelo, retego*. Ut & Ἀποκάλυψις *revelatio*. Sic Matt. 10:26. οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται. *Nihil enim eſt occultum*, ſeu tectum, velatum, & opertum, *quod non revelabitur & detegetur*. Significat etiam quamvis cognitionem, ſeu patefactionem incogniti. Sic ibidem, dicitur οὐδὲν ἐστι κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται. *Nihil eſt abditum* & occultum, *quod non ſcietur*. Quicquid ſit, non niſi cognoſcenti aliquid actu revelari, notiſſimum eſt. Nam cognitione deſtitutis, omnia tecta, velata & operta ſunt. Hinc, ut recte cognoſcantur, homini à Deo per naturam revelata, ipſa Cognitio penitius ſpectanda venit.

§. 2. Quicunque aliquid Cognoſcere dicitur, ei idipſum vel actu patet, vel talis adeſt facultas ſeu perfectio, qua ſibi id aperte proponere poteſt. Illa dicitur Idea vel Cognitio Actualis. Hæc, ſi conſideretur, quatenus ea facultas adeſt à natura, ſeu ex ipſa cognoſcentis eſſentia fluit, & ab ea non eſt diverſa, innata cognitio, vel Naturalis Ratio & Rationalitas dicitur. Si vero conſideretur, quatenus vel immediate ab alio, vel crebro cognitionis uſu &

exer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

exercitio, ita perficitur, ut facile & abſque difficultate, prompte & manifeſte ſibi proponat, id quod cognoſcere dicitur, vel Infuſa, vel Acquiſita cognitio appellatur. His autem non opponitur actualis cognitio, quod Ratio actu à natura cognoſcenti non adſit, vel ab eſſentia ejus non fluat talis cognoſcendi facultas, aut actu conceſſa non ſit talis perfectio, aut etiam crebro exercitio actu acquiſita non ſit: ſed tantum quod per eas id quod cognoſcitur cognoſcenti actu non obverſetur, & proponatur. Ita ut ex actualiter præſente cognitione, tam innata, quam infuſa & acquiſita, varii fluant cognoſcendi actus, quibus Actualis cognitionis nomen competit. Unde & Actualis cognitio, nonnunquam innata, infuſa, vel acquiſita dicitur: quia ſcilicet eſt actus ex tali facultate, vel acquiſita aut infuſa cognoſcentis perfectione, fluens. Non etiam infuſa vel acquiſita cognitio, alia cognitionis ſpecies eſt, ab innata: ſed ejuſdem perfectio; qua cognoſcens facilius, promptius, & clarius per innatam cognoſcat facultatem.

§. 3. Cum autem nulla detur Actualis cognitio, in qua cognoſcenti non obverſetur & pateat id quod cognoſcitur, omnis cognitio merito cognoſcentis lumen dicitur. Et innata, infuſa, vel acquiſita cognitio, lumen innatum, infuſum, vel acquiſitum. Ita ut Ratio naturalis, vel lumen innatum, ſeu innata cognitio ſit ipſa facultas à naturâ præſens, ſeu fluens ex, & identificata cum eſſentia cognoſcentis. Et cognoſcens, per ſe, unica & eadem innata facultate, ſeu eodem & unico innato lumine, alio tantum & alio actu, ſeu modo, cognoſcat, quicquid diſtincta cognitione actuali cognoſcere dicitur. Nec lumen infuſum vel acquiſitum aliud quid ſit, quam illa cognoſcentis perfectio, ab eo non diverſa, qua vel immediate à perfectiore lumine, vel mediantibus crebris actibus, facile, promte, & manifeſte ſibi proponit id quod actu cognitum, & revelatum dicitur. Quæ ignorantur ex cognitionis defectu in tenebris latent. Et aucta cognitione, tandem quævis ignorantiæ tenebræ diſſipantur. Πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι. *Nam omne quod manifeſtat, lumen eſt*, Epheſ. 5: 13. *Præſtantia* cognitionis, ſeu *Sapientiæ ſupra ſtultitiam* ſeu ignorantiam, *eſt ſicut excellentia lucis præ tenebroſitate*, inquit Eccleſiaſtes cap. 2. comm. 13. Hinc Claritas & evidentia non magis à cognitione, quam à lumine poſſunt abeſſe. Et quemadmodum Ἡδὺ τὸ φῶς βλέπειν, ut apud Euripidem in Iphig. *Jucundum videre lucem*: ſic cognoſcenti admodum ſuavis & grata cognitio.

§. 4. Sed ut lumen ei, qui ſe in luce verſari neſcit, à tenebris non differt nec diſcernitur: ita & per cognitionis lumen, nulli actu quicquam patet, niſi qui ejus ſibi conſcius eſt. Multa quidem quis poteſt noviſſe, quæ actu non ſemper occurrunt: ſed quamdiu ei non patet, & ipſe ſibi conſcius non eſt, ea eſſe nota, actu ea non magis cognoſcit, quam ſi nota non forent. Ita ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ut quivis neceſſario actu ignoret, quicquid ſe ſcire neſcit. Ac in omni cognitione conſcientia, qua cognoſcens ſibi ſuæ cognitionis ſit conſcius, neceſſario requiratur. Hæc autem cognoſcentis conſcientia, non eſt ſecunda quædam & reflexa ſuæ cognitionis cognitio: ſed ipſum illud, per quod quævis cognitio eſt actualis cognitio. Nam ne quidem ſimpliciſſime quicquam intelligit aut percipit, niſi ejus ſibi conſcius fuerit: nec per actum ſequentem, reflexum nempe, poteſt eſſe conſcius actus præcedentis: imo nunquam ſuper eam quam habet cognitionem reflectit, niſi etiam illius reflexionis, ſine ulla tamen alia reflexione, quæ alioquin in infinitum multiplicanda foret, ſibi conſcius fuerit.

§. 5. Quo vero cognoſcens ab hoc cognitionis lumine ſe clarius & diſtinctius illuminari ſibi conſcius eſt, tanto magis ſe cognoſcere plane certus eſt. Et quanto plura vel cognoſcit, vel de eo quod cognoſcit patefiunt, tanto majus eſtimatur ejus cognoſcendi lumen, & tanto perfectior eſt ejus cognitio. Clare autem illuminatur cognoſcens, cum cognitum ſibi attendenti vivide præſens agnoſcit. Diſtincte, cum quicquid de cognito cognoſcit, abſque aliorum permiſtione innoteſcit. Ita ut Claritas & diſtinctio, non tam reperiantur in re cognita, quam in cognoſcente vel ejus cognitione. Et eadem res, ſine ulla mutatione ſui, jam clara, jam obſcura dicatur, quia clare vel obſcure cognoſcitur.

§. 6. Hominem, tali cognitionis lumine præditum, exiſtere, quivis ſibi adeo clare conſcius eſt, ut Soli candelam accendat, qui id probare nititur. Nam nullus id negaverit, qui ſe ipſum aperte non confutaverit. Verum cum ab una parte neminem fugere poſſint hujus ſui luminis defectus. Nullus enim non deſiderat plurima clarius, diſtinctius, & promptius patere, quam patefiunt. Nullus non quotidie plura & plura diſcit, ac cognitionis lumine detegit. Et ab altera parte, per hoc lumen nulli non patefiunt perfectiones longe majores & excellentiores, quam quas in ſe exiſtere ſibi conſcius eſt; quas idcirco deſiderat & appetit. Hoc ipſum humanæ cognitionis lumen cuique clare patefacit, quod non niſi Flammula ſit (liceat mihi jam hac ſimilitudine, alioquin longe diſſimili, uti, uſque dum probaverim rem cognoſcentem corpus eſſe non poſſe) à longe perfectiore lumine accenſa. Nam ſi à ſe eſſet, nulla perfectione careret, & nihil non patefaceret.

§. 7. Imo cum cuique patefaciat perfectionem adeo perfectam, ut nihil ei deſit; quod patet, quia nullus talem non appetit; & ea concipi non poſſit, non exiſtens, ſeu non niſi exiſtens concipi debeat; atque ita patefaciat eam neceſſario à ſe eſſe, & ſumma cum perfectione omnia cognoſcere, nullus ignorare poteſt, ſe hinc omne ſuum eſſe, cujus ſibi in ſe conſcius eſt, & cognoſcendi lumen, habere; & non niſi ab ea in ſeſe conſervari. Hic au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tem eſt ille Πατὴρ τῶν φώτων *Pater luminum* Jac. 1: 17. אֵל דֵּעוֹת יְהוָה *Dominus Deus ſcientiarum* 1 Sam. 2: 3. Μόνος σοφὸς *ſolus Sapiens*, 1 Tim. 1: 17. qui Γινώσκει πάντα *omnia cognoſcit* 1 Joh. 3: 20. imo cui competit Βάθος σοφίας καὶ γνώσεως *profunditas Sapientiæ & Scientiæ* Rom. 11: 33. *quem nemo Scientiam docuit* Job 21: 22. Eſa. 40: 14. Et *cuius genus nos ſumus*, inquit Apoſtolus Act. 17: 28.

§. 8. Hanc autem perfectiſſimam perfectionem, quæ Deus eſt, homo ſuo, quo gaudet, cognoſcendi lumine non perluſtrat, quin in ea detegat ſummam Veritatem, Bonitatem, & Potentiam. Nam id cui nihil perfectionis deeſt, his carere non poteſt. Simul itaque manifeſtum eſt, à tali luminis fonte, nihil imperfectionis, & non niſi perfectum lumen profluere potuiſſe. Finitum ſit, & radios ſuos non ſimul extendat ad omnia, malum tamen, erroneum, & à veritate ſeducens eſſe non poteſt. Unde manifeſtum eſt, quod homo, quamdiu in conceſſo ſibi, ab illo, lumine verſatur, veritatem deſerere, & errorem ſectari nequeat: Et contra, quod relicto hoc lumine, & neglecto, in tenebris ambulans & judicans, errores evitare non poſſit. Patet etiam, quod homini hoc lumine nihil detegi poſſit, ſeu quod ei nihil conceptibile ſit, quin huic primæ perfectioni ſit poſſibile. Cum itaque ad cognitionis conceptum non requiratur ut quicquam extenſionis in eo contineatur, & ad concipiendam extenſionem non requiratur in ea quicquam cogitationis concipi, Deus etiam cogitationem ab extenſione, & extenſionem à cogitatione ſeparare, id eſt rem cogitantem abſque corpore, & corpus abſque re cogitante ponere poteſt. Quæ vero ſeparari poſſunt à ſe mutuo, & ſeparatim exiſtere, ac cognoſci, neceſſario diverſa, & realiter diſtincta ſunt: nam idem à ſeſe ſeparatum concipi nequit. Atque adeo, eodem hoc lumine manifeſtum eſt, hominem, quatenus eſt res cogitans, realiter diverſum & diſtinctum quid eſſe, ab extenſione, licet cum ea quam intime unita exiſtat. Nec cogitationem & extenſionem ejuſdem ſimplicis rei diverſos modos concipi poſſe, niſi illæ realiter diverſæ & à Deo ſeparabiles inter ſe res, ſimul diverſæ dicantur, & negentur.

§. 9. Eadem de cauſa Deus etiam, qui eſt fons omnis cogitationis in homine, ab omni extenſione plane diverſum quid eſt. Nam præterquam, quod ad prefectiſſimum ejus cognoſcendi lumen, quod ſibi, independenter, à ſe habet, nihil extenſionis requiratur, & idcirco ab ea neceſſario realiter diverſum ſit, omnis extenſio ſimul ac exiſtit vel concipitur, non niſi ut minor quædam perfectio, concipi & eſſe poteſt; cum Deus ſit perfectio, qua major dari aut concipi non poteſt. *Hoc* enim nos jam probavimus, & *omnes Deum conſentiunt eſſe*, *quod*, ut ait Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 7. *cæteris rebus omnibus anteponunt. Nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat*

eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

eſſe, quo melius aliquid eſt. Sed extenſio exiſtere nec concipi poteſt, niſi ex partibus compoſita; diviſibilis; per ſe bruta & iners; ac non niſi aliunde mobilis & actuanda; ut & plurimis mutationibus obnoxia; imo ad cognoſcendam ejus eſſentiam nullo modo neceſſarium eſt ut cognoſcatur exiſtere, ita ut abſque exiſtentiæ initio exiſtere vel concipi nequeat. Fieri ergo non poteſt ut Deus ſit extenſio. Nam ſumma perfectio neceſſario ſimpliciſſima, ex nullis partibus componi, & in nullas dividi poteſt, per ſe ſibi ſui & omnium conſcia & actuoſiſſima eſt, & immobilis, abſque motu & mutatione ſui, omnia movet & mutat, & abſque principio & fine extitit, exiſtit, & exiſtet, propria & nobis incomprehenſibili ſua ſufficientia & perfectione. Quæ de nullo corpore dici aut fingi poſſunt.

§. 10. Nullum itaque, corpus aliquo cognoſcendi lumine præditum eſſe poteſt: nam quævis res cognoſcens ab omni extenſione neceſſario realiter diverſa eſt.

§. 11. Cum autem Deus, omne ſuum eſſe, & prefectiſſimæ cognitionis lumen, independenter & à ſe poſſideat, & quævis creatura, non niſi dependenter à Deo ſit, & cognoſcat, cognitionis lumen in Deo longe perfectius & excellentius eſt, quam in ulla creatura. Ille enim, tanquam omnium prima ac ſumma Ratio, & maxima Rationalis perfectio, prima & perfectiſſima omnis rationis cauſa, fons, & principium exiſtens, omnia per independentem ſuam eſſentiam, & in ea, cognoſcit. Cum hæc, non niſi dependenter ab eo exiſtens, quamvis in, & per ſe, utpote per ſecum identificatam & à natura ſua non realiter diverſam facultatem, cognoſcat, non etiam niſi dependenter à Deo quicquam cognoſcere poſſet; nec aliam obtineat cognoſcendi facultatem, nec perfectiorem, quam Deus ei pro ſua libertate concedere voluit. Præterea, cum Deus infinitus, unico actu perfectiſſimo exiſtat, quicquid per independentem ſuam eſſentiam, & in ea cognoſcit, etiam unico & prefectiſſimo actu cognoſcit. Sed creatura, neceſſario finita, & ſucceſſive exiſtens, non niſi variis cognoſcendi modis & actibus modificatur, ſeu ſucceſſive cogitat, percipit, vel cognoſcit ea quæ cognoſcit. Et ex unica cogitatione vel cognitione ſic ad aliam deducitur, ut quævis ſe habeat inſtar minoris luminis, radios ſuos aliquo uſque diffundentis, & ulteriora incognita, gradatim magis patefacientis. Cum perfectiſſimum divinæ cognitionis lumen, ſimul & ſemel omnia penetret, ita ut nihil occultum ſit coram ipſo. Hinc Dei cognitio intuitiva dicitur. Creaturæ vero, gradatim ex cognitis ad incognita procedentis, diſcurſiva.

§. 12. Hac de cauſa neceſſario, in cognoſcente, ſeu rationali vel ratione prædita creatura, requiritur prima quædam cognitio, quæ propria ſua luce fulgeat, & ex qua cætera cognoſcenda patefiant & gradatim detegantur. Id eſt,

 requi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

requiritur, ut ea naturali ſua facultate, ſeu Ratione, vel innato ſibi cognoſcendi lumine, ab eſſentia ſua nullo modo diverſo, per ſe ſola, ſine ullius alterius creaturæ auxilio, in ſe poſſit excitare quaſdam notiones, ex quibus alia incognita cognoſci & patefieri poſſunt. Nam quicquid gradatim & ſucceſſive fit, neceſſario à cæteris independens principium requirit. Tales vero ſunt omnes vulgo dictæ notiones communes, & veritates per ſe notæ. Nam hæ tantæ veritatis ſunt, tantæ claritatis & certitudinis, ut de iis cogitari nequeat, niſi approbentur. Imo probentur, ſi negentur. Non aliter, quam negans ſe cogitare, propria ſua negatione ſe convincit: nam non negat, niſi cogitet. Has omnes hic enumerare, nihil attinet, & forte inſuperabilis laboris foret. Sufficit explicaſſe quid ſint. Et demonſtraſſe, eas requiri in omni creatura, naturali ratione, ſeu cognoſcendi lumine & facultate, prædita.

§. 13. Eas Notiones eſſe veras, id eſt, id quod per notionem, à naturali cognoſcendi facultate, ſeu indito naturæ lumine, in cognoſcente, ſeu rationali creatura, excitatam, ex ſe ſola, ſine ulla alia creatura, cognoſcitur, revera ita ſe habere, uti cognoſcitur, dubitari nequit. Nam Deus qui perfectiſſimus, & ideo veraciſſimus eſt, creaturam creavit cum tali cognoſcendi facultate, ſeu indito naturæ lumine, quo tales & non alias notiones ex ſe ſola in ſe excitare poteſt. Si enim res ita ſe non haberet, uti per talem notionem repræſentatur & offertur, Deus, qui perfectiſſimus & veraciſſimus, falſitatis & erroris auctor foret. Quod repugnat. Et creatura de illa re cognita judicans ſecundum illam inditam à Deo notionem errorem evitare non poſſet, nec potuiſſet, ſed neceſſario erraret, & tamen nullo modo culpabilis foret: nam de nulla re naturaliter aliud judicare poteſt, quam prout cognoſcitur, & à Deo indita ſua notione patefit. Si ergo in ea alio modo occurrat quam eſt, idque abſque creaturæ culpa, creatura ſecundum eam notionem de re aliud judicans quam eſt, non ſua, ſed ſolius Dei culpa erraret: Quod manifeſtiſſimum abſurdum eſt.

§. 14. Primas notiones eſſe Claras, id eſt, id quod per eas cognoſcitur, cognoſcenti vivide præſens eſſe, non tantum ex eo patet; quod Deus, qui eas Creaturæ primo indidit, ei concedens facultatem, illas ex ſe ſola, tali & non alio modo excitandi, nullius obſcuritatis cauſa eſſe poſſit. Verum etiam ex eo, quod nihil aſſignari poſſit, unde in illis, cum omnium primæ & per ſe notæ ſint, aliquid obſcuritatis oriri poſſet. Præterquam, quod ſi eas, claras eſſe negetur, ſimul etiam negandum ſit, creaturam rationalem, ſeu naturali cognoſcendi lumine præditam, aliquid clare cognoſcere: nam ſine hiſce nihil cognoſcit. Cujus contrarium, quævis in ſe obſervare poteſt: Et ex his ipſis, quæ de notionum claritate ſcribo, ſatis manifeſte, ut putem, convincitur.

§. 15. Certitudo primarum Notionum, qua cognoſcenti id quod per eas co-

cognoſcitur, ita patefit, ut nullus occurrat ſcrupulus, quin res ita ſe habeat uti patefit, ex earum percepta veritate & claritate neceſſario fluit. Nam ſi cognitum in iis cognoſcenti neceſſario vivide præſens ſit, & per immutabilem Dei veracitatem fieri nequeat, ut cognitum alio modo ſe habeat, quam in iis cognoſcenti occurrit, nullus poteſt ſupereſſe ſcrupulus, quin res cognita ſe habeat, uti in tali notione patefit. Et per conſequens certiſſimæ ſunt notiones primæ & innatæ.

§. 16. Ut autem Rationalis, ſeu cognoſcens creatura ex iis notionibus ſuam cognitionem promoveat, nihil aliud requiritur, quam ut diligenter ad eas attendat, & obſervet, quid in iis de re cognita patefiat. Nam ut omnia quæ exiſtunt, variis attributis, proprietatibus, & perfectionibus exiſtunt: ſic & ea quæ primis illis notionibus innoteſcunt, variis attributis, proprietatibus & perfectionibus patefiunt. Verum cum creatura cognoſcens finita ſit, non ſtatim omnes rei cognitæ proprietates, perfectiones, ſeu attributa quibus exiſtit, & quæ in illius notione naturali continentur, in ea notione cognoſcenti ſimul occurrunt: ſed ſucceſſive jam una, jam alia, jam ex hac iterum alia. Ita ut nulla creatura unquam inſtar Dei, unico intuitu cognoſcentis omnes cogniti perfectiones, certa ſit, ſe aliquam rem perfecte cognoſcere; id eſt ita cognoſcere, ut omnes rei cognitæ perfectiones, in eſſentia & naturali ejus notione contentas, ſibi habeat præſentes. Et idcirco nunquam poteſt eſſe certa ſe in alicujus rei cognitione amplius proficere non poſſe. Non quidem dicimus repugnare, creaturam rationalem aliquid perfecte cognoſcere. Sed negamus eam ex naturalibus, & à Deo inditis rerum notionibus plane certam reddi poſſe, ſe aliquam perfecte cognoſcere, ſeu id illi innoteſcere non poſſe, niſi aliunde à Deo reveletur.

§. 17. Sic in notione Corporis, quam rationalis creatura corpus cognoſcens, per innatam ſibi à Deo facultatem, format, patefit res extenſa, diviſibilis, figurabilis, mobilis, *&c.* Idque ei attendenti vivide præſens eſt. Atque adeo ex ea plane certa redditur, propter immutabilem Dei veracitatem, non tantum nullum exiſtere corpus, quod non ſit talis res: ſed etiam, manente hac eadem notione ſibi innata à Deo, ne quidem exiſtere poſſe. Nam id non minus repugnat, quam Deum poſſe non veracem eſſe. Sed tamen ei, in illa notione hæc quatuor & plura quæ in ea continentur, ſimul non occurrunt, uti Deo, qui hæc & omnia de corpore ſimul unico intuitu cognoſcit, quamvis in illa notione ſimul contineantur, uti poſtea per diligentem attentionem patefit, verum ſucceſſive unum ante, aliud per & poſt aliud patefit. Nam quia extenſa, ideo diviſibilis: & quia diviſibilis ideo mobilis: & quia mobilis ideo figurabilis cognoſcitur. Et cum, niſi Deus alio modo revelet, non cognoſcat, an, quot, & quænam Deus voluerit eſſe corporis attributa, præter hæc

quatuor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

quatuor, & omnia alia quæ ei in illa notione occurrunt? neceſſario etiam ignorat, an in ea notione non plura contineantur? & an corpus in ea notione à ſe perfecte cognitum fuerit.

§. 18. Quicquid vero hoc modo ex primis notionibus ſucceſſive gradatim deducitur, non tantum cum ipſis ejuſdem veritatis & certitudinis eſt, ſed etiam ejuſdem claritatis. Nam in iis notionibus continetur & patet, & ab ipſo Deo, fallere neſcio, ſic in iis ſucceſſive creaturæ revelari dici debet. In quantum tamen unum poſt aliud innoteſcit, in tantum forte alio clarius dici poteſt: ſed minus proprie. Nam id non ex majore Claritate, ſed naturæ prioritate fit. Unde rectius unum alio prius, quam clarius dicitur. Nec tam proprie res eſt clara vel obſcura, quam clare vel obſcure cognoſcitur, ſeu clara vel obſcura eſt ejus cognitio.

§. 19. Verum cum Deus Hominem inter Creaturas rationales voluerit conſtare ex intima rei cogitantis unione cum re extenſa, illius cognoſcendi facultas, ut obſervamus, adeo eſt corpori alligata, ut multas notiones, perceptiones & cogitationes non excitet niſi ad præcedentem aliquem motum in corpore, vel imaginem in cerebro, ſive per aliquod externum, ſive per ſe ipſum interne excitatam, cui ſe applicet. Quarum prior ſenſitiva, & poſterior imaginativa cognitio dicitur. Sic cæcus, in quo propter organi depravatam diſpoſitionem, talis requiſitus motus adeſſe nequit, nullum habet, aut habere poteſt, quamdiu talis inepta diſpoſitio manet, cogitationem, perceptionem vel actualem cognitionem coloris. Non quod careat ejus mens innata facultate talem excitandi: ſed quod ad eam excitationem talis prærequiratur motus, qui hic ob depravatam corporis diſpoſitionem adeſſe nequit. Sic etiam homo de nullo fere corpore particulari, ut quadrato, rotundo, &c. cogitat, ſine aliqua imagine in cerebro formata, cui ſe applicet. Hinc utraque hæc cognitio tantum circa res corporeas verſatur. Nam naturaliter nihil organum ſenſus movet & ſentitur niſi corpus. Nec ullius niſi corporis aliqua poteſt dari imago in cerebro. Ipſa tamen mentis perceptio & notio ideo non eſt corporea: ſed cogitativa, quemadmodum mens, & à corpore realiter diverſa. Nam eſt eadem cognoſcendi facultas, ſeu innatum cognitionis lumen plane idem, quo homo ſentit, imaginatur, & intelligit, cum mente realiter identificatum. Ita ut de corpore non niſi ſpirituali cogitatione, præter quam alia fingi non poteſt, cogitet. Nec id quod ſentit & imaginatur, alio quam intellectus lumine cognoſcat. Cum autem hæc utraque, non minus quam intellectiva, ſeu corpori non alligata cognitio, à Deo ſit, earum certitudo, & veritas ſi modo recte adhibeantur non minor eſt, quam ipſius intellectivæ cognitionis. Nam eatenus utriuſque eadem ratio eſt.

§. 20. Omnia ſic cognita per naturam Revelari & cognoſci dicuntur: tum quod

quod cognoſcendi facultas, ſeu lumen naturale ab eſſentia cognoſcentis diverſum non ſit, & ex ea neceſſario fluat, & adſit ſimulac concipitur exiſtere: tum quod ipſe Deus, qui eſt omnium, naturarum auctor, fons & principium, talem fecerit rei cognoſcentis naturam, ut ex ſe, ſibi, ſed dependenter à Deo, tales, & non alias poſſit formare rerum notiones, propter Divinam perfectionem & veracitatem neceſſario rebus cognitis conformes, ſeu veras, claras, & certas, & ex iis eadem certitudine pervenire in earum rerum cognitionem, quas Deus ei hoc modo, per naturale lumen & innatam cognitionem patefacere ſeu revelare, & ab ea cognoſci poſſe, voluit. Quamdiu itaque Creatura in ſua cognitione & diſcurſu has primas notiones ſequitur, & continua diligenti attentione obſervat, ea quæ in iis occurrunt, ſeu quaſi à Deo patefacta ſunt; atque ita Deum infallibilem & ab eo conſtitutam naturam, ſeu rectam Rationem, vel clarum ac certum lumen naturæ non deſerit, naturalem ſeu per naturam revelatam ſuam cognitionem, abſque ullo errore plurimum promovere poterit. Hæc naturalis eſt Sapientia. De ejus veritate, claritate, & certitudine, propter jam dicta, ne minimum quidem dubitari poteſt. Sed poſtquam homines in eo ſtudio multis modis lapſi fuerunt, periit ipſis hæc Sapientia, & ab ea delapſis, non niſi quædam ejus rudera ſuperſunt, quibus ſinguli, multo majore cum labore, magis vel minus certa ſuperſtruunt dogmata, prout innata ſibi cognoſcendi facultate, ſeu naturali ſua Ratione, magis vel minus recte utuntur vel abutuntur. Hæc Philoſophia dicta fuit. Probanda vel rejicienda, prout ex innatis & ſuperſtitibus primis notionibus, Methodo cum Recta Ratione maxime conveniente, proceſſerit vel non.

§ 21. Præcipuæ vero notiones, omnibus reliquæ, & quibus tam Philoſophia, quam univerſa naturalis Sapientia nititur, ſunt illæ, quas Cognoſcens habet de Se & Deo ſuo. In notione Sui, ſibi occurrit & patefit, res Cogitans; id eſt quæ ſibi ſui, & eorum quæ in ſe ſunt, eſt conſcia. In notione Dei occurrit & patefit, ens Perfectiſſimum & Sufficientiſſimum, cujus ſolius infinita & incomprehenſibili perfectione, ea ipſa, ſimul cum omnibus quæ exiſtunt, eſt id quod eſt, & agit quicquid agit. Hæ duæ ſunt immobiles columnæ, ab ipſo Deo locatæ, & cognoſcenti creaturæ, cum Recta Ratione divinitus inditæ, ex quibus univerſa Revelatio per naturam oritur, & quibus omnis naturalis cognitio ſuperſtrui & inniti debet. Nam quemadmodum ſine Deo nihil eſt; ſic ſine Dei cognitione, nullius rei certa poteſt haberi ſcientia. Imo creatura cogitans, quamvis ſibi ſui intime conſcia, ne quidem ſe ſatis recte cognoſcit ſine Deo recte cognito. Et quamdiu Deum originis ſuæ auctorem ignorat, de nullo à ſe cognito indubitato à ſe certa reddi poteſt; Gentiles dixerunt ex cœlo deſcendiſſe illud Γνῶϑι σεαυτὸν *Noſce te ipſum.* Sed divinam revelationem per Naturam factam corruperunt, & præcipua ſui parte

te

te mutilarunt. Nam quæ à cœlo deſcendit Recta Ratio omnibus dictat Γνῶθι Θεὸν ϗ σεαυτὸν, *Noſce Deum & te ipſum.* Deum ſcilicet in te ipſo, & in Deo te ipſum.

§. 22. Quæ ex his, à Deo ſibi inditis, notionibus, à creatura cognoſcente, tam de Deo & ſe, ac officio ſuo erga Deum & ſe, & alias ſecum ejuſdem eſſentiæ creaturas, quam de toto univerſo, ac admirabili ejus ordine & pulchritudine, cognoſci, concludi & aperte demonſtrari poſſunt, adeo multa ſunt, ut nec unus, nec decem libri iis recenſendis & continendis ſufficerent. Nec unquam ulla creatura per ſe poteſt eſſe certa, ſe ex iis omnia cognoſcere, quæ in iis continentur, & ex iis recte procedendo patefieri poſſunt: nam quotcunque cognitis ſemper plura reſtant cognoſcenda. Quare iis proponendis noſmet ipſos hic non immittemus; præcipue cum tantum animus ſit diſtincte proponere quid ſit cognitio Naturalis & per naturam à Deo facta Revelatio, non autem enarrare & demonſtrare omnia quæ à natura certo cognoſci poſſunt, quod, ſi Deus voluerit, alterius operis erit.

§. 23. Unum tamen eſt, quod propter Anonymum præterire non poſſumus. Quomodo ſcilicet hinc pateat quamvis creaturam naturaliter obligatam eſſe, & naturali lumine ſe obligatam ſcire, ad præſtandam Deo obedientiam. Quod aperte negat, cum *cap.* 16. *pag.* 184. non ſine intolerabili crimine læſæ Majeſtatis Divinæ dicit, *Nemo ex natura ſcit, ſe ulla erga Deum teneri obedientia, imo nec ulla ratione hoc aſſequi, ſed tantum ex revelatione, ſignis confirmata, unuſquiſque id habere poteſt.* Addens, *quod unuſquiſque* naturaliter *eadem ratione teneatur jure revelato, ac tenetur ex dictamine ſanæ rationis vivere: nempe quia ipſi utilius eſt, & ad ſalutem neceſſarium; quod ſi nollet, cum ſuo periculo licet.* Imo conſequenter, *quod ſi ſumma poteſtas nollet Deo in jure ſuo revelato obedire, id liceat, nullo ſcilicet jure civili vel naturali repugnante, ibid. pag.* 185. Quæ ibidem à nobis ex profeſſo examinabuntur. Hic tantum contrarium naturæ lumine cognitum demonſtrabimus. Cujuſvis rationalis creaturæ dependentiam à Deo, jam ſupra, hujus capitis §. 6. 7. adſtruximus. Unde manifeſtum eſt, eam nec exiſtere, nec quicquam agere niſi per conceſſam, conſervatam, & directam à Deo virtutem. Nam independens alioquin foret. Cum autem Deus ſapientiſſima ſua gubernatione, quas conſtituit rerum naturas, non deſtruat, ſed in ſtatu ſuo conſervet, creaturas rationales, quibus talem, ut earum quævis ſibi conſcia eſt, conceſſit naturam, quæ cogitans, intelligens & volens, in ſeſe eſt ipſum internum ſuarum actionum principium, uti ſibi conſcia, dependenter à Deo, & earum omnium domina, cum conſcientia & complacentia, eas libere peragens, inſtituens & determinans, ut tales etiam conſervat, regit, ac dirigit. Hæc autem Creaturæ rationalis conſcientia ſuæ dependentiæ à Deo, nunquam ei non aper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

apertiſſime dictare poteſt, ſe teneri, & naturaliter obſtrictum eſſe, omnes ſuas actiones ita inſtituere, uti Deus eas inſtitui velle, per naturam, vel præter eam, patefeciſſe, naturæ lumine ſcire poteſt. Nam ſi aliud agat, aperte ſuam à Deo dependentiam, contra conſcientiam, abnegat; & Deum deſerens, ſe non gerit ut creatura, multo minus ut rationalis, ſed ut rebellis, & deteſtabilis læſæ divinæ Majeſtatis criminis reus, Dei hoſtis, qui *ſuo periculo & damno*, ut inquit Anonymus, ſe Deo opponens juſtiſſimam pœnam & æternam miſeriam non effugiet. Fateor quidem hunc actum illius conſcientiæ non ſemper in omnibus æque vividum eſſe. Imo in Anonymo extinctus fere videtur. Sed ſufficit hoc cuivis attendenti innoteſcere, & negligenti, ſi attendat, innoteſcere poſſe. Quomodo vero Deus velit creaturam rationalem per Naturam ſuas actiones inſtituere, nullibi quam in, & ex ſe ipſa naturaliter patefactum invenire & quærere poteſt. Nam ex eo quod rationalis ſit, ſola ſibi ſui, & eorum quæ in ſe reperit, conſcia eſt. Et ad ſe ipſam attendens, non tantum cognoſcit, quod non poſſit eſſe id quod eſt, & conſequenter nec agere quicquam debeat aut jure poſſit, niſi ad voluntatem ejus à quo eſt, & ſine quo nihil agit: ſed etiam, quod agens id quod neceſſario requiritur, ex eo quod ſit id quod eſt, ſcilicet creatura rationalis à Deo Perfectiſſimo & Sapientiſſimo dependens, aget ſecundum voluntatem illius à quo eſt, naturaliter in ſe patefactam & revelatam. Nam non eſt id quod eſt, niſi ad ejus voluntatem, & idcirco agens id quod requiritur ex eo quod ſit id quod eſt, neceſſario ſecundum ejus voluntatem agit. Atque adeo ex ſeſe, ſeu conſideratione ſui & Dei, non tantum novit, ſe naturaliter Deo obedientiam præſtare teneri; ſed etiam id omne à ſe naturaliter fieri ex obedientia ſecundum Dei voluntatem præſtita, quicquid ex ſui Deique natura clare & certo agendum ſequitur: id autem Divinæ voluntati naturaliter repugnare, quicquid ſuæ Divinæque naturæ repugnat. Illa dictat Natura: Hæc prohibet. Sed latius hæc proſequi extra ſcopum foret. Alibi, volente Deo, fiet. Sequitur ut tranſeamus ad cognitionis per Naturam à Deo revelatæ corruptionem.

CAPUT TERTIUM.

De Naturaliter revelatæ Cognitionis prima Corruptione & reliquiis in Homine.

§. 1. HUmanæ mentis caliginem nulli gentilium Sapientes ignoraverunt; ſed in aſſignanda ejus cauſa toto cœlo aberrarunt. Alii Deum & Naturam incuſarunt; conquerentes hominem ab ea, non ut Matre, ſed Noverca in lucem productum fuiſſe. Corpore nudo, fragili & infirmo, Animo anxio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, &c. Alii docuerunt Animas retro quidem alatas, confractis & perditis alis, in elementa ferri præcipites, & poſtea plumantes, factaſque volucres, improbo labore, ſuperna denuo repetere. Alii cum Pythagora & Platone commercium Animæ cum corpore criminati fuerunt, idque primam Animæ calamitatem exiſtimarunt, habentes illud pro Animæ cuſtodia, vinculis, antro, & ſepulchro. Cum contra, ut inquit alicubi Auguſtinus, *non caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem.* Et pientiſſimi Gentilium fateri coacti fuerunt, Naturam nihil fruſtra, nihil inique, nihil non juſtiſſime feciſſe. Si etiam ad omnibus innatam Dei ſuique notionem, ſupra *cap.* 2. §. 21. propoſitam, ſatis attendiſſent, animadvertere naturali lumine nobiſcum, ſecundum *cap.* 2. §. 8. 13. potuiſſent, non Deum, ſed eam ipſam ſibi ſuorum defectuum cauſam exiſtere. Nam manifeſte vidiſſent, ab illo ſummo rerum omnium domino & conditore nihil fieri potuiſſe cum aliquo defectu, ſeu quod non foret omnibus ſuis numeris abſolutum. Et à parte ſui tantam in ſe obſervaſſent voluntatis, ſeu facultatis eligendi unum præ alio, amplitudinem, ut etiam extra cognitionis ſuæ, vel intellectus limites, intra quos ſe continere debebat, excurrens, ea quæ non ſatis intellecta ſunt, amplectatur; iiſque adhæreat; atque ita à vero & bono deflectat, fallatur, erret, & peccet. Atque ita meridiana luce clarius apparuiſſet, ipſam Creaturam Rationalem, cognoſcendi, & unum præ alio eligendi facultate, à Deo ſine defectu conceſſa, præditam, non niſi proprio abuſu ejuſdem rectiſſimæ facultatis, quam, non niſi cognitis adhærendo, recte uti potuerat, & qua ſe ſic recte uti debere per innatum naturale lumen cognoverat, ab indita ſibi à Deo ſua perfectione deficere potuiſſe. Et per conſequens non Deum, vel aliud quid, ſed eam ipſam ſibi, ſolo illo abuſu perfectæ ſuæ voluntatis, omnis erroris fontem & originem eſſe; ſeu ipſum illum abuſum errorem, & omnis erroris cauſam eſſe.

§. 2. Qualis autem fuerit primus hominis defectus, niſi per revelationem aut traditionem innoteſcat, ex ſola ejus natura demonſtrari nequit. Nam cum à Deo perfectus creari debuerit, nullus defectus ex ejus natura neceſſario fluere potuit. Sic enim non ipſe, ſed Deus, qui talem conceſſiſſet naturam, illius defectus auctor & cauſa foret. Quod omnino repugnat.

§. 3. In Scriptura Sacra revelatum legimus, primum hominem, in primæva ſua perfectione non ſubſiſtentem, ad creaturas defeciſſe. Et ſuum erga Deum officium, cujus, poſt factam revelationem divinam, ex indita Dei & ſui notione plane certus eſſe poterat, neglexiſſe. Suas deficientes cupiditates ſecutum fuiſſe. Præſcriptum ſibi à Deo mandatum deſeruiſſe. Imo ſe geſſiſſe, non quaſi à Deo creatus in omnibus ab eo dependeret, ſed quaſi ipſe ſui juris,

à Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

à Deo plane independens, ſibi Deus foret; & quicquid placet, abſque omni conſideratione Dei, recte & jure ageret vel omitteret. Quod ipſum jam etiam ab omnibus jure fieri poſſe, contra omnem rectam rationem, ſupra *cap.* 2. §. 23. demonſtratam, abſurdiſſime aſſerit Anonymus. Quo facto Primus homo non tantum egit contra naturalem obligationem, qua ſuo Creatori obſtrictus erat, ſed etiam, ut ibidem narratur, diffregit ſuperaccedens operum fœdus, per quod illi, tanquam capiti, & in illo, univerſo generi humano, patebat propior communio Dei, & aditus dabatur certiſſimus ad beatitudinem cæleſtem. Sic *Adam* dicitur *tranſgreſſus eſſe fœdus* Hoſ. 6. 7. coll. Job. 31. 33. Jeſ. 43. 27. *Per unum hominem* inquit Paulus Rom. 5. 12. 15. *in quo omnes peccarunt, peccatum mundum introiit, & per peccatum mors, & mors in omnes homines pervaſit, ita ut unius offenſa multi mortui ſint.* Quænam vero in ſpecie hæc fuerit offenſa, latius hic inquirere nihil attinet. Sufficit noviſſe hominem, voluntarie deficientem, perfecta ſua voluntate, non ſecundum id quod noverat, quemadmodum potuerat, uſum fuiſſe, ſed abuſum.

§. 4. Hinc non tantum, ut narratur, in primo Homine, verum etiam in toto genere humano triſtiſſima facta fuit viciſſitudo. Nec aliter quam occidente Sole Terra mox denſiſſimis tenebris velut induitur, per hunc primum hominum lapſum & defectum, pereunte ſumma ejus perfectione, miſerrimæ tenebræ totum genus humanum occuparunt. Ita ut non tantum hinc viro mille labores, & inſuperabiles ſæpe mulieri obtigerint partus dolores: ſed etiam ſecuta ſit hominis à Deo totalis averſio & in creaturas amor. Quæ comites habuere veri ignorantiam & mali concupiſcentiam. Apertis ita duabus lethalibus illis quaſi feneſtris, per quas mors irruit in omnes homines, quia omnes peccatores invenit. Unde jam omnes ſub mortis tyrannide, quam ſibi ſuo jumento accerſiverunt, in ignorantiæ tenebris gemunt. Primus Homo creatus *in ſimilitudine Dei*, genuit filios *in ſimilitudine ſua, in imaginem ſuam* Gen. 5: 1. 3. Atque ita quilibet in lucem protruſus infans, ad vagitus ſtatim & ploratus abripitur, actu neſciens ubi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus, jam reus delicti, nondum capax præcepti. Nec ſibi ſufficit ut ex ignorantia ad ſe redeat: ſed ea cum ætate indies incrementum capit, & in adultis deplorabiles producit fructus; infinitos ſcilicet errores & ſtultitias, quæ ſunt germana ſoboles à nativitate adhærentis & puerilis illius ignorantiæ. Quo reſpectu Scriptura pronunciat omnes homines Α'συνέθυς & Α'νοήτυς *Inſipientes & amentes* Rom. 1. 31. Tit. 3. 3.

§. 5. Nec tantum intellectus humanus tenebris involutus fuit; ſed etiam ex primo illo creaturarum amore, tanta mali concupiſcentia mentem occupavit, ut ab ea, veluti pondere quodam inclinetur ad fruendum creaturis & bonis inferioribus, ac in iis plane acquieſcendum. Habet enim ſe inſtar conſuetudinis

eum pertinaciſſime propellentis ad fruendum voluptatibus. Ita ut humanæ voluntatis arbitrium, hoc lapſu, ſub terrenis cupiditatibus tam arcte quaſi captivum teneatur, ut pro primæva ſua libertate ſe erigere non poſſit ad volendum & præſtandum id quod bonum eſt: ſed veluti adamantinis vinculis adſtrictum, captivo tantum motu verſetur in malo. Quæ juſtiſſima fuit hominis deficientis pœna, & peccati conſequens neceſſarium. Quidni enim amittat illud, quo bene uti noluit? præcipue cum ſine ulla difficultate poſſet, ſi vellet. Cur is qui ſciens recte non facit, non amitteret ſcire quid rectum ſit? Et qui recte facere, cum poſſet, noluit, non amittat poſſe cum velit? Non placuerat ei in ſui Creatoris ſervitute & ſubjectione, in qua vera ejus libertas conſiſtebat, perſiſtere. Sed ad ſe converſus, ſe velut principium ſuæ libertatis & voluntatis intuendo, Deo ſe prætulit. Et dum, neſcio qua falſa libertatis imagine deceptus, illi ſervire cum libertate noluit, cui naturaliter ſervit & ſubjacet, in veram & duriſſimam ſervitutem, amiſſa libertate, præcipitatus fuit. Dum enim ſubeſſe noluit, & exlex fieri appetiit, ſe Creatori ſuo ſubtrahendo, in peſſimæ ſervitutis genus incidit. Qua illa creatura, cujus amore, velut finis ſui adhæſione, lapſus eſt, in ejus voluntatem dominium tenet; & dominum ſuum, velut ſervum bello captum, firmiſſime poſſidet & captivum tenet. Atque ita poſtea ſuam expertus indigentiam; & veram beatitudinem ſeu animi quietem, nec in ſe, nec in creaturis inveniens, uti putaverat, continuo per inferiora vagari coactus fuit, magna ſollicitudine quæritans, num forte in illis alicubi, aut aliquando, quod ſibi deeſſe ſentiebat, adipiſceretur. Unde infinitarum cupiditatum exercitus ebulliit, quo circumſeſſus & victus, miſerrima ejus ſervitus mirabiliter fuit adaucta.

§. *6.* Præterea abſque ullo corporeorum motuum impedimento, ab initio dominus appetituum ſuorum, liberrime agebat quod juſtum, æquum & bonum intelligebat. Verum inordinata rerum carnalium concupiſcentia, anomalum & turbatum plane reddidit ſanguinis ſpirituumque motum. Ita ut Mens hoc lapſu non tantum amiſerit, quod obtinuerat perfectum imperium in corpus & ejus motus: verum etiam loco ordinatorum motuum, inordinatæ paſſiones, & turbati affectus nati ſint. Qui ſæpe tam vehementes ſunt, ut non tantum mentem ad tam miſerum ſtatum reducant, quo nec ſibi conſtet, nec quod velit, ſed ſæpe quod odit, agit, dicens

Video meliora proboque, deteriora ſequor:

Verum etiam effrenes rationis jugum excutiant, ei bellum indicant, & à voluntate nec ſuperari, nec compeſci queant. Quibus omnibus primæva hominis perfectio quotidie magis magiſque corrumpitur & diminuitur: ut & innatum cognitionis & ſcientiæ lumen pœne totum extinguitur.

§. 7. Remanere tamen Deus voluit rudera quædam primævæ perfectionis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nis, & quaſdam ſupereſſe naturalis ſeu innati luminis ſcintillas. Tum ut homo ex iis primam ſui generis perfectionem agnoſceret. Tum ne omni prorſus Ratione deſtitueretur: ſed ipſe dependenter à Deo viam ſuam aliqua ratione poſſet inſtituere, & ita redderetur inexcuſabilis plane, quoties contra reſiduum illud, ſibi à Deo innatum lumen, inſtar primorum parentum, Deum deſerens, peccaret. Tum etiam ut ipſe Deus iis uteretur tanquam fundamentis ad inſtaurandum hominem, quibus poſt legitimam præparationem ſuperſtruat novam creaturam; renovans nos ad eandem imaginem ad quam eramus conditi, Col 3: 10. Eph. 4: 24.

§. 8. Ut autem innoteſcat in quo conſiſtant hæc ſuperſtites innati luminis ſcintillæ, & ſimul diſtincte cognoſcatur humanæ mentis corruptio, non exiſtimandum, humanam naturam per lapſum, eſſentialiter, ſeu in iis quæ ei neceſſario adſunt, mutatam & deteriorem redditam fuiſſe. Nam ſic homo non manſiſſet homo: cum tantum per ea, & non ſine iis, homo ſit. Sed obſervandum, quod omnis ejus mutatio contigerit, & contingere debuerit, in iis quæ accidentalia ſunt, ſeu ſine quibus, quamvis minus perfectus, poteſt eſſe & manere homo, ſeu rationalis creatura. Cum itaque neceſſario ad rationalitatem requiratur facultas cognoſcendi, qua ſibi proponat & conſcius ſit eorum quæ cognoſcere dicitur, quam ſupra cap. 2. §. 2. 3. 4. diximus eſſe Naturalem Rationem, & Lumen innatum, fieri non potuit, ut hæc per lapſum, poſt quem homo non minus homo eſt quam ante, quamvis imperfectior, vel ablata vel in ſe diminuta ſit. Præterea, cum propter ejus facultatis ſeu creatæ naturæ cognoſcentis ab ea non diverſæ, finitudinem, neceſſario requiratur, ut non intuitive, ſed gradatim per diſcurſum, cognoſcat; & idcirco neceſſario deſiderentur innatæ quædam notiones primæ, etiam hæ per lapſum auferri non potuerunt, ſed poſt eum neceſſario ſuperſunt tales quales à Deo primò fuerunt inditæ, id eſt, ut ſupra cap. 2. §. 12. 13. 14. 15. probatum, plane veræ, claræ, & certæ Ita ut, quicquid ex iis, etiam poſt lapſum, diſcurrendo gradatim deducitur, non minus verum, clarum & certum ſit, ſi recte fiat, quam ſi nunquam lapſus fuiſſet, de quo cap. 2. §. 18. Tandem etiam, cum ad diſcurrendum in mente requiratur facultas judicandi, ſeu unum præ alio pro ſua complacentia eligendi, nec ea per lapſum ablata cenſeri poteſt aut debet. Nam abſque illa non poteſt concipi ullum fieri diſcurſum. Ita ut mens etiam poſt lapſum, non minus judicet, ſeu pro ſua complacentia eligat, quam ante lapſum. Et reſpectu horum dici poteſt & debet, homini poſt primam illam corruptionem ſupereſſe rectam & immaculatam Rationem, ſeu innatam cognitionem, & naturale cognoſcendi lumen, quod ſit prædicta facultas cognoſcendi, cum mente realiter eadem. Ut & in ea, multa tum per ſe & ſua claritate, tum diſcurrendo ex iis, cognoſci; eaque tantæ veritatis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ritatis, claritatis, & certitudinis eſſe, ut de iis nullo modo dubitari poſſit. Nec non omnia, quæ hoc modo poſt lapſum ex recta ratione, tum per ſe, tum diſcurrendo patefiunt, ab ipſo Deo, hujus facultatis auctore, per naturam revelari & patefieri.

§. 9. Verum cum memorata cognoſcendi facultas, vel ipſa mens, eadem concipi & exiſtere poſſit, abſque tali perfectione, qua ſibi facile, prompte & expedite proponat ea quæ cognoſcere dicitur. Ut & abſque tali, qua ſibi innatas notiones diſtincte & ſine earum confuſione excitet, & à ſe mutuo ſeparatim conſideret. Nec non abſque tali, qua ea, quæ in primis notionibus continentur, illi facile & prompte occurrant. Imo etiam abſque tali, qua ſponte, libenter, & cum requiſita cura vel diligentia attendat ad illa quæ in primis illis notionibus continentur, & ſic homini naturaliter nota & à Deo revelata ſunt. Et tandem abſque ea, qua ſeſe, ſeu ſuam judicandi, vel unum præ alio pro ſua complacentia eligendi facultatem, facile intra limites ſui intellectus adeo contineat, ut non excurrat ultra ea quæ cognita ſunt, & ſic ſe ab omnis generis erroribus, & inordinatis concupiſcentiis præſervet. Ultimo etiam abſque tantæ perfectionis dominio in corpus ſecum unitum, & omnes ejus motus, ut eos ex ſola recta ratione ſemper regat, eique continuo ſubjectos habeat, ac nullis inordinatis paſſionibus aut affectibus turbetur. Omnem hominis corruptionem in his & ſimilibus conſiſtere manifeſtiſſimum eſt. Et cum mens humana vel homo propter harum perfectionum abſentiam, innata illa facultate, ſeu recta ratione, ab eſſentia ſua non diverſa, tanta perfectione non utatur, nec uti poſſit, quam ante lapſum, multi ipſam Rationem, ſed parum accurate vel recte, corruptam dixerunt, & rectam rationem in Homine ſupereſſe negarunt. Quod eſt negare hominem remanſiſſe hominem. Quare rectius, ut nobis quidem videtur, dixiſſent, mentem vel hominem innata ſua recta facultate & Ratione naturali, propter abſentem à lapſu perfectionem, nec recte uti, nec poſſe, quemadmodum debuit & potuit primus homo. Deinde, cum mens etiam per lapſum amiſſis ſupradictis perfectionibus, ſibi tamen aliquando, quamvis non adeo prompte & expedite, proponat, quæ cognoſcit; ut & in ſe excitet primas notiones, quamvis ſæpe non abſque diverſarum confuſione. Et occurrant varia, quæ in iis continentur, quamvis non adeo multa, nec adeo facile, nec non aliquando quodammodo attendat ad ea quæ in iis occurrunt. Imo etiam in quibuſdam ſe continens non ultra judicet quam cognovit; & non nunquam quoſdam inordinatos corporis motus & affectus ſua ratione ſuperet & cohibeat. Jure merito hæc omnia primævæ perfectionis reliquiæ, & innati luminis ſcintillulæ, vel potius per plurimas & denſiſſimas mentis imperfectiones tenuiter ſplendentes innati luminis radii dicuntur.

§. 10. Has

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 10. Has autem perfectionis reliquias in Homine continuo ſtudio & diligentia, multiſque laboribus, magis magiſque perfici poſſe; vel contraria negligentia quotidie minui, perdi, & corrumpi; ac iiſdem mediis fieri ut innati luminis radii clarius luceant & latius diſpergantur, tam notum eſt, quam notiſſimum. Quivis enim in ſe obſervat ſe facilius & promptius ſibi proponere quæ ſæpius, quam quæ nunquam aut raro cogitavit. Facilius diſcernere quæ ſæpius diſtincte conſideravit, quam quæ inter ſe confundere conſuevit. In occurrente notione citius apparere quæ antea notata, quam quæ nunquam obſervata fuerunt. Minoris ſtudii & laboris eſſe, mentem unius alicujus occurrentis attentioni alligare, poſtquam id ſæpius factum fuit, quam ſi nunquam contigiſſet. Ampliſſimam & liberrimam judicandi facultatem, aliquoties retentam & compreſſam, tanto facilius intra cognitionis limites contineri. Imo ſæpius ſuperatos corporis motus, & in ordinem redactos humanos affectus, tanto facilius rationi ſubeſſe. Et contra quaſi perire cognitionem eorum de quibus non cogitatur. Plura vel pro iiſdem, vel pro uno ſimplice haberi, quæ ſæpius confuſa fuerunt. Aliena & ab ipſis rebus quarum intima ſunt diverſa cenſeri, quæ in earum notionibus nunquam occurrerunt, quamvis in iis contineantur. Mentes divagationibus adſuetas ad unum aliquod vix ſatis attendere poſſe. Sæpius admiſſa voluntatis præcipitantia vix retineri poſſe judicium. Et affectus ſæpius ſibi relictos, non tantum omnino à Ratione abalienari: ſed tandem etiam omnem fere Rationis uſum impedire, & non niſi brutales in homine motus & impetus excitare.

§. 11. Verum quantumcunque continuis ſtudiis perficiatur Homo, nunquam primævam ſuam perfectionem attingit. Nunquam, ut ante lapſum, cognoſcit, judicat, diſcurrit. Nunquam vult, appetit, deſiderat, ac antea cum hæc non niſi ſecundum rectam rationem ageret. Nunquam redit ad primævum ſui corporis, & omnium affectuum dominium. Nunquam utitur ſua Ratione tam ſancte, tam pure, tam immaculate, quam antequam ſuum Deum deſeruiſſet. Nec id unquam ſolis primævæ perfectionis reliquiis poteſt. Non ſunt hic fructus humanorum laborum, nec creatæ virtutis effectus: ſed dona divinæ perfectionis & gratiæ. Nam cum Divinam in homine reſtituant imaginem, non niſi gratioſa Dei virtute in eo reperiri poſſunt. Quemadmodum fracto crure ſine claudicatione non incedimus, ſi non aliunde curemur: ſic & per lapſum, amiſſa ſemel perfectione, recta ratione, ſecundum Rationis præſcriptum, ſeu ex Dei voluntate utendi, eadem non ſemper utimur abſque omni claudicatione, niſi divina manu gratioſe curemur, & priſtinæ perfectioni reſtituamur. Multo minus, fracto ſemel fœdere divino, deficienti creaturæ per ſe ullus patet aditus ad cœleſtem beatitudinem, aut propiorem cum ſuo Deo communionem, ſi non ipſe Deus per inexhauſtam ſuam Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pientiam, & incomprehenſibilem miſericordiam, talem homini paraverit, & gratioſe patefecerit. Imo eum per illum divina ſua virtute ad ſe traxerit. *Nemo poteſt accedere ad me, ſi non Pater qui me miſit eum traxerit*, inquit Chriſtus Joh. 6. 44. *Et nullum aliud nomen ſub cœlo datum eſt in hominibus in quo nos ſervari oporteat*, Act. 4: 12.

§. 12. Hoc autem ſe ex innata ſua facultate, quantum fieri poteſt omnibus modis perficiendi ſtudium, deſiderium & amor ille ſapientiæ, maxime proprie Philoſophia dicitur. Nam hæc unica hominis Sapientia eſt, innata ſibi à Deo Ratione, recte, id eſt ad præſcriptum divinæ voluntatis, uti. Et idcirco unicum illud præſtandi ſtudium vera Philoſophia eſt. Unde & Theologi & Juriſconſulti, & omnes qui huc collimant, ſuum ſtudium, quemadmodum faciunt, quodammodo Philoſophiam dicere poſſunt. Verum ut omnis hujus nominis ambiguitas tollatur, notandum, Philoſophiam etiam aliquando quibuſdam ſignificare id ipſum quod in primis à Deo nobis innatis notionibus continetur, & ex iis de omnis generis rebus neceſſario fluit & ſequitur, ac à recta Ratione, nullis imperfectionibus ceu tenebris obſita & impedita, ſucceſſive cognoſcitur. Atque ita dicunt Philoſophiam veriſſimam, clariſſimam, & certiſſimam eſſe; nec in re aberrant, ut patet ex dictis cap. 2. §. 13. 14. 15. 18. Sed tamen exiſtimo illud diſtinctius exprimi, ſi dicatur, hoc ipſum eſſe naturalem rectæ Rationis in homine non corrupto notitiam, vel ejus objectum. Alii contra per Philoſophiam intelligunt id quod à quibuſdam hominibus, multis quidem imperfectionibus indefatigabili labore ſuperatis, ſed reliquis adhuc plurimis, per rectam & innatam rationem in primis notionibus contineri videtur, & quaſi ex iis ab iiſdem cognoſcitur. Atque ita Philoſophiam incertam, dubiam, fallibilem, & multis erroribus obnoxiam deprædicant! Qui etiam non abſunt à vero. Sed tamen rectius, ut nobis quidem videtur, dixiſſent, ſi id ipſum non Philoſophiæ nomine expreſſiſſent, ſed hac circumſcriptione uſi fuiſſent, quod ſit Naturalis Cognitio non ſine rectæ Rationis abuſu in homine corrupto comparata. Sic enim non, ut jam, aliud quam verum eſt, dicere viſi fuiſſent, & manifeſte patuiſſet eos prioribus ſe non opponere, ſed cum iis re ipſa convenire. Alii etiam per Philoſophiam intelligunt ſtudium, quod comparandæ ex recta ratione per naturam Sapientiæ impendendum eſt. Alii vero illud quod à multis, magno ſæpe rectæ rationis abuſu impenditur. Unde ſimilis quæ ſupra & eodem modo ſolvenda oritur ambiguitas. Nobis vero Philoſophia ſignificat & ſtudium, quod homo corruptus, ex recta ratione in ſe reliqua, continua diligentia impendit, & eam quam illo ſtudio, ex innatis ſibi notionibus, per rectum uſum in ſe reliquarum incorruptæ Rationis reliquiarum, ſibi comparat notitiam, tam de iis quæ cognoſcenda, quam quæ agenda ſunt. Ita ut ad Philoſophiam non perti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pertineant, hominum, tum de ipſis rebus, tum de quærenda rerum notitia, errores & vitia: cum ea in illis non adſint, niſi per rectæ Rationis abuſum, id eſt per deviationem à Philoſophia. Sed tantum vera & certiſſima dogmata, per ſibi reliquas rectæ Rationis reliquias, & rectum earum uſum, omnibus ſtudiis adhibitum, ex primis notionibus, tam de Deo & ipſis, ac officio ſuo erga Deum & eos ipſos, ac eorum proximum, quam de toto univerſo & admirabili ejus ordine, pulchritudine, &c. demonſtrata.

§. 13. Non exiſtimandum itaque, Adamum per lapſum ita corruptum & tenebris involutum fuiſſe, ut unico quaſi momento, ex ejus mente vel ablata ſit omnis cognoſcendi, judicandi, & eligendi facultas, vel deletæ ſint omnes quas à Deo ſibi inditas poſſidebat notiones, & quas ſibi in & ex ſe promptiſſime formare & excitare poterat. Sic enim homo eſſe deſiiſſet, nec poſt peccatum quicquam ullo modo, ſive per naturam, ſive per revelationem ſcire potuiſſet. Nec cenſendum ſimul radicitus excuſſam fuiſſe priſtinam, qua ſplenduerat, Scientiam, & omnium quæ antea noverat introductam oblivionem. Manſit enim proculdubio vir Sapientiſſimus; ſed corrupta ſeu minus perfecta & completa Sapientia. Orbatus fuit habitu illo priſtino, inditas à Deo notiones quam diſtinctiſſime & promptiſſime, abſque difficultate & confuſione, excitandi. Et ex iis per ſuperatum laborem excitatis, non adeo facile apparuit, quicquid in iis contentum antea tantum attendenti mox præſens occurrebat. Unde ex primo errore ſine fine plures quotidie naſci debuerunt deviationes. Quemadmodum in prima Dei apparitione poſt lapſum, cum nuditatis conſcientia turbatus, ſe ab ejus facie inter arbores horti abſconderet, Gen. 3: 8. non ſtatim, ut ante lapſum, ex indita & ſibi reliqua Dei notione, occurrebat Omniſcientia & Omnipræſentia divina. Sed ex eo quod notionem Dei, entis perfectiſſimi, & idcirco omniſcientis & omnipræſentis, confuderat, & non ſatis diſtinxerat à notione ſui, non omnia cognoſcentis, & corpore tantum alicubi præſentis, Deum conſiderabat ut talem quem effugere, & à quo ſe abſcondere poterat, ut & cui latere poſſent quæ commiſerat. Quæ tamen omnia, quamvis non tam facile & prompte, quam ante lapſum, ex indita & reliqua ſibi Dei notione, Deo minime convenire ſatis cognoſcere poterat. Non eſt tamen quod dubitetur, quin etiam præſtantes priſtinæ perfectionis reliquias in ſe continuo ſtudio perfecerit, & innatum cognoſcendi lumen, non parvis jam tenebris involutum, multis laboribus & meditationibus, tenebras, quantum potuit diſpellendo, excitare conatus fuerit. Non enim de ſe, miſeria ſua, & lapſu cogitare potuit, quin etiam hinc deduceretur ad perpendendam primævam ſuam perfectionem, & divinam imaginem ſibi impreſſam. Atque aſcenderet ad Deum, & inſtigaretur ad inſatiabiliter id unum agendum, ut in gratiam cum ſuo creatore rediret; ac in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

omnibus, quantum poſſet, recta ſua Ratione ſibi reliqua, recte, id eſt non niſi ad præſcriptum divinæ voluntatis, vel per inditas notiones, vel alio quocunque modo, revelatæ, uteretur. Quod idem contingere debuit, quoties reſpexit Terram, Cœlum & totum Univerſum, cum omni ejus ordine & pulchritudine. Nam non tantum *Cœli enarrant gloriam Dei fortis* Pſalm 19: 2. ſed etiam quævis herba Deum clamat, & nos noſtri officii memores reddit. *Inviſibilia Dei jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpenſa pervidentur, æterna* videlicet *ejus tum potentia, tum divinitas* Rom. 1: 20. Quæ omnia docent, illum *ut Deum glorificandum*, & *gratias ei agendas* eſſe. Labore & ſudore quidem ex Terra ſibi victum comparare debuit, ſed tamen ei adeo alligatus non fuit, ut nullas de rebus divinis & ſuo erga Deum officio potuerit formare cogitationes, eaſque requiſito & neceſſario ſtudio excolere. Orientales tradunt eum Artium Diſciplinarumque callentiſſimum fuiſſe. Quid de ſeptem præceptis Noächicis, quorum ſex ab Adamo tradita fabulantur Talmudici, ſtatuendum ſit, ex Scriptura non patet. Multo minus, Adamum, ut voluerunt quidam Hebræi, auctorem fuiſſe Pſalmi ſecundi & nonageſimi, eumque concinnaſſe die Sabbathi poſt peractum opus creationis illuceſcente. Duæ columnæ lapideæ in Syria, cum inſculptis ab Adamo diſciplinis, præcipue ſola Joſephi fide nituntur: quippe qui ſolus Antiq. lib. 1. cap. 2. refert alteram ſuis adhuc temporibus extitiſſe. Quicquid ſit, ubique agnoſcitur excellens ejus notitia & naturalis Sapientia. Ita ut non ſit cur dubitemus, quin poſtea vitam, non ſine ſpeciali Dei deſtinatione, ad annum uſque trigeſimum ſupra nongenteſimum protrahens, eam quam obtinuerat Sapientiam poſteris ſuis diligenter communicaverit & inſtillaverit.

§. 14. Sed ut ſunt res humanæ peccato in deterius converſæ, ita parum proficere potuit humana ſolertia, ut naturalia Sapientiæ ſemina & honeſtatis præcepta rite ac religioſe exciperentur. Hinc factum ut Cainus ingloriis facinoribus ad interitum præſentiſſimum: Habel vero virtute & morum innocentia, ad favorem Dei, & clariſſimam nominis exiſtimationem niteretur. Ex iiſdem Parentibus ſimilis erat naſcendi conditio: ſed ſtudium plane diverſum. Eadem poterant obſervare boni & mali exempla: ſed alter virtutem, alter vitium proſecutus eſt. Minor pecuariam exercens, naturæ divinarumque rerum contemplationi ſe tradidit. Major vero agriculturam adiens, terræ & quaſi glebæ alligatus, altius non aſcendit. Hic ſolos ſenſus, ille rationem conjunctam ſibi elegit regulam actionum ſuarum. Utrique ſupererant Naturalis luminis ſcintillulæ, quibus pius excitari poterat erga Deum affectus, quibuſlibet officiis pro re nata imperatis, exequendus: ſed ab illo continuis ſtudiis excitabantur; ab hoc, rebus terrenis intento, negligebantur & denſioribus tenebris obducebantur. Illud quod nulla arte, vel intelligentiæ vi

pene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

penetrare datum, quemadmodum ſcilicet fas piumque eſſet, ad favorem Dei & Numinis reconciliationem eniti, pater Adamus ſibi revelatum, inſatiabiliter filiis tradidit infixitque: ſed ille rejecit, hic fide recepit. Unde hic poſtea gratum Deo obtulit ſacrificium, ille ingratum. Nam *per fidem præſtantius ſacrificium obtulit Abel quam Cain*, inquit Apoſtolus Hebr. 11: 4. Hinc odio, invidia, & ira exardeſcens Cainus, non ſatis habet optimum numen peccatis & infidelitate offendere: ſed probum fratrem, quem divina dignatio Deo amicum fecerat & declaraverat, ferre nequiens, nihil niſi inſanam ſpirat ultionem, uſque dum tandem deteſtabilem vindictæ ſitim, primus homicida, fraterno ſanguine reſtinxerit. Quare triſti exulatione multatus in peregrinas terras agitur. Indignus ſcilicet erat Homo ſceleſtus, qui cum parentibus optimis commoraretur. Et cum Agricola fuerit, tanto gravior ipſi evadebat agrorum jactura, quos antea feliciter coluerat. Atque adeo multiplicatis ærumnis & rerum terrenarum cogitationibus in immenſum adauctis, nec non magis magiſque regnantibus omnis generis concupiſcentiis, paſſionibus, & affectibus, innatum & à lapſu reliquum cognitionis lumen, denſioribus quotidie tenebris involutum & implicatum fuit. Et tantum abfuit ut caſtigatione Dei ſe in melius mutaret, ut pejor etiam factus ſit, ſuis voluptatibus, vel cum aliorum injuria, indulgens. Ita ut univerſam Theologicam, Politicum & OEconomicam cognitionem, quam & ex parentum inſtitutione, & exemplo, & innato naturæ lumine habere poterat, nefandum in modum corruperit & inverterit. Hæc Apoſtolo Judæ vers. 10. ὁδὸς Κάϊν *via Caini.* Omnes nefandos ejus errores, & miſerrimas mentis tenebras, hic deſcribere nec animus nec locus eſt. Sufficit obſervaſſe, occiſo Habele, alium Adamo natum fuiſſe filium, Sethum, qui futurus levamentum paternæ triſtitiæ, Princeps fuit gentis Deo propioris, & ratione ſua rectius utentis; cum Diaboli civitas, evaneſcens in reliquæ ſuæ rationis abuſu, à Caino ſumpſiſſet exordium. Ex Setho, quibuſdam intermediis, poſtea natus Noë, conſolationem allaturus à dolore, & ab operibus manuum de terra cui Deus maledixerat. De quo Scriptura teſtatur Gen. 6: 8. *quod gratiam invenerit in oculis Domini.* Cum Deus interim cæteros pleroſque homines, in mundo agitantes, ſiverit ire inviis ſuis, id eſt in cupiditatibus & ratiocinationibus minime bonis, profluentibus ex quotidie adauctis mentis tenebris, & voluntatis perverſitate, à nativitate radicitus præſente. Unde nativum illud cognoſcendi lumen, divinitus & ſine humano miniſterio mentibus infixum, tantis tenebris obſeſſum & obductum fuit, ac innatæ à Deo rectæ rationis uſus, adeo impeditus, ut *Jus Dei* δικαίωμα τοῦ θεοῦ Rom. 1: 32. velut obſcuriſſima quadam nocte & oblivione ſubmerſum jacuerit. Narrat enim Moſes Gen. 6: 5. 11. 12. 13. *magnam fuiſſe malitiam hominum ſuper Terram, & omne figmentum cogita-*

tionum cordis eorum omni die tantum malum. Terram corruptam, fuiſſe coram Domino, omnemque carnem ſuper terra viam ſuam corrupiſſe. Noäm autem *Hæredem juſtitiæ per fidem* fuiſſe, teſtatur Paulus Heb. 11: 6.

§. 15. Idem poſt tempora Diluvii contigiſſe videmus uſque ad Moſen & ultra. Nam Eccleſia non ita pridem è Diluvio emerſa, & recens reformata, ſtatim iterum impietas non diu celata per Chamum erupit. Non enim ultra quadrageſimum annum pura & Deo accepta in terris verſata fuit Eccleſia, quin lex naturæ palam in ea violata, & ſcandaloſiſſimum ac apertiſſimum ortum ſit ſcandalum. Unde Chamus paterna auctoritate maledictus, à cœtu & communione Deum rite colentium removeri debuit; atque ita novæ illius Eccleſiæ, nova fuit inſtituenda reformatio. Poſt quam etiam, tum ad majorem conſolationem, tum ad exactiorem obedientiam novæ datæ ſunt promiſſiones, *Benedictus ſit Deus Semi & ſit Chanahan ſervus ejus. Dilatet Deus Japhethum & habitet in tabernaculis Semi, & ſit Chanahan ſervus ejus.* Gen. 9: 26. 27. Verum cum Chamus, à ſolenni quidem Dei cultu paterna maledictione fugatus, ſub eadem tamen cœli plaga, facta necdum diſperſione, ſubſiſteret, hinc iterum nova mali labes & defectionis ſeges repullulavit. Nam ex cæteris Noachi, Semi, & Japhethi filiis & nepotibus, non pauci ab impiis Chamiſtarum ſeductionibus & exemplis abrepti fuerunt, & in omne ſcelus præcipites acti. Primo enim circiter & centeſimo poſt Diluvium anno, ſceleribus cooperta ſuperbia vecors, & contumax Apoſtatarum turba, poſthabitis Noachi monitis, imperio, & diſciplina, ut & abnegato humili, pacifico, & pio Noachi vivendi genere, non modo abiit in contraria, ſed etiam in omne ſcelus præceps ruit; & abjecta omni Numinis reverentia, neſcio qua ſuperbia elata, turrim, unde ſibi nomen & gloriam compararent, exſtruere tentavit. Quam rebellionem horrendum illud confuſionis linguarum judicium corripuit, & in totius terræ ſuperficiem diſpeſcuit. Ab hoc autem tempore Deus maximam humani generis partem, quæ extra Semi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi familiam, extra gentem à Deo dilectam, vixit, propriis ipſorum viis incedere permiſit. Unde vanis ſuis ratiocinationibus ἐματαιώθησαν καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, *evanuerunt, & obſcuratum eſt inſipiens eorum cor.* Rom. 1: 21. Nam γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, *cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificarunt, & gratias egerunt.* Sed in denſiſſimis tenebris & omnis generis voluptatibus viventes τὴν ἀλήθειαν *veritatem* ſibi innatam, ſeu rectam Rationem & innatum cognoſcendi lumen ἐν ἀδικίᾳ κατέχοντες *in injuſtitia detinentes,* & φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν, *dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt,* διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. Ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, *quoniam quod de Deo cognoſcibile eſt*, per rectam rationem ſeu innatum cognoſcendi lumen *in illis manifeſtum eſt, nam Deus*, illud indens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

dens, *illis manifeſtavit. Inviſibilia ejus à creatione mundi per ea quæ facta ſunt intelliguntur & conſpiciuntur, ipſaque ſempiterna ejus virtus & divinitas, ita ut ipſi ſint inexcuſabiles.* Rom. 1:18. 19.20.22.

§. 16. Qui vero ex profeſſo omni ſtudio ſe tradiderunt conquirendæ quocunque modo omnis generis Sapientiæ, & quibus paulo altius rerum naturas inveſtigandi, & ex innatis notionibus ſuam cognitionem promovendi cura inſedit, primo Sapientes, & deinde Philoſophi dicti fuerunt. Tales reperti fuerunt Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Græci, Itali, Galli, Hiſpani, aliique plurimi, per Aſiam, Africam, & Europam diſperſi, hoc unum agentes, ut rerum cauſas inveſtigarent, & omnium cognoſcibilium rationes, quantum poſſent, inquirerent. Omnia eorum dogmata, & diverſiſſimas Sapientiam quærendi rationes proponere, non hujus, ſed alterius operis eſt. In genere tantum dico, eos multa cognoviſſe propria ſua luce adeo clara, ut abſque profunda meditatione cuique fere homini occurrant. Multa quæ ſenſuum experientia dictabat. Multa quæ longa traditionum ſerie innotuerant. Multa quæ conſuetudo cum aliis hominibus vivendi docebat. Multa quæ lectione librorum, hiſtoriarum, & ab aliis meditatorum receptione comparari poterant. Unanimiter tamen omnes ſummo ſtudio quæſiviſſe, quas ignorabant primas cauſas, veraque principia, ex quibus rationes eorum omnium quæ ſciri poſſunt deducantur. Nec hoc propoſitum ulli ſatis feliciter ceſſit. Alii quidem gloriati fuerunt ſe veritatem inveniſſe; quales fuerunt Stoici, Epicurei, Peripatetici, &c. ſed hæſerunt interim in medio plurimorum errorum. Alii, inter quos Clitomachus, Carneades, aliique Academici, aperte negarunt verum attingi & comprehendi poſſe. Alii ſemper quærentes, unde Sceptici dicti fuerunt, omnem veritatis certitudinem everterunt; quales Pyrrho, Timo, & alii. Nihil determinate vel dogmatice affirmantes aut negantes, ne quidem nihil aſſerendum vel dogmatice ſtatuendum eſſe. Aut aliquam dari veritatem, vel probabilitatem ejus, vel non, aut etiam inveniri poſſe, vel non. Imo ne quidem affirmantes ſe hæc affirmare: ſed apparenter exiſtimantes, ſibi videri, quod in omnibus per & juxta rerum apparentias ducantur & afficiantur. Miſerrimus & admodum deteſtabilis ille fuit errorum gurges & labyrinthus.

§. 17. Ita ut etiam hi omnes, tanquam *animales homines*, ut Apoſtolus loquitur 1 Cor. 2: 14. ſeu viventes in mundo ſecundum cæcum ſuorum affectuum impetum, ac vanas ſuas ratiocinationes, & brutos, abſolutum fere in animam dominium tenentes, corporum motus, denſiſſimis mentis ſuæ tenebris, & copioſiſſimo reliquæ ſibi rectæ rationis abuſu, incapaces fuerint eorum quæ Dei ſunt, id eſt quæ vel per naturam, vel ſupernaturalitet cognoſci poſſunt. Atque ipſis, quia vanitatibus ſuis ſe Sapientes exiſtimabant, ſtultitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

titia ſint, quæcunque præter eorum vanitates, per rectam Rationem, & innatum cognoſcendi lumen, ex primis à Deo inditis notionibus deducuntur, aut præter illas à Deo revelata cognoſcuntur. Imo ipſi ea cognoſcere non poſſint: nam innatis ſibi notionibus Dei & Sui, profundiſſimis tenebris contectis & per omnis generis rerum corporeatum cogitationes, penitus fere obliteratis, ac nulla præſente divina gratia, nullo modo apti eſſe poterant, ad ea, quæ non niſi iis mediantibus ſpiritualiter dijudicantur, cognoſcenda. Quare omnis etiam eorum Sapientia fuit vana, inſtabilis, peritura, ſtulta, quippe conſtans ex admodum inordinata congerie cogitationum & opinionum tumultuarie coacervatarum, inter quas quidem aliquæ bonæ, ſed plurimæ erroneæ, falſæ, & peſſimæ, ideoque inter ſe minime cohærentes. Qua de cauſa Paulus eam Coloſſ. 2: 8. merito dixit *inanem deceptionem*. Nam cum ex hac nihil ſcientes, mire tamen ſibi ſapere videantur, miſerrime decipiuntur & decipiunt.

§. 18. Horum Philoſophorum multi quidem ſua dogmata ſcriptis tradiderunt: ſed plurimorum ad noſtra tempora conſiſtere non potuerunt. Vivunt quædam Platonis ſcripta, Principis Academicorum. Vivunt & Ariſtotelis, Peripateticorum parentis. Et ex his ut plurimum hauſta fuerunt naturalis cognitionis dogmata. Plato, ſecutus veſtigia Socratis, ſui Præceptoris, viri modeſti, nec opum, nec voluptatis, nec gloriæ appetentis, ſtultitiam Dogmaticorum omnia determinantium riſit; & cum alii nihil ſe neſcire profiterentur, nihil ſe ſcire faſſus eſt. Quicquid tamen maxime probabile cenſebat, dialogis quibuſdam comprehenſum reliquit. Eum ante alios omnes Philoſophos excelluiſſe, & revelatæ Sapientiæ divinæ proximum fuiſſe, late demonſtrat Auguſtinus de civ. lib. 8. cap. 4. 10. Unde ex ejus ſchola ad Eccleſiam olim præſtantiſſimi viri tranſierunt, Juſtinus, Origines, Auguſtinus, aliique. Ariſtoteles, vir excellentis & admirabilis ingenii, quicquid vel ex antiquioribus tanquam probabile didicerat, vel iis probabilius invenerat, minori ingenuitate, tanquam verum & certum propoſuit, ac copioſis definitionibus & diviſionibus, aſſumptis & confictis etiam pluribus à rerum natura alienis principiis, in varia ſyſtemata redegit. Et ſe ſemper veritatem oculis præfixam, ac tam Platonis quam Socratis amicitiæ præpoſitam habere videri volens, antiquorum ſententias non candide, ſed ſæpiſſime plane contra eorum mentem & omnem veritatem enarravit, immutavit, corrupit & conſtupravit. Unde poſtea natus fuit immenſus diſputationum Philoſophicarum numerus, qui tum inde per turpiſſimam & iniquiſſimam revelatorum miſturam, infra demonſtrandam, ſine numero adauctus fuit.

§. 19. Ultimo vero hoc ſæculo, vir Nobiliſſimus Renatus Carteſius, fatentibus infeſtiſſimis ejus adverſariis, inter ſumma noſtri ſeculi ornamenta jure

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

jure merito reponendus, poſt longas & diuturnas peregrinationes, obſervationes & meditationes plurimum de naturaliter cognita veritate meritus eſt, & quantum potuit evitatis omnis generis confuſionibus, ac ſublato innumerabilium diſputationum numero, denſiſſimas diſpulit humanæ mentis tenebras, ita ut veritatis radii multo latius quaquaverſum diſpergantur. Nam poſt abſolutum ſtudiorum curriculum quo decurſo, in Europeorum ſcholis mos eſt, in eruditorum numerum cooptari, obſervans ſe vix quicquam certi didiciſſe, de quo non in utramque partem diſputetur, & quod à Scepticorum objectionibus, omnem veritatem evertentibus, dubium & incertum reddi non poſſet, Heroico & ſua laude digniſſimo conatu, non tantum omnes quas à juventute ſine legitima inquiſitione formaverat opiniones; ſed etiam quas audiendo, legendo, conferendo cum aliis, tanta diligentia quam ullus, collegerat; & univerſim omnes de quibus aliqua tantum vel minima reſtabat dubitandi ratio, quantum ſummo ſtudio potuit, ita ſepoſuit, quaſi receptæ nunquam fuiſſent. Et poſtquam ſibi præſcripſerat morum regulas, ſecundum quas interim dum veritatem inquireret, vitæ actiones, quam poterat prudentiſſime inſtitueret, profundiſſima meditatione & attentione ad primas, abſolute certas, & indubitatas, ſibi innatas notiones Dei & Sui, pertinaciter attendere propoſuit. Et ſtatuto certo ac immutabili decreto, nihil admittendi, niſi quod non ſenſibus, ſed innatæ Rationi adeo clarum, perſpicum & certum foret, ut nulla reſtaret incertitudinis ſuſpicio, vel minima de iis dubitandi ratio, ſuam cognitionem ex primis illis notionibus gradatim promovere conatus fuit. Quod propoſitum ei tam feliciter ceſſit, ut ejus dogmata, hoc modo demonſtrata, ſaltem in præcipuis, à peritiſſimis plurimis & maxime ſubactis ingeniis, non quidem pro oraculis & dictatis quæ ſola dicentium fide nituntur, ſed pro veriſſimis demonſtrationibus & γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις habita fuerint. Ac per totam Europam à viris Doctiſſimis eodem ordine, ex iiſdem principiis non tantum quotidie plura magis magiſque patefiant; verum etiam infinitæ quæſtiones & dubitationes tollantur & præſcindantur. Ita ut ejus laboribus in cognoſcenda per naturam veritate, plurimi & inmenſi facti fuerint profectus; ac infiniti detecti errores; nec non innatum cognoſcendi lumen innumerabilibns tenebris liberatum; & à Deo nobis indita, & à lapſu ex parte nobis reliqua recta ratio, in plurimis ad legitimum ſuum uſum non parum reducta fuerit. Unde orta fuerit quorundam hæc non probantium oppoſitio, hic enarrare non decrevi. Nil enim juvat infandum renovare dolorem.

§. 20. Hæc ergo Naturalis cognitionis humanæ prima corruptio. Hæ ejus reliquiæ in homine. Hoc eas excolendi ſtudium. Hæc negligentia fuit. Sequitur ut tranſeamus ad hominis cognitionem per Scripturam revelatam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Ut ita tandem pateat, quomodo hæ inter ſe confuſæ fuerint & ſecunda corruptione corruptæ; atque à ſe mutuo ſeparandæ ſint, & abſque confuſione vel miſtura inter ſe conjungendæ.

CAPUT QUARTUM.

De Divina Revelatione per Scripturam ſeu Theologia.

§. 1. Cum notiſſimum ſit, omnem ignoti revelationem non niſi quandam Cognitionem eſſe, ei quod nullam admittit cognoſcendi facultatem, nulla poteſt fieri revelatio. Nec revelari poteſt, id quod cognoſci nequit. Et quod nihil cognoſcit, nihil revelare poteſt: nam omni cognitionis lumine deſtitutum, nulli quicquam patefacere poteſt. Et quod omnia cognoſcit, quamvis ei nihil reveletur, nihil tamen ab eo non revelari poteſt. Quod vero nihil abſolute per ſe cognoſcit, neceſſario quicquid cognoſcit per revelationem ab alio cognoſcit. Quod autem ſibi cognitum alteri revelare nequit, fruſtra cognoſcit; niſi ſibi ſua cognitione plane ſufficiat, & Deus ſit. Tuum ſcire nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

§. 2. Creaturam autem cognoſcentem Deus creare non potuit, quin ſimul cum eſſentia dederit innatam cognitionem, ſeu cognoſcendi facultatem, qua ei per ſe pateant & aperta ſint, ea, quibus ad tantam ulteriorem cognitionem, quantam Deus concedere voluit, perduci poſſit, ut ſupra manifeſte probatum eſt. Quare hæc omnia per naturam ei à Deo revelata diximus cap. 2. §. 20. Verum cum Deus ſumma ſua perfectione non modo hæc, ſed etiam infinita plura, tam de ſe, ſua natura & voluntate, quam operibus ſuis, cognoſcat, ultra id quod à creatura per naturam, licet perfectiſſimam, cognoſci poteſt, ſine fine plura revelare & patefacere poteſt ignota. Imo talia homini non pauca patefecit in Scriptura. Quorum omnium cognitio Theologia dicitur.

§. 3. Omnis quidem ſermo de Deo, qui fit ex Deo, coram Deo, & ad gloriam ejus, Theologia denominatur: ſed cum primus de Deo ſermo creaturæ naturalis & quaſi innatus ſit, non niſi per ſecundam Revelationem ei ſuperaccedens, Theologia vulgo dicitur. Vetuſtiſſimi Græciæ ſcriptores, qui de Diis, eorumque natalibus, conjugiis, imperiis, cultu, & rebus geſtis, in ſummis tenebris, multa fabulati ſunt, primi appellati ſunt Theologi, & eorum ſcientia Theologia. Horum primi fuere *Poëtæ*, qui, ut inquit Cicero lib. 1. de nat. Deor. *& ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos:*

fecerunt-

feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: Odia præterea, diſſidia, adiſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effuſas in omni intemper ntia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortaleſque ex immortali procreatos; judicia non Philoſophorum, ſed hominum delirantium, & abſurdiora. Poëtis ſuccenturiati ſunt *Legum latores* & *Philoſophi.* Illi, vulgi mente præjudiciis obſeſſa, & abſurdiſſimis fabulis omni fere veritate deleta, cum plebs ſibi furores Poëticos eripi non pateretur, ac civitate potius quam ſcelerata de religione ſententia dejici voluerit, omnes antiquas fabulas in rem ſuam arripuerunt, atque totam Theologiam πολιτικὴν tanquam fabulam, ordini inter homines in vita civili ſervando accommodatam, habuerunt. Verum illis quaſi ſapientiores & oculatiores Philoſophi, omnia circumſpectantes ex intimis Atheiſmi lacunis φυσικὴν depromſerunt Theologiam. Cui Pythagoras adjecit συμβολικὴν & crypticam, ſeu αἰνιγματικὴν, quam ex præceptore ſuo Pherecyde Syro fertur hauſiſſe. Apoſtolorum vero doctrina dicta fuit λόγος ζωῆς *verbum vitæ* Phil. 2: 16. ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ *verbum crucis* 1 Cor. 1: 18. λόγος τῆς πίστεως, *verbum fidei*, 1 Tim. 4: 6. Cum autem in Apocalypſeos titulo Johannes dicatur ὁ θεόλογος, & Theologiæ nomen in Scriptura cognatis quibuſdam vocibus exprimatur, ut λόγου τοῦ θεοῦ, *Verbi Dei*, Hebr. 4: 12. τῶν λογίων τοῦ θεοῦ *verborum Dei* Rom. 3: 2. tandem civitate Chriſtiana donatum eſt vocabulum hoc: ſed ipſum præciſe tempus incertum eſt.

§. 4. Hanc ergo præter naturam per Scripturam à Deo revelatam cognitionem, ut diſtincte cognoſcamus, primo ſpectandum, quomodo creaturæ ſibi mutuo quid revelent; & tum quomodo Deus Creaturæ. Quamvis creaturam cognoſcentem ſibi ſolam ſuarum cogitationum conſciam eſſe, & non niſi ſibi apertum habere quod cognoſcit, antequam alteri revelaverit, neminem fugere poteſt. Verum etiam adeo conſcia eſt ſuæ facultatis, ſibi à natura præſentis, qua ſuas cogitationes alteri communicare poteſt, ut à nulla, niſi quæ contra ſe teſtimonium dixerit, negari poſſit. Quomodo vero id præſtet Creatura ſeparatim à corpore exiſtens, nullus hominum ſibi naturaliter certo conſcius eſſe poteſt, cum ejus Mens de vita ſeparatim à corpore non extiterit. Sed cum ea non pertineat ad ſcopum noſtrum, ſpectabimus cognoſcentem creaturam cum corpore unitam.

§. 5. Hic iterum certum eſt hominem non niſi mediante corpore & corporeis ſignis alteri quid revelare poſſe. Idque præcipue per voces & literas. Nam licet aliquæ gentes realibus characteribus utantur, & aliæ geſtibus, plurimæ tamen vocibus & literis, ſeu vel ore prolato vel ſcriptis conſignato ſermone utuntur. Et quocunque modo id præſtent, ſemper utuntur ſignis corporeis, ſonis, figuris, vel motibus, quibus ex inſtituto alligantur & ſigni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

gnificantur certæ quædam cogitationes. Nam à natura nullum corporeum ſignum cum aliqua cogitatione connexum eſt. Ut apparet ex diverſarum nationum maxima vocum & literarum diverſitate: nam iis omnibus eadem forent ſigna, ſi non ex inſtituto, ſed natura ſignificarent. Præterea cum nullum ſignum rem ſignificatam producat, ſed tantum ſignificet: nullus hominum in alio per ſermonem producit aliquam ſuam cogitationem, ſed ipſe ad ſigni perceptionem in ſe tales producit cogitationes, quales ad talia ſigna, ex communi inſtituto formandas novit. Quocirca & in eo qui, & in eo cui aliquid ſignificatur, non tantum requiritur cognoſcendi facultas, ſed etiam ut cognoſcat tum ſonos & figuras, tum quæ cogitationes ex inſtituto communi iis annectantur, id eſt noverit linguam & literas quibus utitur. Nam ſi alterutrum in alterutro deſit, impoſſibilis eſt aliqua cogitationum communicatio. Et fruſtra loquimur alicui, qui vel ſigna non percipit quibus utimur. Vel caret facultate, ad ea quaſdam in ſe excitandi cogitationes. Vel ignorat quæ cogitationes ex inſtituto cum talibus ſignis perceptis ſint connectendæ. Negandum tamen non eſt, quin hiſce ſignis mediantibus, per alium in noſtra cognitione plurimum proficere poſſimus. Non quidem ita, ut magis innoteſcat ſignificatio literarum & verborum: ſed ut de re ſignificata & cognita nobis detur diſtinctius, ordinatius, & perfectius cogitandi, ac in ea ſemper plura notandi & obſervandi occaſio: imo etiam per variam eorum compoſitionem, de talibus cogitandi occaſio præbeatur, de quibus alioquin cogitatum nunquam fuiſſet. Sic qui linguam latinam novit, ſcit vocem Animæ humanæ ſignificare illud per quod homo cogitat, vult, intelligit; nec unquam illud magis diſcit, poſtquam ſemel latinam linguam novit. Verumtamen aliis ſignis ei poteſt præberi occaſio, de illo ipſo, per quod concipit hominem cogitare & velle, diſtinctiorem formandi cogitationem, & in eo notandi plurima quæ primo obſervata non erant: atque ita plurimum in ſua cognitione proficiendi. Hinc autem contingit, quod in illorum hominum ſocietate, inter quos aliqui majore diligentia ſtudio & attentione ad ſuas cogitationes attenderunt, atque ita ſuam cognitionem promoverunt, major etiam adſit vocum, vel talium ſignorum numerus, quibus ſuam quam acquiſiverunt cognitionem aliis communicare poſſunt, vel occaſionem præbere, ſuam cognitionem eodem modo promovendi. Et præterea, quo perfectior ab aliquo & copioſior obtineatur cognitio eorum de quibus in aliqua ſocietate ſermones inſtitui ſolent, eo etiam intelligibilior ei & clarior evadit lingua, qua in ea ſocietate uti conſueverunt. Non aliter quam cujuſque artis periti, & facilius intelligunt quæ de ea ſcribuntur aut dicuntur, & pluribus verbis clarius exprimunt ea quæ de illa arte noverunt. Verum quoniam à vulgo, antequam diſtinctam rerum cognitionem vel quæſiverant, vel invenerant, impoſita fuerunt nomina, non alias,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

quam quas tum fovebant cogitationes, cum vocibus & literis connectere potuerunt, confuſas ſcilicet, obſcuras, & imperfectas. Et ideo linguarum vocabulis non tam ſignificantur & patefiunt res ſignificatæ, quam cogitationes quæ vulgo ab hominibus, iis vocabulis utentibus, de rebus formari conſueverunt. Quare, cum res non niſi ex, & in cogitationibus noſtris cognoſcamus, minime vero in vocibus, ſola attentione ad cogitationes, occaſione perceptarum vocum formatas, & earum diligenti examine, proficimus in rerum cognitione. Hinc omnis qui alteri quid revelaturus, ab eo vult intelligi, non tales quas ipſe cum rebus convenire cenſet cogitationes, cum vocibus quibus utitur connectere debet, ſed tales, ſive eas rebus convenire cenſeat vel non, ſive etiam conveniant vel non, quales ipſum cui loquitur connectere conſuetum cognovit. Et ſi illud vel ignoret, vel non faciat, intelligi non poterit. Ut V. G. quamvis quis exiſtimet, canem nihil cogitare, ſeu cum conſcientia percipere, intelligere, velle, &c. Si tamen loquens aliis, id, quamvis male, exiſtimantibus, velit intelligi, & riſum facere, vel ineptus videri nolit, iiſdem vocibus de cane tenetur loqui, quibus tales de cane formatæ cogitationes ab iis ſunt annexæ; & dicere, canem percipere quod videt; cognoſcere dominum & furem; velle quod proponitur nutrimentum, &c. Nec ideo vel contra mentem ſuam loquetur, ſeu falſum quid dicet; vel proximum fallet, aut in errorem inducet. Nam ea locutione non exprimit an cenſeat canem aliquid cognoſcere vel non: ſed tantum, illud in eo dari, quod vulgo pro ejus perceptione, cognitione, & volitione habetur. Nec ullus aliquam habet rationem hinc exiſtimandi illum cenſere quod canis percipiat vel cogitet, atque ita errandi: ſed qui id exiſtimat, non niſi ſua culpa & præcipitantia errat. Sed ſi quis exiſtimans canem nihil cogitare, velle, intelligere, docturus quid in cane ſit cum à vulgo dicitur cogitare, velle, intelligere, diceret & pro ſua mente exprimeret, id eſſe cogitationem, intellectionem, volitionem, jam & mentiretur, & falſum diceret, & aliis inevitabilem errandi occaſionem præberet. Quare ad recte intelligendum eum qui loquitur, neceſſario etiam diligenter attendendum ad eas locutionis & loquentis circumſtantias, unde pateat, quis ſit locutionis vel loquentis ſcopus, & quid ſibi per illa ſigna patefacere propoſuerit, & ipſe patefieri voluerit. An eas ſcilicet quas ipſe? An vero eas quas vulgus de rebus format cogitationes? Duabus autem præcipue de cauſis dicimur his ſignis aliquid vel clare vel obſcure ſignificare; ſcilicet vel quia claris aut obſcuris utimur ſignis; vel quia clara aut obſcura eſt res, ſeu potius cogitatio de re ſignificata. Vocis vel ſigni claritas in eo conſiſtit, quod ſit diſtincta, ſeu certam & determinatam habens ſignificationem. Quod ſit propria & non figurata figura vulgari. Quod ſit uſitata, & non de novo conficta vel antiqua & obſoleta. Ita ut omnis vocis ambiguitas, nos in-

certos relinquens quid ſignificetur, eam obſcuram reddat. Et tot obſcuritatis cauſæ ſint, quot præter vocum novitatem & antiquitatem, ac plurima vulgo ignota Rhetoricorum ornamenta, infinitarum ambiguitatum cauſæ ſunt; quas hic omnes enumerare nihil attinet. Obſcuritatem rei magis ab intellectu, & cogitatione noſtra de re, quam ab ipſa re dependere, ſupra cap. 2. §. 5. dictum fuit. Sed quia tamen, ut ibid. §. 18. notatum, unum alio prius cognitum, in tantum etiam alio clarius dicitur, quamvis minus proprie, cum potius natura prius dicendum foret; Hinc etiam fit ut aliquid clarius, vel potius magis ſecundum ordinem naturæ exprimatur, ſi primo id quod prius cognoſcitur, & deinde id quod ſequitur, quam ſi contra priora poſtremis permiſta, exprimantur. Deinde quemadmodum etiam ex eodem cap. 2. §. 5. majus exiſtimatur cognoſcentis lumen, ſi vel plura cognoſcat, vel de eo quod cognoſcitur plura pateant: ſic & clarius exprimitur & ſignificatur, quod vel pluribus ſignis idem ſignificantibus exprimitur, vel de quo plura ſignificantur. Et quemadmodum de multis rebus inter ſe, & de rebus multis modis compoſitis, non niſi difficulter clari fiunt conceptus: ita & eadem difficultas eſt in iis clare exprimendis. Infinita, quatenus talia, quidem obſcura dicuntur, ſed admodum improprie: nam magis incomprehenſibilia quam obſcura ſunt.

§. 6. Deum etiam, præter revelationem per naturam, de qua ſupra cap. 2. §. 20. & hujus §. 2. iiſdem ſignis homini ſuam voluntatem & cogitationes patefacere poſſe, non eſt quod dubitetur. Nam cum efficaciſſima ſua voluntate omnia poſſit, proculdubio eoſdem motus, ſonos, & figuras, quibus homines ſuas alligarunt cogitationes, in aliquo corpore excitare poteſt: nihil enim ad divinam voluntatem non movetur. Et cum ſit Omniſcius, novit quæ cogitationes inter homines iis ipſis ſignis alligatæ fuerint, id eſt novit omnes humanarum vocum ſignificationes inter ipſos. Atque adeo, ſi modo voluerit, hominibus, eodem modo quo ipſi inter ſe, ſeu iiſdem ſignis, quicquid placuerit ſignificare poteſt. Imo Deum hominibus ſic quædam revelaſſe, negari à nullo poteſt. Nec negat Anonymus, utpote qui cap. 1. pag. 3. concedit, *Deum Moſi vera voce leges revelaſſe.* Cum autem Deus in illa revelatione proculdubio voluerit intelligi ab hominibus quibus loquebatur; neceſſario voces quas adhibuit in eadem ſumpſit ſignificatione, qua inter ipſos erant notæ & uſitatæ; id eſt cum iis connectere non potuit cogitationes tales, quales ipſe de rebus quibus loquebatur, formandas noverat, ſed quales illi homines connectere conſueverant. Nam alioquin à nullo hominum intelligi potuiſſet, quid ſignificare Deus voluiſſet, & nova, nulli hominum nota, fuiſſet formanda & adhibenda loquela; quæ plane fruſtranea & inutilis fuiſſet, niſi vel aliis uſitatis verbis homines eam docerentur, vel alio inconceptibili modo ea iis infunderetur.

§. 7. Ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 7. Verum tamen inter hanc Dei patefactionem ſuæ voluntatis per loquelam, & inter eam quæ ab hominibus per eandem fit, multiplex diverſitas eſt. Nam cum Deus ſit Omniſcius; & ob ſummam ſuam perfectionem nec falli, nec fallere, nec quemquam velle fallere poſſit, non tantum ſermo divinus ab omni errore liber eſt, & nihil falſi continere ac patefacere poteſt: ſed etiam quicquid eo, conſideratis omnibus ad eundem intelligendum requiſitis, ſignificari poteſt, eodem ſignificatur. Nam alioquin Deus, talem adhibens loquelam, qua, ponderatis omnibus antecedentibus & conſequentibus, aliiſque neceſſariis ad expiſcandam alicujus orationis mentem, non unum ſed plura ſignificarentur, quorum unum tantum ſignificari voluiſſet, hujus erroris, quo homines, etiam hoc ſignificari cenſentes, aberrarent, cauſa foret. Nam homo hunc errorem, Dei culpa, evitare non potens, in eundem, nullius culpæ reus, neceſſario incideret. Quæ omnia de humano ſermone minime dici poſſunt. Nam cum homo ob finitudinem mutabilitati obnoxius ſit; & falli & fallere poteſt: aliud mente tenens quam eſt in re, & aliud verbis exprimens quam mente tenuit: nec omnia quæ verbis ſuis ſignificantur mente perpendens. Ita ut de humano ſermone minime dici poſſit quod de divino, omnem ſcilicet verum ejus ſenſum eſſe veritatem, & omnem veritatem, quam ſalvis omnibus circumſtantiis admittit, verum ejus ſenſum eſſe; id eſt quicquid eo ſignificatur non niſi verum eſſe, & quicquid veri iis ſignificari poteſt, iis ſignificare voluiſſe. Poſtquam in humano ſermone cognoſcitur vulgaris verborum ſignificatio, videndum quid homo, vel ſtudio, vel per ignorantiam eam deſerens, iis ſiguificare voluerit; & deinde examinandum, an id ipſum ſatis verum ſit, & rebus conforme. Sed nullum ex his de Deo cogitari poteſt; Falleret enim hominem, ſi ſtudio aliam & hominibus ignotam ſignificationem verbis annecteret, & ſola ſua culpa intelligi non poſſet. Falleretur, ſi id per ignorantiam faceret, aut aliquid ſignificaret quod rebus conforme & verum non foret. Atque hæc repugnant. His de cauſis etiam Deus quicquid revelat pro ſua complacentia clare, vel obſcure patefacere poteſt, prout homines magis vel minus docere, vel ad diligentem inquiſitionem excitare voluerit. Cum homines è contra ſæpius aperte dicant, quæ obſcura volebant, & obſcure, quæ vellent apertiſſima.

§. 8. Præterea cum homo alteri tantum pauca, tum quæ continuo ſtudio & attentione ad primas ideas; tum quæ ex aliorum revelatione; tum quæ per experientias; aut quovis alio modo novit, his ſignis narrare & patefacere poſſit. Deus omniſcius, quicquid ex omnibus quæ ſcit, voluerit, revelare poteſt. Non tantum ſcilicet ea quæ primis notionibus continentur & ex iis deduci poſſunt, quamvis etiam ſæpe ab hominibus, in quibus multis tenebris obſitæ ſunt, nec deducantur, nec naturæ viribus, ſine divino auxilio deduceren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cerentur unquam: ſed & ea quæ olim præterita, ex omnium hominum memoria deleta ſunt: & quæ futura, etiam ipſa libera voluntate humana intercedente, à nullo proſpici poſſunt: ut & omnia quæ ipſe ab hominibus pro ſua libertate fieri voluerit, talia præſcribens & patefaciens ei mandata ſua, quæ ſine tali revelatione nulli patere potuiſſent: nec non de ſe & operibus ſuis talia quæ omnem humanum captum tranſcendunt. Nam Deo nihil tenebris involutum. Nulla præteritorum oblivio. Nulla futurorum obſcuritas aut ignorantia: ſed perfectiſſima ſui, voluntatis & operum ſuorum præſentiſſima cognitio. Nec requiruntur huc in homine novæ cogitationes ſeu ideæ, nec novæ voces, aut earum ſignificationes, ſed ſufficiunt illæ ideæ quas homo per facultatem ſibi à nativitate divinitus conceſſam formare poteſt, & illæ vocum ſignificationes, quibus cum aliis hominibus uti conſuevit, nam Deus eas ſine fine diverſis modis conjungens, & in hominibus conjungendas patefaciens, ſine fine plura quam homo naturaliter cognoſcit, per eas illi revelare poteſt. Sic V. G. ad revelandam Trinitatem, per unionem harum vocum, tres perſonas in unica infinita eſſentia ſubſiſtere, non nova generatur aut requiritur idea, ſed tantum de novo patefit iis vocibus annexas ideas in mente ſimiliter uniendas eſſe ubi de Deo cogitatur. Ita ut nec ideæ nec vocum ſignificatio, ſed ſola earum conjunctio in his à revelatione ſit. Quod autem nos id quod per talem idearum revelatam conjunctionem cognoſcitur, non comprehendamus, non oritur ex vocum defectu, ſed mentis noſtræ finitudine, & divinæ naturæ infinitudine. Unde quæ Paulo fuerunt *ineffabilia*, 2 Cor. 12:4 nobis etiam ſunt inconceptibilia.

§. 9. Cum autem Hominis ſenſus alii ſint interni, alii externi, Deus non tantum his, ſed etiam illis, ſine hiſce, per varia ſigna multa revelare poteſt, licet homo alteri non niſi his quicquam revelet. Si quid enim alicui ex Memoria exciderit, id ei ab alio homine revocari nequit, niſi mediantibus ſenſibus externis. Nec ſine iiſdem in alicujus Phantaſia quædam imago excitari poteſt. Sed Deus omnipotens, in hominibus tum vigilantibus, tum dormientibus, non tantum reſuſcitare poteſt Memoriam diu obliteratam, verum etiam in Phantaſia repræſentare plurima nunquam homini viſa vel audita: ita ut externi ſenſus nullo modo afficiantur. Sola ſua voluntate commune ſenſuum internorum organum cerebrum ſcilicet, ita diſponendo, ut in eo præſentia ſint, diu deleta præteritorum veſtigia: uti Chriſtus Diſcipulis promittit. Sp. S. qui ὑπομνήσει ſuggeret, ſeu in memoriam revocabit omnia quæ ab ipſo dicta fuerant Joh. 14:26. Tales etiam motuum determinationes in cerebro divina ſua voluntate producendo, quales ad quaſcunque viſorum, auditorum, &c. Imagines ibidem requiruntur: ita ut ſæpe tanquam externis ſenſibus, quibus tamen nihil offerebatur, viſa, auditaque occurrant. Sic in

Scriptura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Scriptura narratur varios diverſiſſimas vidiſſe viſiones, & ſola ſua imaginatione voces audiviſſe, quorum exempla plurima dabimus infra ubi de Prophetis & Prophetiis. Quoties autem Deus, in his per internos ſenſus factis revelationibus adhibuit voces iis quibus eas offerebat uſitatas, & iiſdem ſignificavit ea quæ vulgo ſignificant, uti Petro contigit in viſione Act. 10: 10. 13. 15. facile notum fuit id quod revelabatur. Mox enim intellexit Petrus hoc mandatum, *ſurge Petre, macta & ede.* Sed ſi præterea tanquam in ænigmate aliud quid ſignificabatur, neceſſario requirebatur ut ipſe Deus in mente illius cui id revelare volebat, cogitationes eorum quæ ſic ænigmatice revelabantur, excitaret, vel poſtea tales produceret effectus, quibus ea verba applicanda eſſe manifeſte pateret. Quemadmodum Petrus ibid. primo *dubitans quidnam eſſet viſio quam vidiſſet*, poſtea ex iis quæ contigerant, dicere potuit, *Deus mihi oſtendit neminem communem aut immundum dicere hominem.* Similiter ſi adhibuit res & notas earum imagines, ſub actionibus & diſpoſitionibus notis, facile cognitum fuit id quod revelabatur. Sed ſi vel rerum ignotarum imagines, vel nihil aut ignotum quid agentes, adhibuit, neceſſario rerum revelatarum notitia, ſeu cogitationes, ab ipſo Deo excitari debuerunt, in eo qui eas intelligeret. Hac unica ratione Daniel cognovit & explicare potuit ea quæ Deus in viſione repræſentaverat, & Nebucadneſari incognita, Danieli vero nota fecerat occurrere.

§. 10. Verum cum homo non tantum per externos & internos ſenſus, memoriam & imaginationem, ſed etiam per purum Intellectum cognoſcat; dubitari nequit, quin Deus etiam per intellectum ei revelare poſſit quicquid voluerit. Nam cum omne cognitionis humanæ lumen à Deo ſit, proculdubio etiam Deo ſubeſt, & à Deo dependet, ut tot & non plura, vel plura cognoſcat aut non. Sed quomodo hoc fiat, non adeo perſpicuum nobis eſt, cum non niſi mediante corpore cuiquam quid patefaciamus: Et ita vix nobis conſcii ſumus, quomodo ab uno ſpiritu alteri quicquam reveletur immediate per intellectum. Idque tanto minus quod Deus mentem noſtram infinita ſua potentia, tam intime, & ſuaviter ſecundum ſuam voluntatem moveat, flectat, & dirigat, ut nullam externam vim ſentiens liberrima ſua ſponte voluntatem divinam ſequatur. Attendentes tamen ad innatas nobis notiones Dei & Noſtri, Primo manifeſte videmus non repugnare, Deum humanæ mentis ſimplici intellectui quid patefacere, perfectiſſima & efficaciſſima ſua voluntate efficiendo, ut immobiliter inhæreat & intendatur iis, quas quocunque modo habet, cogitationibus; atque ita remotis omnis generis impedimentis in, & ex iis videat ſeu cognoſcat & cogitet, quæ, cum propter multiplicem ſuam imperfectionem nunquam talem attentionem in ſe habuiſſet aut habere potuiſſet, nunquam vel cognoviſſet vel cognoſcere potuiſſet. Quare, cum

 homo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

homo corruptus nullis ſtudiis eo perveniſſet, omnia ſic cognita, à Deo revelata merito dicenda ſunt. Talia ergo ſunt omnia, quæ prædicta virtute divina cognoſcuntur ſuper & præter ea, quæ vel ex naturæ principiis, vel ex iis quæ externis aut internis ſenſibus occurrunt, corruptæ naturæ ſtudiis innoteſcunt. Certum enim eſt, hominem corruptum, pro majore vel minore ſuæ mentis corruptione, continuis ſtudiis ex iis multa cognoſcere poſſe. Sed certum etiam Deum ex iis illi multo plura patefacere poſſe, ſeu efficere ut ei occurrant, quæ abſque illa divina virtute nunquam in iis vidiſſet, quamvis in iis contineantur. Nam tantum *ex parte cognoſcimus & ex parte Prophetamus* 1 Cor. 13: 9. Hac divinæ revelationis virtute Chriſtus & Apoſtoli multo plura & ex natura & ex Scriptura aperta & manifeſta viderunt, quam alii quibus illa divina revelatio non obtigerat. Nam & ex natura & Scriptura varia probarunt aliis ignota plane. Idque non tantum argumentis in iis contentis & cuique notis, ſed etiam aliis ignotis plane. Unde merito in iis omnibus διδακτοὶ Θεοῦ *edocti à Deo* dicti fuerunt Joh. 6:45. ſecundum Jeſ. 54: 13. Deus etiam hoc modo *aperuit cor Lydiæ ut attenderet iis quæ à Paulo dicebantur* Act. 16: 14. Et David Pſalm 119: 18. Deum precabatur *retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.* Hic eſt *animus* ille *intelligens* quem petebat Salomon *ad dijudicandum populum ſuum diſcernendo inter bonum & malum* 1 Reg. 3: 9. Hæc eſt illa *mens ad cognoſcendum*, *oculi ad videndum*, *aures ad audiendum*, Iſraelitis olim in deſerto denegata Deut. 29: 4. Hac ratione Chriſtus ſuorum *mentem aperuit*, *ut intelligerent Scripturas*, Luc. 24: 45. Hic eſt ille *Spiritus* σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως *Sapientiæ & Revelationis*, quem dat ὁ πατὴρ τῆς δόξης *Pater gloriæ*, & unde homines habent πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας: *illuminatos oculos intellectus* ſeu mentis, ut loquitur Apoſtolus Eph. 1: 17. 18. Verum Secundo Deus etiam hoc modo intellectui creato revelare poteſt quæ vult, ſi Divina ſua virtute ſimplices ejus cogitationes & notiones talibus modis conjungat & ſeparet, quibus nunquam conjunctæ fuiſſent, aut eas conjungendas eſſe naturaliter ullis ſtudiis patere potuiſſet. Nam ſic ei patefiunt ea quæ nunquam cogitaſſet; non aliter quam diverſimoda literarum conſtructione, infinita diverſa dici & exprimi poſſunt. Sic mediantibus notionibus, juſtitiæ, fidei, vitæ patefecit juſtum ex fide vivere. Sic omnes Hiſtoriæ revelantur. Et plurima quæ à Prophetis etiam per internos & externos ſenſus cognoſcuntur, præcipue ſi per ignotæ vel inuſitatæ ſignificationis ſigna patefiant. Imo etiam ipſa Myſteria ſic revelari poſſunt; vel id quod de Myſteriis revelatum cognoſcitur, hoc modo cognoſcitur revelatum, ut de ſe teſtatur Paulus Gal. 1: 11. 12. & Eph. 3: 3. 4. collatis Act. 22: 17. 21. & 26. 16. 17. Tertio nullo modo repugnat, Deum, qui omnem creaturam intelligentem continuo conſervat, & ei talem dedit cognoſcendi facultatem,

qualem

qualem dare placuit, qua per ſe tot, & eas ideas poſſit excitare, quas ipſe à natura excitari poſſe voluit, efficere poſſe, ut præter eas etiam novas alias excitet, vel ſaltem aliæ ei occurrant ad quas naturaliter creaturæ nullus patet aditus. Quales forte fuerunt inditæ Paulo formandæ ad illa ἄῤῥητα ῥήματα ineffabilia verba, quæ neſciebat, an in corpore, an vero extra illud audiverat 2 Cor. 12. 4. Nam hoc modo patefacta, propter naturalem earum idearum in aliis abſentiam, cum iis communicari non poſſent. Sed hanc revelationem multis aut ſæpius contigiſſe, non eſt quod aſſeratur.

§. 11. Quicquid autem hiſce modis revelatum cognoſcitur, ſi probetur, creditur & fide tenetur: ſin minus, pro incredibili habetur. Fides enim eſt aſſenſus alicui adhibitus ob dicentis vel revelantis auctoritatem. Quæ auctoritas conſiſtit in percepta & agnita ejus perfectione probitatis & ſapientiæ, unde credens certus ſit, dicentem abſque errore & falſitate noviſſe & dicere quæ novit. Nam prout eum magis vel minus veracem, doloſum, fallibilem, &c. cenſet, eo magis etiam vel minus fide dignum exiſtimat. Et cum hoc nunquam de ullo homine, indubitato certo cognoſcamus, omnis humana fides fallibilis eſt. Sed cum Deus perfectiſſimus abſque veracitate & omniſcientia concipi non poſſit, fides divina plane infallibilis eſt, & fieri nequit, aſſenſum, qui nititur teſtimonio divino, falſum aut erroneum eſſe. Quod natura notum eſt, etiam quidem ab eodem Deo revelatum dici poteſt, & omnem ſuam certitudinem habet in divina veracitate, ſed tamen credi non dicitur aut fide teneri, quia fides naturam ſupponit, & ei quaſi ſuperaccedit. Verum quemadmodum mens tenebris obſita ſæpe pro natura notis habet quæ talia minime ſunt, & idcirco ad requiſitam eorum certitudinem non ſufficit ſcire Deum omnia naturaliter nota revelaſſe, eaque indubitatæ certitudinis eſſe: ſed etiam requiritur menti certum eſſe, quod naturaliter nota ſint quæ pro talibus habet. Sic quoque non ſufficit ad fidei certitudinem ſciri, Deum eſſe veracem, & falli ac fallere neſcium, ut & ab eo revelata indubitatæ certitudinis eſſe: ſed ſciendum etiam à Deo revelata eſſe, quæ pro talibus habentur; nam ex eodem prædicto mentis defectu etiam ſæpe pro revelatis à Deo habet, quæ talia non ſunt. Illa autem innoteſcunt ex ſuo principio, natura ſcilicet & ordine quo ex ea fluunt & ſequuntur. Hæc ſuo, revelatione præter naturam, & modo ac ordine quo per eam cognita ac patefacta ſunt. Quibus recte perpenſis; illa ſciuntur, ſeu certo cognoſcuntur; hæc creduntur, & indubitata fide tenentur. Illis Mathematica; his Moralis certitudo tribuitur. Utraque pro objecti ſui natura certiſſima eſt.

§. 12. Et quemadmodum Cognitio Naturalis aliquod Rationis ac Naturæ lumen eſt, ſic hæc eſt lumen Revelationis & Fidei. Quod ut diſtincte cognoſcatur, non eſt concipiendum quaſi foret facultas ab ipſa ratione diverſa, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

alius aliquis intellectus naturali veluti ſuper inductus, qui novam ſpeciem hominum efficiat: ſed vis quædam, non profluens à natura, ſed ex divina gratia, rationem ita afficiens & perficiens, ut quod illa per ſe naturaliter præſtat in rebus naturalibus quæ intelligi poſſunt, illud præſtare poſſit in rebus quæ naturæ modum ſuperant, quæque in verbo Dei revelantur. Atque adeo ſi Rationem ſeu Cognoſcendi facultatem reſpiciamus Revelationis & Naturæ lumen plane idem eſt. Si etiam ad ipſam Cognitionem attendamus, eadem plane eſt formalis ratio cognitionis qua quid natura & præter naturam revelatum cognoſcitur. Sed ſi Rationem ſeu naturalem cognoſcendi facultatem conſideremus ſecundum perfectionem ſuam, hoc lumen gratioſæ revelationis divinæ, aliud à naturali, & longe perfectius eſt. Nam mens naturali ſua facultate, abſque hac perfectione non aſcendit ad cognitionem eorum quæ ſuperant naturam: ſed intra determinatos & limitatos naturalis luminis radios ſe continere tenetur, uſque dum hac gratioſa vi divina magis illuſtrata, longius proſpicere queat. Præterea cum naturæ lumen in omnibus hominibus valde denſis tenebris obſitum ſit, & lucidiſſimæ facis à Deo in natura accenſæ poſt hominis defectum parvæ tantum ſuperſint ſcintillulæ, tenebris per hanc divinæ gratiæ virtutem diſpulſis, & naturalis luminis reliquiis per eandem recte curatis, homini quaſi de novo lumen obtingit, & naturæ lumen ſuos radios divina gratia multo longius projicit, quam per corruptionem impeditum poterat. Hac ergo virtute ſic *illuminata Ratio*, διάνοια πεφωτισμένη ut inquit Apoſtolus Eph. 1: 18. lumen quod in ſcriptura radiat, videre, & in eo vivere, ac fide acquieſcere poteſt. Sed omnibus ad quos verbi & Revelationis Divinæ notitia pervenit, non eadem hujus luminis menſura conceditur. Aliis quaſi per nebulam veritatem è longinquo videre datur. Aliis nitidiſſima veritatis facies affulget. Nonnullis aliqui tantum patent veritatis radii. Aliis copioſiſſimi. Quorundam menti veritas firmiter inhæret. Aliorum quaſi per tranſennam tranſit, & leviter modo ſtringit. In uno mentem ita diſponit ut fuget omnes alias vanas ratiocinationes, attentam revelatæ veritatis contemplationem impedientes. In alio infinitis appetitibus & deſideriis ac rerum corporearum cogitationibus penitus obruitur. Alios conſtanti & ſolida lætitia perfundit. Aliis concedit gaudium nullo modo radicatum. In aliis fructus profert ſalutiferos. In aliis vel nullos, vel externa tantum ſpecie bonos. Vel etiam aliorum corda quemadmodum ſolutum, indurat. Cum aliorum inſtar ceræ diſſolvat. Et quis enumeret omnes differentias quibus hoc divinæ gratiæ lumen affecit non modo Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, Paſtores & Doctores Eccleſiæ, ſed etiam tot, tam multorum ſeculorum electas & fideles Animas. Deum autem hac ratione, à prima mundi exiſtentia, Patribus, tum de ſe & operibus ſuis, tum de eorum officio, tam erga Deum, quam proxi-

mum

mum plurima revelaſſe, tam notum quam notiſſimum eſt. Ea hic enumerare præter ſcopum, & immenſi operis foret. Deum etiam quoddam hominum genus elegiſſe, cui ſe ante multos alios copioſiſſime revelavit, præcipue patefaciens viam ſalutis, qua pateat aditus ad propriorem cum Deo communionem, ac æternam & immutabiliter conſiſtentem beatitudinem, negari nequit, niſi omnium quarumcunque Hiſtoriarum fides abnegetur. Eas revelationes poſtea, ne perirent, & aliis multis de cauſis, divino inſtinctu à viris Sanctis literis mandatas, & Eccleſiæ traditas, ac receptas ab ea fuiſſe, & Judæorum & Chriſtianorum continuo conſenſu comprobatur. Et eas has ipſas eſſe, quæ jam Sacræ Scripturæ nomine nobis proponuntur, plurimis efficaciſſimis argumentis à viris doctiſſimis ſæpe probatum fuit. Quæ hic repetere nullo modo propoſui: ſed eadem defendere nunquam defugio. Quemadmodum circa factas patribus revelationes, & Iſraelitici populi divinam electionem, ac receptam inter Chriſtianos ſacram Scripturam, in ſequentibus, Deo volente, id ſum præſtiturus. Hac unica de cauſa latius horum examen jam intermittens. Ita ut explicata, divinitus per Naturam & Scripturam facta, revelatione, nihil reſtet, quam ut utriuſque Conformitas, Diſtinctio & mutuum inter ſe auxilium ſpectetur; & demonſtretur, qualis, ex earum iniqua miſtura, tam hujus quam illius deteſtabilis ſit orta corruptio. Ut ita pateat quam neceſſario diſtinguantur; & quam iniquam earum ſeparationem, & mutilationem utriuſque miſerrimam, inſtituat Anonymus.

CAPUT QUINTUM.

De utroque modo Revelatæ Cognitionis Conſpiratione, Diſtinctione, & mutuo inter ſe auxilio. Nec non de utriuſque Confuſione & inde ſecuta Corruptione.

§. I. SI utriuſque Cognitionis tam per Naturam quam Scripturam revelatæ cauſas & originem ſpectemus, idem Deus eſt. Qui homini non minus indidit primas & ſimplices ſui, Deique notiones, quam revelavit ea, quæ ſola naturali notionum illarum conſideratione, innoteſcere non poſſunt. Idem fons & ſcaturigo luminis in natura & ſcriptura ſplendentis. Eadem plane cognoſcendi ratio qua cognoſcuntur ea quæ naturaliter, & quæ præter naturam revelata ſunt. Eadem Mens, & eadem ejus facultas quæ percipit per naturam & Scripturam nota. Eadem utriuſque certitudo, ſumma ſcilicet quam admittit rerum natura. Idem immutabile certitudinis fundamentum, ſcilicet fallere vel falli neſcia perfectiſſimi entis veracitas. Idem utriuſque ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

jectum, Dei, hominis, & divinorum operum, ac humanorum erga Deum & proximum officiorum cognitio. Idem finis, vita ſcilicet in unicam Dei gloriam cum & coram eo beate tranſigenda. Unde plane repugnat aliquam inter eas dari poſſe pugnam aut oppoſitionem, & quicquam per naturam verum, falſum eſſe per ſcripturam, aut contra. Non enim *ex eodem fonte emanat amarum & dulce*, verum & falſum Jac. 3: 11. Atque adeo apertiſſimum eſt, vel rationis errores pro veritate, vel hominum figmenta pro divinis revelationibus haberi, quoties hic aliqua pugnæ ſpecies occurrit. Apertum etiam, quod ipſa Ratio ſumma cum ratione ſe abnegandam fateri teneatur ſi quid poſt legitimum examen à Deo revelatum agnoſcat, contrarium ei quod per naturam clariſſimum crediderat. Et erroneam vel non ſatis examinatam eſſe revelationem, quæ aperto naturæ lumine contrariatur. Nam inter veritates quocunque modo à Deo revelatas, nullus poteſt dari diſſenſus, aut umbra diſcordiæ.

§. 2. Verum non adeo conveniunt, quin etiam multiplex inter eas occurrat diſtinctio & diverſitas, quæ ubique ſe prodit, ſive oculos conjiciamus in earum Principia & fundamenta, ſive reſpiciamus earum ſubjectum, objecta & finem. Illa fluit ex notionibus à Deo cum natura conceſſis. Hæc non niſi ex revelatione naturæ ſuperaddita. Hæc non ſine illa. Illa vero ut plurimum ſine hac. Abſque illa nullus poteſt concipi homo. Hæc autem ei non niſi per Dei gratiam adeſt. Illa per humanam corruptionem multis tenebris obſita eſt. Hæc vero adeo clare in Scriptura proponitur, ut quorumvis oculos perſtringat. Illa natura. Hæc præternaturali revelatione nititur. Nihil cognoſcitur natura, quod revelari non potuit. Multa vero ſunt revelata, quæ natura detegi non poſſunt. Naturæ ſcopus & ultimus finis eſt Dei glorificatio, in hominis vel obedientia ac operibus, & inde conſequente ſalute vel in obedientis juſta pœna. Revelationis vero, ejuſdem glorificatio in hominis ſalute per vivam & frugiferam fidem in & per Chriſtum à Deo ex ſola ſua miſericordia præſtanda, vel æterna infidelibus infligenda pœna. Unde patet nec hanc ex illa, nec illam ex hac ſuam habere certitudinem; nec illam huic, nec hanc illi ſubjectam eſſe. Hæc quidem altius aſcendit quam illa, ſed nunquam in eam dominium aſſumit. Illa quidem hanc recipit; ſed prout à Deo pateſit. Non ad arbitrium ſuum eam format, aut ſe regulam & normam ejus ſtatuit, ſed ſumma cum veneratione recipit, & omni modo ſe Deo ſubjectam agnoſcit.

§. 3. Non parvum tamen ſibi mutuo præbent auxilium, tam ad promovendam hominum ſalutem quam ad illuſtrandam ſummam Dei gloriam. Illa enim, ſi recte adhibeatur, non modo detegit univerſalem omnium errorum fontem & prima cujuſvis certitudinis fundamenta; ſed etiam claras & diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ctas docet formare cogitationes; mentem judicio maturam à præcipitantia retinet; & cautius ac circumſpectius judicare docet; ut & modum ac methodum judicii recte formandi, & quocunque modo comparatam cognitionem humanam legitime promovendi, præſcribit. Quibus non modo Theologiæ, ſed etiam omnibus aliis Scientiis ineffabilem præſtat utilitatem. Rationis lumini impervia ſint ſola præternaturali revelatione cognita ſalutis Myſteria, & eorum clara non habeatur ac diſtincta perceptio, non tamen fide recipi poſſunt, niſi clare & diſtincte recipiatur quicquid de iis à Deo revelatum fuerit. Ita ut ne quidem eorum ulla poſſit dari certitudo, niſi revelationis clara & diſtincta perceptio præceſſerit. Deinde quid non docet de Deo, ejus Natura, Potentia, voluntate & operibus? Quid non de Homine, ejus Anima, Corpore, & ex utriuſque unione profluentibus paſſionibus, ac totius officio circa Deum & proximum? Ex aliquali ſui notitia Dei exiſtentiam probat, qua incerta, nulla poteſt dari revelationis certitudo. Deinde patefacit Dei Potentiam & veracitatem, quæ quocunque modo revelatæ cognitionis, unicum fundamentum ſunt. Patefacit ſui à Deo dependentiam, unicum fontem omnium officiorum Deo & proximo præſtandorum. Et alia plurima detegit attributa divina quæ hominem non modo impellunt ad Dei cultum & obedientiam, ſed etiam accendunt flagrantiſſimo Dei amore. Deum docet omnium rerum Creatorem ac Conſervatorem efficaciſſimum, qui omnia novit, omnibus adeſt; omnia regit pro arbitrio; & in eum quem voluit finem, ſuam ſcilicet gloriam, ſapientiſſime dirigit. Tantam retegit operum divinorum amplitudinem & perfectionem, ut ea, quantacunque ſibi offerat, nunquam tamen ſatis ampla, pulchra, & abſoluta imaginari poſſit, aut quicquam in iis obſervare, quod ad ſuſpiciendam ſumma cum admiratione Dei Sapientiam & Bonitatem, ac maximas ei agendum gratias, non impellat. Quibus Theologum reddit aptiſſimum, ad obturandum os ſtolidiſſimorum illorum hominum, qui iiſdem veritatibus, à Deo per Scripturam revelatis, impudenter & contra naturæ lumen obſtrepere nullo modo verentur. Docet præterea Natura, vitare tam peſſimam illam & abſurdiſſimam Dei cum creatura confuſionem, quæ non tantum omnis idololatriæ, ſed etiam ipſius Atheiſmi origo fuit, quam omnibus hominibus peccato corruptis ab infantia familiariſſimam illam Mentis cum Corpore confuſionem, quæ & eorundem & infinitorum aliorum errorum per univerſam Theologiam & Philoſophiam quammaxime frugifera fuit. Et ſi ſolam hominis Mentem ſpectemus, quæ non de ea patefacit natura, ſine quibus, ne quidem de pauciſſimis eorum quæ Deus revelare præter naturam voluit, clari & diſtincti, qui ad certitudinem ſufficiant, poſſunt formari conceptus? Eadem hic enumerare, nec tempus nec charta permittunt. Si reſpiciamus Mentis unionem cum corpore, & omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

omnes ſenſus, imaginationes, affectus, apperitus, & deſideria inde profluentia, quid non natura detegit de Mentis officio in eorum directione, & infinitis ejus defectibus, innato lumine cuique notiſſimis? Et tandem (quis enim omnia recenſeat) ad complanandam fidei viam, docet naturæ lumen multa reperiri in Dei Natura, Potentia, voluntate & operibus, humano intellectu omnino impenetrabilia; ut ita non modo diſcamus de Deo & ejus operibus ſatis magnifice, & de nobiſmet ipſis non nimis ſuperbe ſentire, tanquam ſi vel vis noſtræ cogitationis ultra id quod à Deo revera factum eſt, ferri poſſet, vel fines quos ſibi Deus propoſuit in creando univerſo, ingenii noſtri vi comprehendi: ſed etiam in rebus fidei rationem captivare, & ſupernaturali divinæ revelationi ſubjicere, ſi quid forte Deus de ſe ipſo vel aliis, quod naturales ingenii noſtri vires excedit, revelare dignetur; eaque credere quamvis non clare intelligamus, ſi modo de revelatione ſatis clare conſtet; nec ullis nos unquam fatigare diſputationibus de infinito, quod abſurde quis finire, ac comprehendere conatur, niſi contra lumen Naturæ Mentem ſuam infinitam arbitretur. Ultimo etiam, indita cuique ſanctitatis & juſtitiæ, miſericordiæque divinæ notitia, naturaliter dictat, neminem impune delinquere, & pœnam inſeparabilem culpæ comitem eſſe. Atque ita peccatricem animam torquet, & horrentem & anxiam pertrahit ad oculatiſſimi Dei, quem nec occultiſſima ſcelera fugiunt, incorruptiſſimum tribunal, eamque morti & æternæ miſeriæ tradendam pronunciat. Nulla facta ſpe miſericordiæ divinæ, cum eam omni commiſeratione prorſus indignam convincat. Nec ullum huic tantæ miſeriæ remedium natura parare potuit, aut ratiocinando innatæ rationis lumine patefacere. Ita ut homo naturaliter quaſi omni Ratione comparandæ & obtinendæ ſalutis deſtitutus, pereat, niſi Deus ex incomprehenſibili ſua, non ſperata miſericordia gratioſe patefaciat viam, qua eum divina ſua virtute, ex tanta miſeria, ad ſalutem perducere voluerit.

§. 4. Ex hac autem unica Dei gratia tot homini factæ fuerunt Revelationes præter naturam, quibus Deus ſuos, jam in ſeſe deſperantes, primo illuſtriſſimis promiſſis de futura per Chriſtum ſalute, conſolari voluit, & poſtea per filium ſuum unigenitum, in aſſumpta natura humana, pro ſuorum peccatis, crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrectum & in cœlum ſublatnm, de eadem ex gratia per fidem vivam obtinenda ſalute, copioſiſſime inſtituere; Et Euangelium illud per conſtitutos ab illo miniſtros per totum terrarum orbem patefieri. Ut & ad conſervandam eorum memoriam, & efficaciter procurandam ſuorum ſalutem, hæc omnia ſingulari providentia literis mandari, & in Eccleſia ſua conſervari voluit. Ita ut Scriptura quaſi complementum ſit naturæ, eam non modo gratioſe perficiens, ſed etiam longe ſupra ſe extollens, & patefaciens plurima, tam naturæ lumini, multis & craſſis tenebris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tenebris involuto, occulta, quam id ipſum, licet perfectiſſimum, longe ſuperantia. Nihil autem horum eſt, quod innata Ratio revelatum recipere & admittere non debeat. Quin & ipſa quoque celſiſſima Myſteria Chriſtianæ Religionis, non niſi cum Ratione recipienda veniunt. Imo ſi quis divina providentia ſuam Rationem rectius aliquantulum adhibeat, facile videbit inſignem per naturam & Scripturam revelatorum congruentiam, & divinæ juſtitiæ miſericordiæque veluti conjugium & harmoniam: nam Euangelii Myſteria per naturam cognitis adeo appoſite ſuperſtructa ſunt, ut multivaria Dei Sapientia, circa pulcherrimam gratiæ diſpenſationem, vel cæcis quam maxime rationalis affulgeat: nec quicquam ab ullo, licet acutiſſimo revelatum cerni poſſit, quod rectæ rationi adverſum ſit. Ita ut comportatis omnibus quæ à Ratione præſtari poſſunt, non parum illuſtrentur à Deo revelata Myſteria. Quicquid itaque tenebris involuta Ratio, in iis quæ naturam tranſcendunt, contradictorium ſuſpicatur & vellicat, ipſa Ratione rectius adhibita manifeſte refellitur. Quid autem glorioſius eſt, quam almæ veritatis hoſtes iiſdem armis opprimere, quibus ipſi vel maxime gloriantur, vel plurimum confidere ſolent? Præterea rationibus à naturali lumine petitis non parum appoſite præparatur animus, ad recipiendam ſplendidiſſimam revelatæ gratiæ lucem; quæ alioquin inſolita ſua claritate mentem facilius obrueret, quam illuminaret. Et quamvis Fides non ſit diſcurſus, non tamen ſine diſcurſu fides concipi poteſt. Non enim Deus, qui auctor eſt, & illuſtrator humanæ rationis, Eccleſiæ ſuæ locutus eſt irrationaliter, hoc eſt non convenienter intelligenti ſeu rationali naturæ. Et irrationalis fides apertiſſima repugnantia eſt. *Omnia ſunt exploranda, ut quod bonum eſt retineatur*, 1 Teſſ. 5:21. Et *probandi ſunt Spiritus an ex Deo ſint*, 1 Joh. 4:1. *Scrutandæ* ſunt *Scripturæ* Joh. 5:39. *Meditandæ* Pſalm 1:2. *Conferendæ* 1 Cor. 2:13. Luc. 24:27.45. Quod nullus abſque diſcurſu & ratione præſtiterit. Hominem itaque exuant oportet, qui innatæ ratiocinationis luce adhibita, nihil ex ſcriptura concludi & per conſequentiam elici patiuntur. Non enim eſt quod metuant ne ſic ab humana mente dependens fiat ſupernaturalis Dei revelatio: nam omnes concluſiones nituntur principiis à Deo revelatis, unde tantum inſtrumentali opera deducuntur per Rationem. Ita ut non propter Rationem, ſed per Rationem credamus & legitima medii cum extremis diſpoſitio, non ſit fidei principium aut fundamentum, ſed motivum & inſtrumentum: Nec Rationis ſit judicare de ipſis fidei dogmatis, ſed tantum de vi conſequentiarum ex fidei principiis per rationem deductarum.

§. 5. Verùm præter eundem utiliſſimi inſtrumenti locum, quem implet Ratio in recipiendis rationem excedentibus à Deo revelatis Myſteriis, & in conſequentiis per principia ſcriptis à Deo patefacta nectendis, ac in omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſcripturarum inſtituenda collatione, earumque tanquam teſtimonii divini receptione, Ratio etiam tanquam principium & argumentum adhibita non parvam Theologo prædet utilitatem in examinandis rationibus, propter quas Deus fide dignus occurrit, & nos ei fidem tuto deferimus. Agens ita quaſi propriis viribus pro fide, & eandem, quantum in ſe eſt, confirmans; ejuſque certitudinem indubitatam oſtendens; ac adverſus quaſvis corruptæ rationis argutias defendens; addens etiam nonnunquam ex ſuo penu rationes ad Theologicas concluſiones probandas & confirmandas; ut ſic ſimul ſciantur & credantur. Quod idem munus glorioſe præſtat tam in inquirendis & demonſtrandis ex communi uſu vocum in ſcriptura adhibitarum ſignificationibus, niſi adeo peculiares ſcripturæ fuerint, ut non niſi ex Scriptura peti poſſit earum interpretatio; quam in examinandis & diſtinĉte proponendis naturalibus & innatis rerum ſignificatarum ideis & notionibus. Quibus quo quis inſtructior S. Scripturam accedat, quo majorem inde reportaverit utilitatem, & in ejus ſenſum ac ſapientiam altius penetraverit. Hi ſunt uſus tam præliminares, & inſtrumentales, quam principales quos naturaliter innata cognitio præſtat cognoſcendis iis quæ per Scripturam à Deo revelata cognoſcuntur.

§. 6. Sed etiam ab altera parte per Scripturam non parum proficit Naturalis cognitio. Non quod Scripturæ ſcopus ſit Philoſophiam docere, & explicare rerum naturas: ſed expoſitura ſalutis & gratiæ Myſteria, cum omni eorum œconomia, & ſapientiſſima Dei diſpenſatione in iis revelandis obſervata, Naturali Rationi plurimis tenebris obſitæ, non tantum infinitas præbeat occaſiones, cogitandi ea, quæ rationi non adeo obnubilatæ maniſeſtiſſima fuiſſent, cum jam ſint penitus occulta & ignota: ſed etiam patefaciat ea quæ omnem Rationem tranſcendunt. Atque adeo iis quibus obtigit Revelatio, multo clariores, plures & perfectiores obſervamus ex reliquo naturæ lumine occurriſſe cogitationes, quam iis quos Deus in corruptis ſuis deſideriis, appetitibus, voluptatibus & erroribus, tanquam viis ſuis vivere permiſit, abſque omni Revelationis lumine, in ſummis peccatorum tenebris palantes. Illis paſſim obvia fuiſſe videmus, quæ his pœne fuerant inacceſſa. Quare ſi quis veritatis adverſarius, vel Deum & divinam æternitatem, ſapientiam, potentiam, &c. negaverit, vel creaturis obnoxiam tribuerit voluntatem, vel mutabilia decreta, aut irrita deſideria, vel ignorantiam futurorum contingentium, aut conjecturalem eorum ſcientiam, & ſimilia portenta formaverit errorum circa rerum omnium à Deo factam creationem, conſervationem & directionem; ut & hominis cum omnibus ſuis actionibus; etiam liberrimis, à Deo dependentiam; & officia quæ Deo & Proximo præſtare tenetur; ac rationalis Animæ ſubſiſtentiam, ſeparationem à corpore, & immortalem exiſtentiam; ac futura boni & mali præmia vel pœnas poſt

ortum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ortum hujus revelationis lumen, non tantum duplici gladio proſternitur, ſed etiam multo majorem ſentit vim rationum quas ſic illuſtratum lumen naturæ ſuppeditat.

§. 7. Atque ita manifeſte patet, nec hanc cognitionem illi, nec illam huic ſubjectam eſſe; ſed coordinatas. Illa non ſufficiens ad ſalutem, hanc requirit. Hæc autem illam ſupponit. Utraque ſibi invicem auxilium præbet & lumen affundit. Quare ſi vel illa huic, vel hæc illi accommodetur, utraque neceſſario corrumpitur. Nam nulla veritas admittit aut eget accommodatione ut cum veritate conveniat. Ficta ſit revelatio oportet, cui eſt accommodanda naturalis notitia. Cum impoſſibile ſit Deum quid ſibi adverſum revelare. Et eadem de cauſa non naturalis luminis dictata, ſed errores ſunt, quæ ſe ſupernaturali revelationi opponunt, & ſibi eam accommodari deſiderant. Primus homo revelatum à Deo mandatum non tranſgreſſus eſt, quin & à Ratione defecerit. Et ſi rectam ſecutus fuiſſet Rationem, revelato Dei mandato ſe nunquam oppoſuiſſet. Adeo inſeparabili vinculo hæc conjunguntur & inter ſe conſpirant. Semel vero per Revelationis neglectum & tranſgreſſionem, à nativa ſua rectitudine deficiente ratione, fictas ſine fine, & abſurdiſſimas ſibi fabricavit revelationes, & poſtea latens ſub ſplendido divinarum revelationem nomine, reliquum omne rectæ rationis lumen denſiſſimis tenebris involvit, & tantum non extinxit; falſis revelationibus accommodans quicquid ipſe Deus per naturam dictabat. Nam abſurdiſſima talis miſtura non niſi denſiſſimam nebulam veritati quocunque modo per Deum revelatæ obducere potuit, & monſtroſiſſimam producere cognitionem; quæ non lux ſed tenebræ, non veritas ſed falſitas, non bonum ſed maximum hominis malum eſt. Ubi naturalis veritas, ſi cum veritate præter naturam divinitus revelata conjungatur, non niſi tanto majus lumen accendant, tanto ſplendidiorem reddant veritatem, tanto majus homini procurent bonum.

§. 8. Cum itaque per primum hominis lapſum, eo modo quo ſupra Cap. 3. deſcripſimus, naturaliter revelatæ cognitionis lumen, inter maximam hominum partem continuo magis magiſque corrumperetur & tenebris involveretur, idem contigit ſplendidiſſimis à Deo factis revelationibus. Nam corrupta ratio, minus exculta, eaſdem ſuis erroribus adeo infecit, ut rationis tenebras non diſſipaverint, ſed magis magiſque quotidie adauxerint. Unde poſtea non modo aberrantis Rationis figmenta, ſed etiam ipſius Diaboli reſponſa pro divinis, ad primi hominis exemplum, recepta revelationibus, iiſque præpoſita fuerunt. Quicquid enim Deus auxilii peccatoribus indulſit ad obtinendam ſui, recti, verique cognitionem, id omne in propriam perniciem torſit cordis humani cæcitas; atque ita ipſum morbi remedium, & contra mortem æternam antidotum, in lethale virus converſum eſt. Quomodo vero ab ipſa pri-

na origine talis facta fuerit utroque modo revelatæ cognitionis miſtura, & mutua corruptio, immenſi operis & non minoris difficultatis foret hic enarrare. Nam Poëtæ qui primi inter Gentiles diſperſas, vagantes, & hinc inde receptas revelationes & traditiones colligere & exponere ſuſcepere, ad captandas hominum aures & animas, non niſi omnis generis fabulis refertiſſimas cantiunculas tradiderunt. Quibus antiquas ſemper, ab immortalibus factas, traditiones prætexentes, ea quæ audiverant, vel in ſenſus peregrinos & fabuloſos detorſerunt, vel aſtutis figmentis auxerunt, vel ingenioſis excogitatis allegoriis exornarunt, & adeo confuderunt omnia, ut quid, unde, & à quibus acceperint, qua fama, traditione, occaſionibus, & rationibus ducti, plurima amplexi ſint, conjecturis aſſequi cuiquam vix poſſibile ſit. Reliqui naturales luminis ſcintillulam, quamvis parvam, cum creaturarum viventium, mortuorum & irrationalium, imo ipſius diaboli cultu, adeo miſcuerunt; & quas habebant obſcuras patrum de revelationibus divinis traditiones; quas naturalis theologiæ reliquias; iiſdem verbis & eadem figmentorum ſarcina, qua ſuas fabulas & cultum ſathanicum, exibentes, tantam pepererunt confuſionem, ut nullus facile diſcernat quid ex traditionibus perverſis, quid ex oraculis diabolicis, quid ex vulgi uſu, quid ex proprio cerebro hauſerint. Idem erat ipſis Sol, Noachus, Saturnus, imo Jupiter, Planeta, Heros, Cœlum, Æther & ipſe Sathan. Major autem divinarum revelationum cura fuit habita inter dilectum à Deo populum. Quare ſapientiſſimi Græcorum difficillimas ſuſceperunt peregrinationes ad Chaldæos & Ægyptios, aliaſque nationes orientales, inter quas vixerat populus Deo dilectus, ut ex iis magis elevatam ſibi compararent ſcientiam. Quicquid autem ex antiquiſſimis eorum monumentis, & vivis magiſtris ullo modo addiſcere potuerunt, non tantum inter Græcos viva voce, & ſcriptis Philoſophiæ inſignitis, quaſi ſua venditarunt: ſed etiam infrunitis ſuis fabulis & ſtudio quæſitis obſcuritatibus, adeo deturparunt & corruperunt, ut mens humana, nativa cæcitate fabularum, errorumque avida & tenax, naturali lumine tantis tenebris removendis impar, plane ſuccubuerit, & extricare ſeſe nullo modo potuerit. Uſque dum tandem omnibus gentibus & nationibus major affulſit lux Evangelicæ Gratiæ. Qua non modo gentes, ſed etiam ipſi Judæi, infinitorum errorum rei, de abſurdiſſimis ſuis ratiociniis, & factarum à Deo revelationum negligentia, ac falſis intepretamentis apertiſſime convicti fuere.

§. 9. Verum cum iterum poſtea primam ſuam puritatem amitteret Eccleſia Chriſtiana, tandem ex eadem iniquiſſima miſtura corruptorum ratiociniorum naturalium cum revelatis à Deo naturam tranſcendentibus myſteriis natum eſt illud monſtroſiſſimum monſtrum Scholaſticæ Theologiæ, de quo toties, tam graves, primi Eccleſiæ Reformatores, inſtituerunt querelas, hic

non

non repetendas: Et, ut Capite Primo diximus, primorum inter Chriſtianos Doctorum voce clamarunt, ejiciatur Ancilla. Quare ſaniores in Eccleſia Chriſtiana Philoſophantes nihil antiquius habuerunt, quam propter rationes prædictas, & modo jam explicato Philoſophiam, ſeu naturæ lumine quæſitam cognitionem, à Revelata per Scripturam notitia, adeo diſtinguere, ut abſque ulla miſtura mutuum ſibi præbeant auxilium minime contemnendum & quam maxime optatum. Quod ipſum cum prætexerit Anonymus, ut ita tutius deteſtabiles ſuos errores & ipſum Atheiſmum publice propugnaret & propagaret, hanc materiam hactenus, quam breviter fieri potuit, nullo modo tamen pro ſuo merito & dignitate diductam, præmittendam judicavi, quo facilius cuique pateat, quantum & ab his Philoſophis & à vero diſcedat Anonymus. Cujus veſtigia jam preſſe ſequi propoſui.

CAPUT SEXTUM.

De Prophetia.

§. 1. PRophetia, ſi nomen ſpectes, originem trahit à Propheta. Qui denominatur apud Hebræos נָבִיא, deductum à נִבָּא *Prophetavit, prophetam egit.* Non autem, ut contra R. Salom. demonſtravit Aben-Eſra à נוב *eloqui:* quaſi ſit Orator, Præco, vel Interpres. Nam א hic eſt radicale. Ita ut Propheta proprie non tantum ſit Dei *Interpres*, ut vult Anonymus Cap. 1. pag. 1. ſed is cui Deus arcana ſua revelat. Nam *qui hodie Propheta* 1 Sam. 9: 9. *antiquitus vocabatur* הָרֹאֶה *videns.* Quod profluit à רָאָה *vidit, prævidit.* Nec tantum oculorum, ſed & animi & aliorum ſenſuum eſt. Et idem valet, quod experiri, animadvertere, percipere, frui. Hinc Bileam ſe deſcripturus, dicit quod ſit *audiens eloquia Dei, & qui viſionem ſibi ſufficientis videt.* Num. 24: 4. Et cum *Aharon* Exod. 7: 1. conſtitueretur *Moſis Propheta*, etiam is fuit cui Moſis divina mandata ipſe revelaret. Sed tranſeamus ad rem ipſam.

Anonym. cap. 1. pag. 1.

§. 2. Anoymus, ut ſcopum quem ſibi præfixiſſe videtur, omnia ſcilicet evertere, & à naturali & irrationali quadam neceſſitate dependentia facere, facilius obtineat, hoc primo Capite conatur adſtruere Prophetiam nil niſi corpoream Prophetarum imaginationem fuiſſe, & eum in finem primo tradit hanc Prophetiæ definitionem. Quod ſit *rei alicujus certa cognitio à Deo hominibus revelata. Propheta autem is eſt*, inquit, *qui Dei revelata iis interpretatur, qui rerum à Deo revelatarum certam cognitionem habere nequeunt, quique adeo mera fide res revelatas amplecti tantum poſſunt.* Propheticam Revelationem eſſe certam alicujus cognitionem, quam Deus hominibus concedit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

dubio caret. Sed etiam revelatio per naturam talis eſt, ut ſupra Cap. 2. §. 13. 18. 20. probatum. Cum vero dicit, eos qui certam rerum à Deo revelatarum cognitionem habere nequeunt, eaſdem mera fide tantum amplecti poſſe; aperte ſtatuit, Prophetas revelata non tam fide amplecti, quam certo cognoſcere: & in aliis, Prophetas audientibus, fidem eſſe ſine certa cognitione. Quibus nihil abſurdius. Nam ſi per certam cognitionem intelligat cognitionem ex naturæ principiis profluentem; nullus hominum eſt, qui eam habere non poſſit; & talis in Prophetis dari nequit eorum quæ præter naturam revelantur: nam ſic non revelata, ſed natura cognita fuiſſent. Si vero intelligat cognitionem alicujus quod ex naturæ principiis innoteſcere non poteſt; ea ſine fide dari nequit; imo non niſi fidei eſt. Nam ſemper nititur teſtimonio patefacientis. Et ubicunque fides eſt, neceſſario reperitur: nam fides ſine cognitione, de qua Anonymus infra mira nugatur, aut cum incerta cognitione, Chimera eſt, non fides: cum enim fides rationalis ſit, certum aſſenſum non præbet, niſi cognitis, & quidem certo. Nec magis poteſt eſſe in Prophetis, quam in iis quibus Prophetæ patefaciunt ſibi à Deo revelata. Nam in his non minus requiritur ut certo cognoſcant à Deo Prophetis revelatum eſſe quod credunt, quam ut Prophetis certo conſtet id ſibi à Deo revelatum fuiſſe, quod aliis tanquam à Deo revelatum proponunt. In Prophetis quidem ea certitudo conſtat partim ex interna quadam gratioſa perſuaſione, quæ mentes eorum inſtar potentiſſimæ lucis colluſtrat; partim ex peculiaribus argumentis & indiciis revelationi adjunctis. Cum in aliis conſtet, ſignis & notis externis, ab ipſo Deo per probatiſſimos Prophetas patefactis. Sed tamen ideo his non deeſt certa cognitio revelationis divinæ per Prophetas factæ: nam ex illis ſignis oritur tanta cerritudo, quanta quis ulla cum ratione de talibus rebus deſiderare poſſet; præterquam quod Deus in ſuis ſimiliter adjiciat gratioſam perſuaſionem internam. Præterea Petrus Apoſtolus, quoad firmitatem reſpectu noſtri, voci quam ipſe de cœlo audiverat, expreſſe præfert teſtimonium Scripturæ teſtantis de Chriſto, dicens Epiſt. 2. cap. 1. comm. 17. 18. 19. *Et hanc vocem audivimus, & habemus* βεβαιότερον *firmiorem ſermonem Propheticum.* Ut & ipſe Chriſtus Joh. 5: 46. 47. teſtatur, quod divinis ejus verbis fidem habere non poſſent, qui Moſis ſcriptis non crederent.

§. 3. *Cognitionem naturalem Prophetiam vocari poſſe*, concedimus, ſi nomen latius ſumatur quam quidem ſolet. Nam cum Deus etiam illam nobis conceſſerit, quicquid per eam cognoſcitur, à Deo revelatum eſt. Verum cum ea revelatio ſit prima luminis in mente conſtitutio, quæ omnibus creaturis rationalibus communis eſt; & ad præternaturalem revelationem prærequititur & ſupponitur; imo creatura rationalis ſine ea dari nequeat; nomen Revelationis Propheticæ, non huic, ſed ei, quæ huic ſuperaccedit à Deo

præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

præter naturam communicatæ cognitioni, tantum tribui ſolet. Non quod illa vel incertior vel minus *divina* cognitio habeatur: nam utraque ex eodem fonte, Deo, fluit, & eadem Dei veracitate nititur, ut ſupra probatum. Sed quod per hanc homini patefiant talia, quæ per illam tum propter ejus finitudinem, tum propter tenebras à nativitate præſentes, & naturaliter inſuperabiles, cognoſci nunquam potuiſſent. Ita ut præter naturam Revelata cognitio à Naturali, non ſolo *errore vulgi, ad rara ſemper & à natura aliena anhelantis, & dona naturalia ſpernentis*, diſtinguatur. Sed vera & manifeſta ratione ab ea diſtingui debeat, etiam apud eos qui dona naturalia, ut decet, magni faciunt, & à Deo profluxiſſe fatentur. Nam præter ea quæ naturalis luminis reliquiis innoteſcunt, plurima patefacit naturaliter ignota. Imo ipſe Anonymus id concedere videtur, cum dicit, *quod ultra limites cognitionis naturalis ſe extendat, & quod humanæ naturæ leges in ſe conſideratæ, non poſſint ejus eſſe cauſa.* Niſi aliud hic lateat iniquitatis Myſterium, quod paſſim ſe prodit in hoc Anonymi ſcripto. Deum ſcilicet ab univerſo diſtinctum non eſſe; & ejus decreta non niſi naturæ leges eſſe; hominem, quatenus univerſi pars, de Divina Natura participare; & ſic Dei Naturam, quatenus de ea participat, Deique decreta, homini dictare, ſeu revera eſſe, naturalem cognitionem. Et illam, quam omnes vulgo divinam vocant cognitionem, ſub qua etiam comprehendere videtur eam quæ ipſi Deo tribuitur, ab ea non differre, niſi quod ultra limites illius ſe extendat. Et quod ſolæ humanæ naturæ leges, in ſe conſideratæ, non poſſunt ejus eſſe cauſæ, quamvis ejus non ſit cauſa ab univerſo diſtincta, & naturalis cognitio non aliunde, quam ex totius univerſæ naturæ legibus, in Deo ſeu in univerſo, & in homine, quatenus eſt pars univerſi, detur. Quod ipſum non tantum manifeſtiſſimam Dei abnegationem continet; ſed etiam hominem pure corporeum & brutum reddit; nec non omnem rationem, virtutem, pietatem, &c. tollit; ac inſtar peſtis in Republica deſtruit omnem pacem & tranquillitatem, & calamitoſiſſimas introducit confuſiones. Imo totum univerſum inſtar æterni automatis per ſe abſque artifice creatore, conſervatore & directore conſiderat. Quod omni abſurditate abſurdius eſſe, ex fundamentis ſupra Cap. 2. §. 6.—10. adſtructis, infra ubi de Legibus & Miraculis, circa quæ Anonymus maxime ex hoc Myſterio agit, latius demonſtrabimus. Quamvis alioquin propria ſua abſurditate ruat, ſi modo recenſeatur & detegatur. Ad prædictam itaque diſtinctionem inter cognitionem per, & præter naturam à Deo revelatam, nullo modo requiritur, ut, quemadmodum infert Anonymus, ſomniemus, *Prophetas habuiſſe mentem non humanam, ad eoque eorum ſenſationes & conſcientiam, alterius prorſus naturæ, quam noſtræ ſunt, fuiſſe.* Sed ſufficit eos Humana mente, & ejuſdem naturæ perceptionibus & conſcientia, per revelatio- *pag.* 2.

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nem variis modis inter ſe compoſitis & digeſtis, atque ita varia patefacientibus, quemadmodum in diverſa literarum permutatione orationes ac ſententiæ variantur, ſibi conſcios fuiſſe, eorum quæ nullo modo ex innata notitia cognoſci & patefieri potuiſſent. Et cum *Naturalis Scientiæ propagatores* etiam ea quæ cognoſcunt, certa cognitione, & à Deo revelatâ, cognoſcent; ac ea quæ præter naturam revelata creduntur, eodem modo ab omnibus à quibus creduntur, certa cognitione revelata cognoſcentur; quemadmodum ea quæ naturali ſcientia nota ſunt, ab omnibus certo cognoſcuntur; Anonymo nulla ratio ſupereſt, cur etiam eos, ſimili vocis abuſu, *Prophetas vocari poſſe* neget.

§. 4. Qua ratione *Mens & ejus natura prima divinæ Revelationis cauſa ſtatui poſſit*, ſupra Capite Secundo late demonſtravimus. Verum ne Anonymus prædictum ſuum Myſterium nimis mature detegere cogeretur, *de Naturali lumine* non niſi admodum *pauca dicit*, ſatis ſpecioſa. Quamvis ad ſcopum quem prætendit, Theologiæ ſcilicet & Philoſophiæ, vel Rationis & Revelationis diſtinctionem, plura de eo dici plane neceſſarium fuerit. Quare nos coacti ſumus, veram naturalis luminis, & per illud naturaliter factæ revelationis, rationem latius & apertius deducere. Ut ita præſcinderemus eam quam captat Anonymus occaſionem, ſub veri ſpecie pudendum ſuum Atheiſmum adſtruendi & propagandi. Nam quomodo patefieret ea diſtinctio, ſi non utriuſque natura proponeretur & explicaretur? Unde pateret, ſuccedente Revelatione Prophetica non abjiciendam eſſe Rationem, niſi Rationis natura & certitudo exponatur?

§. 5. Præterita itaque Natura, de iis *quæ ſolam Scripturam ſpectant* loqui aggreditur. Traditurus *alias*, à naturalibus, *cauſas & media quibus Deus ea hominibus revelat, quæ limites naturalis cognitionis excedunt, & etiam quæ non excedunt*, primo aſſerit, *quicquid de iis dici poteſt, ex ſola ſcriptura peti debere.* Quod concedimus, ſi quæratur, quomodo Deus ea revelaverit. Negamus autem, ſi quæratur quomodo Deus ea revelare poſſit. Nam homo naturaliter etiam, ex innata ſibi Dei & Sui notitia, ſcire poteſt, Deum plurima ſibi per externos & internos ſenſus, vel intellectum, ſi modo velit, revelare facile poſſe, quemadmodum id ſupra Cap. 4. late demonſtravimus. Sed quomodo id præſtiterit, & quæ ſic revelaverit, cum *hodie, quod ſciamus, nullos* novos *habeamus Prophetas*, fatemur, ex ſola Scriptura petendum eſſe. Deinde hanc addit cautionem, *ut nihil de ſimilibus rebus ſtatuamus, aut ipſis Prophetis aliquid tribuamus, quod ipſi non clare dictaverunt.* Quam admittimus, ſi addat ea, de quibus, ex iis quæ dictaverunt, apertiſſimum eſt, quod Prophetis conveniant & convenerint. Non probamus etiam eorum temeritatem & negligentiam, qui omnium *cauſarum mediarum, & particula-*

rium curam abjiciunt, & in omnibus ita immediate *ad Deum recurrunt*, quaſi exiſtimarent eum nunquam facere, ut unum per aliud ſit; atque ita perverſiſſimum omnium mediorum neglectum introducentes, homines immediate à Deo omnia otioſe expectare faciunt. Verum etiam ab altera parte non minus reprobamus eos, qui neglecto, vel etiam abnegato, ſeu nomine tenus tantum admiſſo Deo, qualis inter cæteros hic Anonymus eſt, omnia tribuunt æternis quibuſdam Naturæ legibus & regulis; atque ita tollunt omnem Dei & creaturarum rationalium libertatem; ut & omnem Dei cognitionem, cultum, & pietatem, introducta quadam fatali neceſſitate, evertunt. Nam prioribus non minus abſurdi ſunt. Nec alia de cauſa, quam ut hoc ſuum Myſterium occulte introducat Anonymus, priores oppugnat; & nullo verbo ab iis diſtinguit eos, qui & Deum, & medias cauſas à Deo creatas & dependentes admittunt, & attentiſſime, ſuo loco & ordine conſiderant; ſed eos cum prioribus confundit, & ſub tali prætextu oppugnat. Conſequenter, non, ut facit, obſcure & ambigue concludere debuiſſet, *non omne id quod Scriptura ait Deum alicui dixiſſe, pro Prophetia habendum.* Quaſi Scriptura, vel Deus in eadem, falſum quid aſſeruiſſet. Sed concludendum fuiſſet, non omne id, quod Scriptura ait, homines, qui medias cauſas abſurde negligunt, pro ſupernaturaliter dicto habuiſſe, pro ſupernaturali cognitione ſeu Prophetia habendum eſſe. Verum id tantum pro tali habendum, quod vel Scriptura expreſſe dicit, vel quod ex circumſtantiis narrationis aperte patet Prophetiam ſeu ſupernaturalem revelationem fuiſſe. Nam *dicit* Deus etiam per ordinaria naturæ media. Qualia *dicta*, ſi quis pro ſupernaturalibus habeat, aberrat. *pag.* 3.

§. 6. Hinc *ſacra volumina*, ſed ſatis negligenter, ut patebit, *percurrens*, aſſerit *omnia quæ Deus Prophetis revelavit, iis revelata fuiſſe, vel verbis, vel figuris, vel utroque hoc modo, verbis ſcilicet & figuris. Verba vero, & etiam figuras, vel veras fuiſſe, & extra imaginationem Prophetæ audientis ſeu videntis, vel imaginarias, quia nimirum Prophetæ imaginatio, etiam vigilaudo, ita diſponebatur, ut ſibi clare videretur verba audire, aut aliquid videre.* Verum quis miretur, hominem pure corporeum, & adeo cæcum, cui præter univerſum corpus nullus Deus eſt, non niſi corporeum revelationis modum in Scriptura invenire & admittere potuiſſe. Dicat itaque, ſi poſſit, quibus verbis vel figuris in Scriptura narretur Deum Joſepho patefeciſſe ſignificationem ſomnii, tum Pincernæ & Piſtoris Gen. 40. tum Pharaonis, de futura maxima abundantia & penuria in regno ſuo Gen. 41. Dicat quibus narretur Danieli patuiſſe rem ſignificatam ſomnio Nebucadneſaris, Dan. 2. Quibus ea quæ non intellexit Dan. 12: 4. 8. 9. An alicubi narratur, quod forte ſomniabit Anonymus, Deum ipſius ſomnii & viſionis intelligentiam novo ſomnio patefacere, & ſic in infinitum procedi, ac nihil revelatum cognoſci? Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

plicet nobis quomodo Danieli à Deo datum ſit intelligere ſomnia, Dan. 1: 17. cum alios lateret ſenſus vocum & ſignificatio figurarum in ſomnio occurrentium. Quomodo viri Sancti per Spiritum Sanctum acti locuti ſint 2 Pet. 1: 21. Quis fuerit ille Spiritus Sapientiæ & Revelationis in agnitione Dei. Qui illuminati oculi mentis, de quibus Paulus Eph. 1: 17. 18. Verba proferat aut figuras quibus in Scriptura narretur Petro revelatum, quod ipſe Chriſtus teſtatur, nec carnem, nec ſanguinem revelaſſe Matt. 16: 16. 17. Quibus Paulo, Gal. 1: 15. 16. Quibus verbis Deus patefaciat Sapientiam occultam, oculis, auribus, cordibus, 1 Cor. 2: 7—10. Abſurde itaque concludit, nulla præter hæc media reperiri in Scriptura, quibus ſe Deus revelaverit Prophetis.

§. 7. Hos itaque revelandi modos, quos ſolos in Scriptura reperiri dicit, ſingulatim examinaturus, initium facit à revelatione quæ verbis facta fuit, & aſſerit *vera voce Moſi leges à Deo revelatas fuiſſe*, idque conſtare ex *Exod.* 25: 22. Cujus probationis efficaciam, quivis, locum inſpiciens, agnoſcere poterit. Verum *hanc ſolam*, *qua ſcilicet lex prolata fuit*, *veram vocem fuiſſe*, *mox* ſe *oſtenſurum* promittit. Poterit interim Lector ſi placuerit attente conſiderare vocem quam ſecundum Scripturam audivit Adamus Gen. 3: 8. 10. 15. 16. 17. &c. Noë, Gen. 6: 13. & 7. 1. & 8. 15. & 9. 1. Abraham, Gen. 12: 1. Jacob, Gen. 31: 3. & 35. 1. 13. Moſes, Exod. 6: 1. 3. Miriam, Num. 12: 4. Joſua, Joſ. 1: 1. & 4. 1. & 7. 10. Gideon, Jud. 7: 2. David, 1 Sam. 23: 4. 2 Sam. 2: 1. Salomon, 1 Reg. 11: 11. Semaja, 1 Reg. 12: 22. Nathan, 2 Sam. 7: 4. 5. Ahia, 1 Reg. 14: 5. Elia, 1 Reg. 17: 2. 8. 9. & 18. 1. & 19. 9. 13. & 21. 18. Eſaia, Eſa. 7: 3. & 38. 4. Jeremia, Jerm. 1: 4. Ezechiel, Ezech. 1: 3. Et examinare num ex iis nullus veram vocem audiverit. *Vocem qua Deus Samuelem vocavit* 1 Sam. 3: 4. 7. 21. *ſuſpicaretur veram fuiſſe*, niſi *cogeretur diſtinguere inter Prophetiam Moſis & reliquorum Prophetarum*; Quaſi non fuiſſet ſufficiens diſtinctionis ratio, ſi non hæc fingeretur. In ſequentibus eam ſuo loco ex profeſſo dabimus. Et idem ex eo colligere, *quod ipſa vocem Heli*, *quam Samuel maxime audire ſolebat*, *referebat*, non minus ineptum eſt. Nam quidni potuiſſet Deus formare veram vocem quæ voci Heli ſimilis erat? Et præterea unde novit eam voci Heli ſimilem fuiſſe? ſuſpicatus quidem eſt Samuel ſe ab Heli vocari: ſed id magis ex ſimilitudine vocis contigiſſe, quam ex eo quod ignorans cujus eſſet vox, & certus nullum præter Heli adeſſe, eam ab Heli prolatam exiſtimaverit, probare nullo modo poterit. Nam & Heli, Deum Samueli locutum eſſe, concluſit, quod nullum alium præter ſe & Samuelem adeſſe noviſſet. Et ipſe textus te-
Pap. 4 ſtatur *Deum ſe Samueli manifeſtaſſe in verbo Domini. Imaginariam fuiſſe vocem quam Abimelech audivit* Gen. 20: 6. utpote *in ſomnis* perceptam, negari

nequit

nequit. Sed tamen cum ex imaginariæ vocis perceptione in cerebro reperiatur, quicquid ex veræ perceptione in eo datur, vox imaginaria eo reſpectu etiam vera eſt. Nec imaginaria dici poteſt, quam quatenus cerebrum, ſeu internum ſenſorium, non ab externi corporis motu, ſed interne ab ipſo Deo determinetur. Verum eum *imaginari potuiſſe voluntatem Dei*, plane abſurdum eſt. Nam ea non niſi intelligi poteſt. Qualis enim ejus imago foret? Sed purum corpus, ſine intellectu, non niſi corporeas imagines admittere poteſt.

§. 8. Jam videamus quid in medium adducat de illa voce quam ſolam habet pro vera. Narrat *ſe aliquando ex opinione quorundam Judæorum ſuſpicatum fuiſſe, verba Decalogi non à Deo prolata, ſed Iſraelitas ſtrepitum tantum audiviſſe, nulla quidem verba proferentem, atque eo durante leges decalogi pura mente percepiſſe.* Quia *videbat verba Decalogi Exodi variare ab iis Decalogi Deut.* Cum Deus *ſemel tantum locutus ſit.* Jam vero melius edoctus, dicit, *niſi Scripturæ vim inferre velimus, omnino concedendum eſt, Iſraelitas veram vocem audiviſſe. Nam Scriptura Deut.* 5. 4. *expreſſe dicit, de facie ad faciem locutus eſt Deus vobiſcum.* Quas olim foverit abſurdas ſententias, non eſt quod examinemus, hoc tempore ſatis copioſas habet. Ipſe Deus Exod. 20. 22. dicit *eos vidiſſe* ſeu clare percepiſſe: nam unus ſenſus pro alio ponitur; *quod cum illis de cœlo locutus ſit.* Quod autem in Exodo & Deut. varient verba Decalogi, mirum non eſt. Nam illic ipſius Dei verba proponuntur: hic vero Moſis eadem memoriter referentis; & quidem ea libertate, ut voces tranſponat interdum; quaſdam cum idem ſignificantibus commutet; omittat quædam ſatis nota ex prioribus; addat alia interpretamenti vice. Eſt enim Deuteronomium nihil aliud quam lex & Hiſtoria ſummatim repetita, in eorum gratiam, qui promulgationi legis, rebuſque illis non interfuerant. Præterea ſimilis verba mutandi libertas etiam aliis in locis S. Scripturæ occurrit, ut Gen. 17:4. coll. com. 7. Gen. 24: 17. coll. com. 43. Exod. 11:4. 5. coll. cap. 12. com. 29. Exod. 32: 11. &c. coll. Deut. 9: 27. &c. *Magis ei cum Scriptura convenire videtur, quod Deus aliquam vocem vere creavit, qua ipſe Decalogum revelavit.* Verum cum vox non ſit Res aliqua, ſed certus rei corporeæ modus & motus, cogitari nequit, quomodo vox illa crearetur. Si enim novum corpus, & novum motum requirat; figmentum erit, quod nulla nititur ratione; imo quod multis modis repugnat & contradictionem involvit. Si vero novam, tantum motus determinationem; ea creatio dici nequit, niſi aſſeratur hominem, qui rerum corporearum motus ſua cogitatione quotidie de novo determinat, etiam creare. Sed nec hoc inconceptibili ſuo figmento ſibi ſatisfacere potuit. *Nam*, inquit, *non parum à ratione alienum videtur, ſtatuere, quod res creata, à Deo, eodem modo ac reliquæ, dependens, eſſentiam, aut Exiſtentiam Dei, re aut verbis exprimere, aut explicare per ſuam perſonam*

 poſſet;

poſſet ; nempe dicendo in prima perſona ego ſum Jehova Deus tuus, &c. Fateor nullam creaturam, quippe finitam, Dei eſſentiam infinitam exprimere poſſe. Aut verbis vere dicere, in prima perſona, *Ego ſum Jehova Deus tuus.* Sed Deus id homini quidem mediante creatura dicere poteſt, id eſt, externis corporeis ſignis, quibus homines ſua cogitata ſibi mutuo inter ſe patefaciunt, exhibitis, ſignificare, ſe qui ea ſigna præbet, eſſe Deum ejus cui talia ſigna facit occurrere. Ita ut hominibus ſignificativus corporeus motus immediate à Deo determinatus, non niſi rationem ſigni habeat; nullo modò vero exprimat divinam eſſentiam, aut de ſe in prima perſona loquatur. Quemadmodum ſi quis alteri dicat, *ego intellexi*, vel ſum intelligens, ei quidem illum ſignificat, & per externum illum ſonum occaſionem præbet, cogitandi de illo & intellectu illius, qui ſonum illum per corporis alicujus directionem excitat: ſed nullo modo cogitandi vel os & linguam, aut ſonum illum vel in prima perſona loqui, vel aliquid intellexiſſe: ſed id quod os & motum ſua voluntate determinando, ſonum excitat. Verum inquit, *quia os ad naturam hominis id dicentis refertur, & etiam is cui id dicitur, naturam intellectus perceperat, mentem hominis loquentis per comparationem ſui facile intelligit.* Hominem ſibi ſimilem ex comparatione ſui cognoſcere, negari non poteſt. Sed ſe non niſi ex comparatione Dei cognoſcit. Nam imperfectum non niſi ex perfectiore innoteſcit: non contra. Cognoſcens ergo hominem mentem ſuam non patefacere, niſi per corpus eſſentialiter ſecum unitum, ignorare nequit, Deum perfectiſſimum, omnium dominum, nulli corpori alligatum, eam quovis corpore, non ita ſecum unito, patefacere poſſe. Nam ut motus, ſolius corporis cum mente uniti, ad ejus voluntatem reguntur & determinantur: ſic cujuſvis corporis motus Divina voluntate determinari poſſunt. At, inquit, Hebræi *nil præter Dei nomen antea noverant, & ipſum alloqui cupiebant, ut de ejus exiſtentia certi fierent.* Quæ omnia falſa ſunt. Iis enim inerat naturalis facultas formandi notionem Dei, ſeu entis perfectiſſimi. Et manifeſtum fuit in iis, non minus quam in gentibus, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ quod de Deo cognoſcibile eſt Rom. 1: 19. Nec cognoſcitur nomen cujus ſignificatio vel res ſignificata non innoteſcit. Eſt enim brutus ſonus; & ne quidem Dei nomen dici poteſt. Nec de Exiſtentia Dei incerti fuerunt, & certi reddi voluerunt, nam eam multis modis noverant, & Ægyptiorum ſervitute preſſi, auxilium Dei alta voce inclamaverant Exod. 3: 7. 9. ac de futuro ejus auxilio plurimis miraculis certi redditi fuerant. Sed cum ipſe Deus Moſi ad majorem certitudinem de obtinenda divina gratia Exod. 3: 12. hoc dediſſet ſignum, quod cum Hebræis ex Ægypto eductis in eodem monte Horeb Deum coliturus, ſeu cultum ad divinam voluntatem reſtituturus & ampliaturus eſſet, non adfuerunt niſi ut divina mandata reciperent; & Deum ſibi notiſſimum ad voluntatem

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ejus colerent; atque ita de promiſſa gratia plane certi redderentur. Quare ineptum eſt quod quærit, *quid ſi Deus labia Moſis, imo alicujus beſtiæ contorſiſſet ad eadem pronunciandum, & dicendum, ego ſum Deus, an inde Dei exiſtentiam intelligerent?* Nam ſi homini ex circumſtantiis pateret, eam labiorum contorſionem, non niſi ad exiſtentis Dei voluntatem dari, commodiſſimam haberet occaſionem de exiſtente Deo cogitandi, & ſic actu ejus exiſtentiam ſibi proponendi. Sed qui naturaliter non cognoſcit, ſeu Dei notionem excitare non poteſt, qualis nullus hominum datur, fateor inde talem non acquiret notionem aut facultatem eam excitandi. Nam ea non niſi immediate à Deo indi poteſt. Et Iſraelitis cum omnibus hominibus indita fuit. Non hoc modo indi demum debuit: nam ſic nunquam indi potuiſſet; cum omnis revelatio Dei naturalem notitiam ſupponat. Imo hanc inditam fuiſſe, ab ipſo Anonymo ſupponi debuit, cum dicit, *quod Deum cupiebant alloqui, ut de ejus Exiſtentia certi fierent.* Nam proculdubio concipiebant, & exiſtere cognoverant id quod cupiebant alloqui. Non etiam eos ipſum nomen alloqui deſideraſſe credi poteſt: nam irrationales non fuerunt. Atque adeo petitioni eorum ſatisfactum fuit, cum Deus per motum alicujus creaturæ ſignificavit & patefecit, ſe non tantum exiſtere, ſed etiam divinam ſuam gratiam iis abundantiſſime largiturum. Verum ut hac occaſione ſuum Myſterium, de Deo corporeo, tecte ſuo tractatui ſubſtrueret, inquit, *Scriptura omnino indicare videtur Deum ipſum locutum fuiſſe, & Judæos non tantum eum loquentem audiviſſe, ſed Magnates eum etiam vidiſſe, Exod. 24. Nec lex, Moſi revelata, cui nihil addere nihil adimere licebat, unquam præcepit ut credamus, Deum eſſe incorporeum. Nec etiam eum nullam habere imaginem ſive figuram, ſed tantum Deum eſſe, eique credere, eumque ſolum adorare, à cujus cultu ne diſcederent, præcepit ne ei aliquam imaginem affingerent, nec ullam facerent.* Deum ipſum locutum eſſe ſupra conceſſimus, & certiſſimum eſt. Quamvis etiam verum ſit Hebræos legem accepiſſe εἰς διαταγὰς ἀγγέλων in diſpoſitiones Angelorum Act. 7: 53. Et eam ordinatam fuiſſe δι' ἀγγέλων per Angelos in manu Mediatoris, Gal. 3. 19. Cum eam promulgaverit Angelus ille Fœderis, Dei Filius, plurimis Angelorum cuſtodiis, tum ad augendam legiſlatoris Majeſtatem, tum ad multiplicandum audientium terrorem, ſtipatus, ut patet ex coll. Deut. 33: 3. Et Exod. 20: 20. Qui jam tum in Eccleſia verſari, & cum Patriarchis colloqui, ac omnia quæ illuſtriſſimam Dei præſentiam requirere videbantur peragere conſueverat. Quique Moſi in rubo apparuerat Exod. 3: 1. 2. & ibid. com. 12. ſe in hoc monte colendum prædixerat. Sed Deum fuiſſe corpus illud, quo mediante formata fuit loquela: nullo modo indicare videtur Scriptura. Imo aperte repugnat ratio, & omnis loquendi modus. Loquitur enim qui corpus ſua voluntate regit: at is Deus eſt. Loquentem audimus & videmus, cujus

pag. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cogitata & præſentiam percipimus per ſigna corporea. Atque ita Deum loquentem audimus & videmus. Ipſum loquentem itaque non niſi corpus eſſe, plane repugnat: cum corpus nihil cogitet. Corpus cum eo eſſentialiter unitum nulla requirit neceſſitas, cum ſufficiat id ejus voluntati ſubjectum eſſe. Non præceperit Lex Moſis ut Deum credamus incorporeum eſſe. Omnibus innata Dei Notio id præcipit; nec admittit alium de Deo formari conceptum. Deum enim non Deum concipit, qui eum corporeum cogitat. Perfectum imperfectum. Ens primum, & à partibus ſe prioribus dependens. Sibi omni modo in ſe ſufficiens, & tamen non niſi Extenſio. Quæ ſi non repugnent, non repugnabit quicquam. Sed hæc latius ſupra Cap. 2: §. 9. 10. Nec Natura nota Moſis legi ſuperadduntur: ſed ad eam præſupponuntur & in ea continentur. Ita ut Lex id, quamvis non revelet, tamen non relinquat liberum, ſed certiſſimum ſupponat. Chriſtus id manifeſte docuit Joh. 4: 24. dicens Πνεῦμα ὁ θεὸς Spiritus Deus, & adorantes eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. Sed ut non tantum negative, verum etiam poſitive, ſuum Deum corporeum adſtruat, dicit, *Quin imo Scriptura clare indicat Deum habere figuram, & Moſen eam adſpexiſſe, nec tamen videre contigiſſe niſi Dei poſteriora. Quare non dubito quin hic lateat aliquod Myſterium.* Reſpicit hic locum Exod. 33: 18 — 23. Ubi Moſes, ad majorem fiduciam & quo partes ſuas alacrius obiret, Dei Gloriam ſibi propius & evidentius manifeſtari deſiderat. Et non prorſus repudiatur ejus oratio, ſed quantum fas erat exauditur. Exhibetur oculis ejus ſpectanda Dei Gloria: ſed ita ut viſio vigorem & animam quaſi receperit à voce. Et ne oculi excæcarentur divinæ gloriæ ſplendore, quaſi in fiſſura rupis collocatus, ita fuit contectus à Deo, ut oculos longius quam fas eſſet ad curioſum nimis aſpectum intendi eo non potuerint. Atque ita quaſi ex loco profundo & obſcuro ſplendentis divinæ gloriæ radios quoſdam percepit. Solem ipſum non vidit. Sed lumine quaſi prætereunte & fugiente divinæ gloriæ poſteriora vidit; non ſummam ejus claritatem, & omni creaturæ incomprehenſibilem fulgorem. Nullam itaque Moſes hic vidit figuram. Nullius ſcriptura meminit. Nam poſteriora Dei, non niſi prætereuntis divinæ Gloriæ remiſſiores radii fuerunt. Quodnam ergo hic latere poteſt Myſterium, ſi non fingat ſibi Anonymus Corporeum Deum; qui non niſi iniquitatis, & minime divinum, Myſterium eſt; & monſtrum corruptiſſimæ mentis monſtroſiſſimum. Quæ autem de hac Dei voce latius dicit Cap. 14. pag. 165, ibidem examinabimus.

§. 9. A Revelatione verbis facta tranſit ad eam *quæ per ſolas imagines contigit.* Verum ſi imaginum res ſignificatæ, nec immediate, nec mediantibus verbis revelentur intellectui, non niſi frigidæ & inanes viſiones ſunt, quæ nihil revelant. Et ſi ipſæ imagines mente non percipiantur, non niſi vanæ

&

& umbratiles picturæ ſunt, nulli quid ſignificantes. Si quis enim non videat imaginem, quid revelabit? Et ſi videat, quid patefaciet ignota ſignificatione? Videbant Pharao, Nebucadnezar, Belzazar & alii imagines: ſed quid intelligebant per eas, quamdiu Deus eorum mentibus non revelabat quod ſignificabant. Sit etiam rei notæ imago, ut hominis, bovis, ollæ, &c. Unde patebit quid per eas ſignificatum voluerit Deus? *David* 1 *Paralip.* 21: 16. videns Angelum manu gladium prehendentem, noverat quid ſignificaret, quia Gad Propheta jam inter tres pœnas propoſuerat Angelum Domini vaſtantem omnia. Quare Anonymus hanc male profert tanquam revelationem per ſolam imaginem. *Nec Bileam* ſolam vidit imaginem Angeli, & ex ea Dei iram cognovit Num. 22: 31. 32. Sed & audivit verba Angeli dicentis, ſe exiviſſe in adverſarium ejus; & illa intellexit. Ita ut per imagines ſolas nulla fiat revelatio, niſi vel mediantibus verbis, vel immediate patefiat intellectui res ſignificata.

§. 10. Quantum autem ad ipſas *Angelorum apparitiones.* Nec exiſtimandum cum Maimonide eas *ſemper in ſomnis* contigiſſe: nec *apertis oculis ipſos Angelos videri poſſe.* Priori enim manifeſte repugnat Scriptura. Nam apparuerunt Abrahamo Gen. 18: 1. 2. cum in oſtio tabernaculi ſederet & dies incaleſceret. Lotho circa veſperam cum ſederet in porta Sodomæ Gen. 19: 1. 2. Gideoni cum excuteret frumenta in torculari Jud. 6: 11. Eliſæ & timido ejus puero cum ab exercitu circumdarentur 2 Reg. 6: 17. Cum quibus conferri poſſunt apparitiones quæ contigerunt Matt. 28: 2. 5. Luc. 1: 11. 28. & 2. 9. Act. 1: 10. & 5. 19. Omnes vigilantibus factæ. Nec poſterius Scripturæ minus repugnat. Nam Hebr. 1: 7. 14. expreſſe Spiritus dicuntur. Et Chriſtus Luc. 24: 37 — 39. probat ſe non eſſe Spiritum, quia corpus erat, & viſu ac tactu ſentiri poterat. Aperte innuens Spiritum nec manibus, nec oculis percipi poſſe: Ita ut ineptiſſimus ſit Anonymus, cum dicit, *quod garriant, & nihil curent quam nugas Ariſtotelicas & ſua propria figmenta ex Scriptura extorquere*, qui id nobiſcum ſecundum Scripturam negant. Verum aliud dicere non potuit hic homo. Eſt enim hæc pars Myſterii quod fovet de Deo corporeo. Nam ſi Deus corpus ſit, nec Angelus, nec humana Mens aliud quid eſſe poteſt. Sed parum ſibi conſtare videtur, nam cap. 4. pag. 50. *Angelos pro* ipſa *voce creata* ſumit; quam certe nullus apertis oculis videre poteſt. Prætexit autem has nugas Ariſtotelicas eſſe, & ut tales à ſe rejici, quo magis videretur accedere recentioribus Philoſophis, Ariſtotelis dogmatibus non adeo alligatis. Sed toto cœlo ab iis diſtat, nam ſpiritus ſeu Dei, Angeli & Mentis à corpore diſtinctio, primum iis totius Philoſophiæ fundamentum eſt. Cui plane contrarium hic ſtruit Anonymus. Quantum autem ex Scriptura petita Chriſtianorum doctrina de Angelis, & Spiritibus creatis, diſtet ab Ariſtotelis nugis de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

de Intelligentiis, unicuique patebit, qui modo ultimos Metaphyſicorum libros inſpexerit.

§. 11. Præter Revelationes *per imagines* reales, ſtatuit etiam multa revelari per *non reales*, ſeu *à ſola imaginatione Prophetæ dependentes* Verum crediderim eum ſe non intellexiſſe. Nam licet per illas intelligat, quæ excitantur à veris objectis extra cerebrum exiſtentibus: per has vero, quæ in cerebro formantur abſque veris objectis externis; nullo modo hæ tamen à Prophetarum imaginatione ſola dependere dici poſſunt. Nam ſi imaginationem ſumat pro facultate formandi, ſibi, ex ſe, in ſuo cerebro tales imagines, & ab ea dicat imagines dependere. Jam non Deus, ſed ipſe Propheta ſibi ſua ſigna formaret, & ſibi ſignificaret quod per ea revelaretur. Quod abſurdum eſt. Si vero per imaginationem intelligat ipſam formationem imaginum, ea non niſi à Deo dependet. Et imagines à Deo immediate ſine objecto externo in cerebro formatæ non minus reales ſunt, quam quæ mediate per externum objectum formantur. Nec his quicquam revelari poteſt, niſi præter eas intellectui patefiat res ſignificata. In *Joſephi* cerebro à Deo formabantur imagines Solis, Lunæ, & Stellarum *Gen.* 27: 9. Has percipiebat mente ſua. Sed intelligebat præterea ſignificatum. Non vi illarum imaginum quæ ſi Deus voluiſſet aliud ſignificare potuiſſent: ſed ipſius mentis & intellectus illuminatione divina; qua docebatur à Deo tales cogitationes ad illas imagines formare. Hæc enim à ſe mutuo ſeparari poſſe, patet in Nebucadneſare, & aliis non intelligentibus ſuas viſiones. Imo ipſe Petrus Act. 10: 10. 11. 17. aliquandiu hæſitavit, quidnam eſ-
Pag. 6 ſet viſio quam viderat. Quomodo vero *Joſuæ* facta *Revelatio* cap. 5. com. 13. 14. 15. poſſit dici contigiſſe *per imagines* non reales *&* *verba*, nequit intelligi. Niſi id quod extrinſecus ejus oculis occurrebat, habeatur pro ſola imagine illius quod videbatur eſſe: cum revera nihil adſit, unde concludatur quod non fuerit id quod videbatur, ſcilicet verum corpus, inſtar humani formatum, & manu verum gladium tenens. Imo ſi ejus tantum imago fuiſſet, revelatio tamen facta dici non poſſet per imaginem non realem: nam ea nullum admittit objectum externum. Et verborum eadem ratio eſt. Revelata *Eſaiæ* cap. 6: 1: 2. 4. non niſi per *imagines* à Deo in cerebro formatas, *& imaginaria verba*, per motum etiam à ſolo Deo in cerebro determinatum, abſque ulla intellectus illuminatione & perfectione, occurriſſe, dici nequit, niſi quis Prophetam vel pro automato habeat, vel non aliam cenſeat ei contigiſſe revelationem, quam Pharaoni & aliis, revelata non intelligentibus.

§. 12. *Hæc omnia*, ſcilicet Deum Prophetis vel verbis vel figuris, vel utriſque revelaſſe quæ revelavit: & non niſi Moſem vera verba audiviſſe, ceteras vero imaginaria tantum, *clarius*, inquit, *confirmantur ex textu Num.* 12: 6. 7. 8. ubi hæc verba: *Si fuerit Propheta veſter*, ſeu inter vos, ego *Dominus* in-

in viſione ei notus fiam, ſeu me revelabo, *in ſomnio loquar in eo*, vel ei, vel cum eo: *Non ſic ſervus meus Moſes. Ore ad os loquar in eo, & viſione, & non in ænigmatibus, & ſimilitudinem*, ideam vel imaginem *Domini contemplabitur*, ſeu aſpiciet. Ubi Moſes à ceteris Prophetis diſtinguitur, iiſque præfertur in his tribus. I Quod Deus ei loquatur ore ad os. II. Quod ei non innoteſcat ænigmatibus. III. Quod Domini ſimilitudinem aſpiciat. Cum cæteris innoteſcat in viſione, & ænigmatibus & ſomniis. Quarum phraſium vera ſignificatio ſi obſervetur, patebit omnem Moſis præferentiam in eo conſiſtere, quod Deus ſe ei familiarius, clarius, & majore cum ſplendore revelaverit. Nullo modo vero, quod cæteris non fuerit locutus vera voce. Multo minus, quod Deus eorum mentibus nihil immediate revelaverit. Quod tamen probandum fuiſſet.

§. 13. Ut autem ex hoc loco diſtinctius pateat differentia Moſis & cæterorum Prophetarum, ſingulas has phraſes aliquanto penitius inſpiciamus, & quid in Scriptura valeant, diligentius examinemus. *De ore ad os loqui*, in Scriptura nihil aliud eſt, quam inſtar amici familiariter, & coram, quaſi in præſentia loqui, ut patet Jerem. 32:4. & 2 Joh. 12. ſeu ſine intermedio alio: nam hinc omnes cæteri Prophetæ Moſis Prophetias ab ipſo tenebantur recipere; & iis multa per Moſen, non contra, revelabantur. Quare cum Miriam hanc Moſaicæ Prophetiæ dignitatem diminuere tentaret, quaſi Moſes cum Cuſiticam duxiſſet uxorem patefeciſſet ſe non in omnibus ſuis Revelationibus à Deo duci; & ideo aliorum revelationes ejus revelationibus cedere non debere; ac conſequenter ipſum Moſen non minus teneri ab aliis divina revelata recipere, quam alii ab ipſo; Deus eam Moſis dignitatem manifeſto hoc oraculo confirmavit, & pronunciavit eum eſſe fidelem ſervum in tota domo ſua. Num. 12:7. ac Miriam ob eam ſeditionem juſta pœna publice multavit. Quandocunque vellet Deum adibat Moſes, & divina reſponſa referebat Num. 7:89. loquebatur ei Deus *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum* Exod. 33:11. Videns vigilanſque comiter & benigne, ſine terrore divinas hauriebat revelationes. Cum alii non niſi certis temporibus compotes fuerint doni Prophetici; & multis modis id ipſum excitare, & à Deo flagitare debuerint; ac tremebundi ſæpius & metu profligati divina reſponſa receperint, ut patet Dan. 10:7.8. *In viſione* vero, quod Græce ἐν εἴδει, *non in ænigmatibus loqui*, eſt aperte, & ſine figuris, quibus aliud videtur, aliud ſignificatur, ut alibi currus, oſſa, olla, ſpicæ, boves, &c. aliquid revelare. Non legitur autem Moſi tales figuras unquam propoſitas fuiſſe. Hinc etiam Exod. 33:11. dicitur, quod *Deus Moſi loquebatur facie ad faciem*. Et Deut. 34:10. quod *eum Deus noverit de facie ad faciem*, ſe ſcilicet, & ſuam voluntatem, ei patefaciens ſine ulla figura. Nam licet notiſſima ſit figura, ſemper tamen eſt ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſcurum aliquo modo quod per eam patefit. Ita ut *poſt Moſen non ſurrexerit Propheta ſicuti Moſes*; excepto Chriſto qui Moſe major & dignior fuit; & de quo ipſe Moſes Deut. 18: 15. 16. Nulli enim omnia ſine figuris tam aperte patefacta fuerunt. Eſt etiam hoc inſigne populi Judaici inter cætera privilegium, quod Deus inter eos viſus ſit, & cognita voluntas ejus, non tantum in ænigmatibus, ſed & *oculo ad oculum* Num. 14. 14. Tertia autem phraſis, ſcilicet *aſpicere ſimilitudinem Domini*, eſt ſummam aſpicere Dei gloriam, Filium Dei, Deo ſimillimum & ipſum Deum apparentem externo & glorioſiſſimo ſplendore divino. Quem nullus majorem aſpexit ac Moſes Exod. 33: 18. 20. 22. 23. & 34. 5. 6. 7. quamvis tantum ejus poſteriora, & veluti abeuntis remiſſiores radios, oculis hauſerit. Facies ejus, cum de monte deſcenderet, hinc adeo ſplendebat, ut ipſum accedere metuerent Iſraelitæ Exod. 34: 29. 30. & ipſe faciei velum, de quo Paulus 2 Cor. 3: 7. imponere debuerit. Unde ſed inepte ſatis, Rabbini dicunt Moſen vidiſſe per unicum ſpeculum purum & clarum; reliquos per plura; ut & per obſcura, & commaculata figuris. Nam ipſe Moſes rectius abſque figuris, abſque ſpeculo vidiſſe dicitur, cum viderit de facie ad faciem, de oculo ad oculum. Aliis autem Prophetis, nec tam familiariter, nec tam aperte, nec tanta cum gloria Deum ſe patefeciſſe, non modo docent terror & trepidatio eorum, quibus inter recipiendas revelationes correpti fuerunt, ut & ſtata vel incerto determinata Prophetandi tempora, cum Moſi nunquam non pateret aditus ad Deum, ſed & infinitæ figuræ & ænigmata, quibus Deus ſe iis revelavit. Docent hoc Scala Jacobi, Gen. 28: 12. Faſces Joſephi Gen. 37. 7. Panis ſubcinericius Gideonis Jud. 7: 13. Jeremiæ calathi ficuum Jerm. 24: 1. Ezechielis oſſa, & ligna cum inſcriptis nominibus Judæ & Joſephi Ezech. 37. Quatuor animalia Danielis cap. 7. com. 1. 3. Amoſi paroſcuridæ Amos 7: 1. ut & ficus æſtivorum fructuum ibid. cap. 8. com. 1. Zachariæ candelabrum & volumen volans cap. 4. com. 2. & cap. 5. com. 2. Ut nihil dicam de plurimis aliis. De Eſaia dicitur Joh. 12: 41. quod viderit Gloriam Dei: ſed non ut Moſes de oculo ad oculum, verum in, viſione, ut patet Jeſ. 6: 1. Vidit eam Ezechiel ſed ſimiliter non de facie ad faciem, ut liquet Ezech. 10: 1. 2. 4. & 11. 22. 23. & 45. 5. Vidit eandem etiam Daniel cap. 7. com. 9. 10. Vidit Micha 1 Reg. 22: 19. Vidit Amos cap. 9. com. 1. ſed ut cæteri, non ut Moſes, cui nullus ſimilis ſurrexit poſt eum, quamvis ejus præ cæteris prærogativa ſemper etiam locum reliquerit, huic Dei reſponſo, quod *homo vivus Dei faciem videre non poſſit* Exod. 33: 18. 20. Præterea Moſi non niſi vigilanti ſe patefecit Deus, cæteris ut plurimum in ſomnis, ut patet in Jacobo, Gen. 28: 12. & 46. 2. Samuele, 1 Sam. 3: 3. 4. Nathane, 2 Sam. 7: 4. 17. Salomone, 1 Reg. 3: 5. & 9. 1. 2. 3. Elia, 1 Reg. 19: 9. 10. Daniele cap. 2. com. 19. & 7. 1. 2. 13. Paulo, Act. 16: 9. & 18. 9. & 23. 11. aliiſque

ſine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſine fine pluribus notiſſimis. Hinc dicuntur hæ viſiones noctis Job. 4: 13. & 33. 15. Dan. 2: 19. & 7. 13. ſeu viſiones capitis alicujus, cum in lecto jacenti & ſomnum capienti in ſomnio exhibeantur, Dan. 2: 28. & 4. 5. 10. 13. & 7. 1. 5. Ita ut ex hoc loco Num. 12: 6. 7. 8. nullo modo probari poſſit, Deum non niſi Moſi vera voce locutum eſſe. Nam in plane aliis, jam deſignatis, conſtituitur Moſis præferentia præ cæteris. Multo minus hinc patet, Deum Prophetarum mentibus nihil immediate revelaſſe. Nam ſine eo nihil ex ullis imaginibus ſignificatum cognoſcere potuiſſent. Nec ulla ſubeſt ratio, cur illud quod Deut. 34. 10. dicitur, Moſem Deum noviſſe *de facie ad faciem*, cenſeat magis *intelligendum eſſe, per ſolam vocem*, quam cum idem dicitur Exod. 33: 11. ubi eandem Phraſin *de facie ad faciem* explicat quod cum Deo locutus fuerit, *ut ſocius, non vero perterritus*; quemadmodum etiam ipſe Moſes eam phraſin ibidem ſic explicat, dicens Deum ſibi locutum fuiſſe *ut vir cum amico.* Nam locus Exod. 33: 20. ubi dicitur quod *Moſes Dei faciem non viderit*, quem hic adducit Anonymus ut probet Deut. 34: 10. *de facie ad faciem* noviſſe, intelligendum eſſe *per ſolam vocem*, multo magis fuiſſet aptandus Exod. 33: 11. ubi tamen & ipſe textus, & Anonymus, eam phraſin, non de ſola voce, ſed de patefaciendi familiaritate ſumunt. Ita ut manifeſtum ſit, eum non niſi ex præjudicio ſuo, hunc locum Deut. 34: 10. ad ſolam vocem retrahere. Patet etiam quam infirmo tibicine nitatur totum hoc Anonymi figmentum de Revelatione per veram vocem ſoli Moſi facta.

§. 14. Adſtructa abſurda ſua ſententia de ſolo Moſe veram Dei vocem audiente, jam conatur deſtruere omnem immediatam menti factam à Deo revelationem. Ut ita nihil ſibi reliquum maneat in omni revelatione, quam illi cerebri motus, qui ad formandas imagines reales vel non reales, ut loquitur, vel ad extrinſece formatam vocem in cerebro reperiuntur. Quod revera eſt omnem tollere revelationem, & hominem conſiderare inſtar corporeæ tabulæ & ſtatuæ omni mente deſtitutæ. Primo concedit *Deum poſſe immediate ſe hominibus communicare*; *nam*, inquit, *nullis mediis corporeis adhibitis Menti noſtræ ſuam eſſentiam communicat.* Optime profecto. Sed ne ſub bonis his verbis lateat ejus iniquitatis Myſterium, admodum ſcire deſiderarem, quem habeat hic notionem Dei, quem hominis, quem communicationis illius, & qualem concipiat Mentem noſtram, ejuſque eſſentiam. Non Deus univerſum corpus eſt, & homo ejus immediata pars, cujus mens nullis corporeis mediis etiam communicatam à Deo habet eſſentiam, ſed non niſi corpoream. Verum Deus eſt ens perfectiſſimum; à corpore plane diverſum; Univerſum corpus ex nihilo creans & conſervans; Et ex nihilo creatam mentem à corpore plane diverſam cum eodem recte à ſe diſpoſito immediate & eſſentialiter uniens; Atque ita & menti, & homini, & omnibus pro ſua voluntate communicans

eam quam habent eſſentiam inter ſe omnino diverſam. *Attamen*, pergit, *ut homo aliquis ſola mente aliqua perciperet, quæ in primis noſtræ cognitionis fundamentis non continentur, nec ab iis deduci poſſunt, ejus mens præſtantior neceſſario, atque humana longe excellentior eſſe deberet.* Quod ipſum eſt omnem revelatorum cognitionem ex homine tollere. Sive enim per ea, quæ in primis noſtræ cognitionis fundamentis continentur, pro ratione ſui Myſterii, intelligi velit, ea, quorum imagines ordinariis & nobis notis in natura regulis motus & quietis in nobis dari poſſunt: ſive ea, quæ ex notionibus à Deo menti à corpore plane diverſæ innatis deduci poſſunt; nunquam aliam quam naturalem cognitionem habebit homo; nunquam vel ex alio homine, vel ex Deo quid poterit intelligere, quam quod ipſa natura dictat. Præterea quicquid in primis noſtræ cognitionis fundamentis continetur, & ab iis deduci poteſt, omnes homines æquali certitudine & dignitate percipere poſſunt atque amplecti; & idcirco ſecundum Anonymum nihil eorum fide revelatum recipi poteſt; quare conſequenter etiam ſecundum ipſum Anonymum hinc ſequitur, neminem mera fide quicquam revelatum amplecti poſſe. Ita ut hic & rectæ rationi, & omnibus notiſſimæ experientiæ, & ſibi, apertiſſimus adverſarius ſit. Deinde falſa eſt quam reddit ratio. Quod mens, ſi cognoſcat quæ in primis notionibus non continentur, neceſſario præſtantior, & humana longe excellentior eſſe debeat. Nam ad ea cognoſcenda, non requiritur ut novæ indantur notiones primæ, ſed ut inditæ variis inter ſe modis uniantur. Sic enim per eas alia & alia, non aliter quam per literas & ſonos diverſimode inter ſe unita, innoteſcunt, quæ ſine tali unione revelata, ex iis per ſe cognoſci non potuiſſent. Et talem unionem ſola mente fieri poſſe, abſque corpore, per ſe patet. Nam uti notiones illæ per ſe abſque corpore reperiuntur in mente: ſic etiam in ea ſine illo, variis modis uniri poſſunt. Quemadmodum id ſemper fit cum Deus menti aliquid naturaliter ignotum revelat. Sed de his latius ſupra cap. 4. §. 2. 10.

pag. 7. §. 15. Quod ergo hinc concludat, *nullum alium ad tantam perfectionem*, ſcilicet ut ſola mente quid cognoſcat, quod in primis notionibus non continetur, *ſupra alios perveniſſe præter Chriſtum*, mera fraus eſt. Sic enim Chriſtum, quem, ut demonſtrabimus, omnino abnegat, & vix nomine tenus admittit, ſupra homines extollere videri voluit, ne aperte pateret A-Chriſtianus: ſed nimium pellucet. Nam ſi Chriſtum conſideremus ſecundum naturam humanam, non aliam quam humanam mentem habuit; Angelos enim ſpiritus humana mente longe excellentiores, non aſſumpſit, ut inquit Apoſtolus, Heb. 2: 16. ſed ſemen Abrahami; & per omnia fratribus ſimilis factus, formam ſervi accepit Phil. 2: 7. infirmitatibus affectus, & in omnibus tentatus ut nos Heb. 4: 15. Quidem abſque peccato fuit ejus mens: ſed non ideo minus

minus humana. Atque adeo nec Chriſto, quatenus homo eſt, ſecundum Anonymum, quicquam revelari poſſet; nec ab eo quid ultra cognoſci, quam in primis humanæ cognitionis fundamentis continetur. Si vero divinam Chriſti naturam reſpiciamus, ipſe Deus eſt, ut patet Joh. 1: 1. & 20. 28. 1 Tim. 3: 16 Act. 20: 28. Jud. com. 4. Rom. 1: 3. 4. & 9. 5. Et ſic *Dei placita quæ homines ad ſalutem ducunt*, per ſe, & divina ſua natura, ſine revelatione cognoſcit. Præterea ſi concederetur Chriſtum quocunque modo aliqua cognoviſſe, quæ in primis noſtræ cognitionis fundamentis non continentur, & idcirco percipi non poſſent niſi à mente præſtantiore, & humana longe excellentiore; ea nobis revelare non potuiſſet. Nam cum à Deo non niſi humanam habeamus mentem, ea percipere nobis datum non fuiſſet; niſi forte hominibus præſtantiores & excellentiores alicunde redderemur. Quod omnino abſurdum eſt. Repugnat itaque ſibi Anonymus, cum dicit, *Deum per mentem Chriſti ſe Apoſtolis manifeſtaſſe, ut olim Moſi mediante voce aërea.* Nam ab Apoſtolis, cum non niſi homines fuerint, percipi non potuiſſet. Præterquam quod hic nulla ſit ſimilitudo inter ſpiritualem Chriſti mentem, & aëream ſeu corpoream vocem à Moſe auditam. Deinde formatam Dei vocem audiebat Moſes & ſenſu percipiebat. Sed mentem Chriſti non ſenſibus percipiebant Apoſtoli: ſed mediantibus verbis ſenſu perceptis ſignificatam intellectu cognoſcebant. Et ita non ſentiebant, ſed intelligebant. Ita ut Deus longe alio modo ſe Moſi per vocem aëream, & Apoſtolis per Chriſti mentem revelaverit. Ibi enim nil niſi corporis alicujus motum, ſeu ſonum hominibus ſignificativum excitavit. Hic primo mentem Chriſti tali donavit cognitione, qua paterent ei plurima quæ in primis humanæ cognitionis fundamentis non continentur, ſed tamen humano cognoſcendi lumine, ſi revelarentur, ſatis cognoſci poterant; & deinde fecit ut Chriſtus ea libere, verbis à ſe prolatis, Apoſtolis ſignificaret, & intellectu percipienda proponeret. *Quare vox Chriſti, ſicut illa quam Moſes audiebat, vox Dei vocari* non *poteſt.* Nam illa immediate à Deo in tali corpore fuit excitata: hæc in Chriſti corpore humano, non niſi mediante Chriſti mente. Unde hæc, ſi ſonus reſpiciatur, non niſi humana vox dicenda eſt, cum à Chriſto homine fiat. Si vero reſpiciatur res ſignificata, & per eam revelata, fateor, non minus Dei vox, quam ea quam Moſes audiebat, appellari poteſt. Nam non minus divina eſt, quam illa, ſeu non magis continetur in primis noſtræ cognitionis fundamentis quam illa. Et idcirco, ſi homo, nihil quam quod in primis ſuæ cognitionis fundamentis continetur, ſua mente, niſi humana longe excellentior ſit, percipere poſſit; nullus, vel per eam vocem quam Moſes audivit, vel qua Chriſtus apud Apoſtolos uſus fuit, quicquam revelatum, ſeu ultra id quod in primis humanæ cognitionis fundamentis continetur, cognoſcere potuiſſet. Nullus enim habet

mentem humana longe excellentiorem. Et conſequenter Anonymus tollit omnem qua vel Deus homini, vel Chriſto quatenus homo eſt, vel ipſe Chriſtus ulli ex ſuis Apoſtolis, quicquam ultra ea, quæ ex naturæ principiis innoteſcunt, id eſt, ſecundum Anonymi Myſterium, quorum imagines ordinariis & nobis occurrentibus in natura regulis motus & quietis in cerebro dari poſſunt, revelare poſſet, notitiam.

§. 16. Ut autem Anonymus pro Chriſtiano habeatur, minime ſufficit, eum *hoc* ſuo *ſenſu* dicere, *Sapientiam Dei*, *hoc eſt*, *Sapientiam quæ ſupra humanam eſt*, *naturam humanam in Chriſto aſſumpſiſſe.* Nam cum id in Scriptura dicitur, non ſignificatur; Sapientiam Dei, ſeu ſapientiam vel cognitionem quæ in primis humanæ cognitionis fundamentis non continetur, in humana Chriſti natura fuiſſe, quemadmodum olim fuit in aërea voce quam Moſes audivit. Qualis hic eſt ſenſus Anonymi; quippe qui dicit, Deum ſe, ſeu ſapientiam ſuam, non aliter per mentem Chriſti Apoſtolis revelaſſe, quam olim Moſi mediante voce aërea. Hoc enim non foret aſſumere naturam humanam: ſed per eam, ſignificari. Nec ſic Chriſtus ex divina & humana natura conſtaret, ut toties probatum, & plurimis Scripturæ locis ab omnibus Chriſtianis confirmatum eſt. Sed ut Deus olim per vocem in aëre formatam Moſi revelavit ſuam voluntatem, jam per ſimiliter formatam Chriſti mentem eodem modo Apoſtolis eam revelaret. *Chriſtus*, inquit cap. 4. pag. 50. *non tam Propheta quam os Dei fuit.* Cum eum Prophetam futurum prædixerit Moſes Deut. 18 : 15. & id Chriſto non tantum applicaverit Petrus Act. 3 : 22. Sed etiam ipſe Chriſtus ſibi Luc. 4: 18. *Deus enim*, ait ibid. *per mentem Chriſti*, *ſicuti ante per vocem creatam*, *viſiones*, *&c. quædam humano generi revelavit.* Quod præter abſurditates jam aſſignatas univerſam Chriſtianam fidem, ejuſque fundamentum, Chriſtum evertit. Nam non niſi eodem ſenſu dicit, *Chriſtum viam ſalutis fuiſſe*, ſcilicet quatenus ſapientia ſalutaris à Deo per mentem Chriſti, ut olim per vocem aëream Moſi, Apoſtolis fuit revelata. Et hanc ineptiſſimam ſuam ſententiam necdum certo habet Anonymus: ſed tantum per conjecturam. Nam, inquit, *quæ modo affirmavi*, de Chriſto ſcilicet, *ex ipſa Scriptura conjicio.* Quid enim huic homini certum eſſe poteſt. Et quantum ad rem ipſam. *Monere hic neceſſe eſt*, ait, *me de iis quæ quædam Eccleſiæ de Chriſto ſtatuunt*, *prorſus non loqui*, *neque ea negare*, *nam libenter fateor me ea non capere.* Verum cur hic non exprimit de quibus loquatur Eccleſiis? & de quibus earum dogmatibus? ſic ſcilicet nimis aperte pateret quantum ab omnibus Chriſtianis diſtet. Quantum à Scriptura. Quantum à veritate. Nam ex dictis luce meridiana clarius eſt, eum per Chriſtum nihil aliud intelligere, quam hominem, donatum mente, humana longe excellentiore, qua Deus ſuam ſapientiam, hominibus ſalutarem, Apoſtolis, non aliter quam Moſi per vocem aëream,

aëream revelavit; & qui ſic hominibus ſalutis via fuit. De cæteris autem, quæ inter alias Reformatæ Eccleſiæ de Chriſto docent, tum circa divinam ejus Naturam & proprietates, ac unionem cum humana, tum circa nativitatem, vitam, officia, merita, paſſionem, ſatisfactionem, reſurrectionem, glorificationem, & continuam pro ſuis interceſſionem in cœlis, aliaque Scripturis maniſeſtiſſima, monet ſe *prorſus non loqui.* Addens tamen, *ſe neque ea negare.* Nomine tenus ſaltem, nam de iis plane tacet. Sed interim talia ſtruit fundamenta, quibus hæc, & ſimilia quæ de iis docet Scriptura, plane deſtruuntur & evertuntur, ſi fieri poſſit errorem triumphare veritatem. Sic enim Atheam & A-Chriſtianam ſuam mentem occultare non potuit, ut non undique pelluceret; & de facto negaret, quæ ſe negare nolle verbis expreſſis monuerat. Ut autem conſtaret, cur de iis nec loquatur, nec ea neget, hanc reddit rationem, quod ſcilicet *non capiat*; nam ex ejus ſententia requirunt hæc mentem humana longe excellentiorem. Sed mirum profecto, eum hic uſum non fuiſſe ſua methodo interpretandi Scripturam, de qua Cap. 7. pag. 102. adeo gloriatur, quod *per eam indemonſtrabilia plurima explicare, & de iis ſecure diſſerere poſſit.* Alia procul dubio hic latet ratio; non potuit hæc ſcilicet aptare ſuo Myſterio de Deo corporeo. Sed hoc aperte dici non debuit. Fundamentum vero earum conjecturarum hoc eſt, quod *nullibi legerit Deum Chriſto apparuiſſe, aut locutum fuiſſe; ſed Deum per Chriſtum Apoſtolis revelatum fuiſſe; eumque viam ſalutis eſſe. Et denique Veterem Legem per Angelum non vero à Deo immediate traditam fuiſſe*, &c. Et hac de cauſa, de Chriſti Natura, divinitate, cæteriſque jam dictis, in Eccleſiis Chriſtianis ſine dubio admiſſis, non loquitur, nec eadem negat, ſed tantum, ut dixerat, de Chriſto conjicit, quod non tam divinus Propheta, vel Deus ipſe, quam os, & vox Dei ſit; & Deus per ejus mentem ſeſe Apoſtolis manifeſtaverit ut olim Moſi mediante voce aërea. Et quod hoc ſenſu, non autem alio ſcilicet, dicere poſſimus Sapientiam Dei naturam humanam in Chriſto aſſumpſiſſe. Ac Chriſtum viam ſalutis fuiſſe. Cur vero pro hac incerta ſua conjectura non potius, uti debuit, concluſit, Chriſtum divinæ naturæ participem, & ipſum Deum eſſe, quam corporeum Dei inſtrumentum? Hæc enim vera cauſa fuit cur Deus ei non apparuerit, & externa voce locutus non ſit. Deinde, qualis eſt hæc conſequentia, Deus per Chriſtum Apoſtolis revelatus fuit, ergo Chriſtus Apoſtolis fuit, quod Moſi vox aërea? Deum mediante Chriſti natura humana, ſe Apoſtolis revelaſſe, dubio caret. Sed quis hinc, niſi abſurdiſſimus, concluſerit in Chriſto divinam naturam non aliter cum humana unitam fuiſſe, quam vox aërea qua ſe Moſi revelavit Deus, vel cum re ſignificata, vel cum Deo ſignificante? Præterea ſupra pag. 5. *Scriptura omnino ei indicare videbatur Deum ipſum locutum fuiſſe.* Hic autem pag. 7. *legem per Angelum non vero à Deo immediate traditam fuiſſe.* Quis hæc

conci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

conciliet? Quomodo vero per Angelorum miniſterium ipſo Deo loquente tradita fuerit lex, ſupra diximus §. 8. Nam Angelus ille fuit ipſe Deus, Filius ſcilicet, Angelus ille Fœderis. Cum Angelus huic Anonymo non niſi vox aërea ſit, quam Deus formavit ut Moſi ſuam patefaceret voluntatem; ut patet ex Cap. 4 pag. 50, ubi negat Deum ſuas revelationes opinionibus *Angelorum, hoc eſt*, inquit, *vocis creatæ, & viſionum*, accommodaſſe. Ita ut nec alio ſenſu Chriſtum ſalutis viam dicat, quam quatenus olim Angelus ille, ſeu vox à Moſe audita, fuit via, ſeu medium ſalutarem cognitionem acquirendi. Quid autem per Salutem intelligat, in ſequentibus patebit. Saltem eam ultra hanc vitam extendi, ne quidem minima litera ſignificat. Imo nulla conjectura ex integro ejus tractatu colligi poteſt. Exiſtimate, quomodo de Chriſto & quæ quædam Eccleſiæ de eo ſtatuunt, non loquatur, neque etiam eadem neget. Hoc tamen ſtatuit diſcrimen inter Moſen & Chriſtum (quamvis ut ſibi conſtaret, non Moſen cum Chriſto, ſed Moſen cum Apoſtolis, & Chriſtum cum voce aërea conferre debuiſſet) quod *ſi Moſes* (ſub conditione loquitur: nam rem ipſam negat pag. 6. contra expreſſa Scripturæ verba Exod. 33:11. quæ plane invertit, & nobis vindicata fuerunt §. 13.) *cum Deo de facie ad faciem, ut vir cum ſocio ſolet* (*hoc eſt mediantibus duobus*, Angelo ſcilicet ſeu voce aërea & Moſis, *corporibus*) *loquebatur: Chriſtus quidem de mente ad mentem cum Deo communicavit*. Moſen mediantibus corporibus Dei voluntatem percepiſſe, negari non poteſt. Sed qua ratione Chriſtus ex Anonymi ſententia poſſit dici communicaſſe cum Deo de mente ad mentem equidem explicatum deſiderarem. Nobis illud notiſſimum & certiſſimum eſt. Nam humanæ Chriſti menti, ex hypoſtatica Divinæ & Humanæ naturæ unione, multa ſupra cæteras immediate revelata fuiſſe, tota docet Hiſtoria Euangelica. Sed Anonymus mentem Chriſti conſiderat inter Deum & Apoſtolos, non aliter quam vocem aëream inter Deum & Moſen. Ita ut ex ejus ſententia Chriſti mens non aliter cum Deo communicaverit, quam vox aërea, Moſi audita. Deinde cum requirat mentem non humanam, ſed humana longe excellentiorem ut percipiat quæ in primis noſtræ cognitionis fundamentis non continentur, nec ab iis deduci poſſunt, & Chriſtus non niſi humanam habuerit mentem, nec Chriſtus, ſecundum Anonymum in aliis cum Deo communicare potuit, quam quæ in primis noſtræ cognitionis fundamentis continentur. Et ſi ſtatuat, quod tamen falſum eſt, Chriſtum habuiſſe mentem non humanam, Chriſto communicata non potuiſſent patefieri Apoſtolis, niſi *forte intelligere vel potius ſomniare velit*, ut ipſis Anonymi verbis ineptis utar, *Apoſtolos corpus quidem humanum, mentem vero non humanam habuiſſe*. Quibus omnibus quod unquam in ullius perverſa mente deteſtabilius monſtrum natum fuit? Quid magis alogon, repugnans & contradictorium? Quid omnibus

Scriptu-

Scripturis magis adverſum ? Quid plurimorum abſurditatum magis frugiferum ? Quam quod hic ab hoc impuro animali, de ſacratiſſimo noſtro Mediatore Chriſto, cui omnis noſtra ſalus innititur, eructatum audivimus. Chriſtum Deum ipſum eſſe, qui naturam humanam aſſumpſit, non inſtar vocis aut ſigni quo ſe patefaceret, ſed ut tanquam divino-humana Perſona ſuis indicaret & pararet viam ſalutis, ac Divinæ juſtitiæ pró mundi peccatis ſatisfaceret, ut quiſque credens in eum non pereat, ſed vitam æternam obtineat, adeo manifeſtum eſt in Scripturis & à noſtris toties probatum, ut deſtructis abſurdiſſimis Anonymi ſigmentis, iis adverſis, nos iis latius probandis inhærere minime videatur neceſſarium. Aſſerimus itaque, Neminem imaginationis ope, videlicet ope verborum aut imaginum Dei revelata accepiſſe cujus menti à Deo quid patefactum non fuerit. Et plurimis mentibus immediate non pauca patefacta fuiſſe, quæ nullis imaginibus in imaginatione occurrerant. In quo Chriſti mentem cæteras omnes excelluiſſe, teſtante Scriptura, extra dubium cenſemus. Atque adeo ad Prophetizandum nec requiſitam fuiſſe mentem non humanam; nec ſuffeciſſe vividiorem imaginationem, ſed neceſſariam fuiſſe mentis humanæ divinitus factam illuminationem divinam, cujus naturam & rationem expoſuimus cap. 4. §. 6-12.

§. 17. Verum cum hæc humanæ mentis illuminatio paſſim in Sacris Literis facta dicatur per *Spiritum Dei Prophetis infuſum*, *vel quod Prophetæ ex Dei Spiritu loquebantur* cum Anonymo hæc tria ſunt inquirenda 1. Quid in Scriptura ſignificet vox Hebræa רוח *ruagh*, *quam*, inquit, *vulgus Spiritum interpretatur?* 2. Quomodo aliquid in Scriptura referatur ad Deum, & Dei eſſe dicatur? 3. Quomodo explicanda ſint Scripturæ loca in quibus de Dei Spiritu ſit mentio?

§. 18. Quantum ad Primum. Septem diverſas enumerat hujus vocis ſignificationes. Quibus ex indicibus & concordantiis aliæ plurimæ ſuperaddi poſſent. Poſſet etiam demonſtrari, quod eaſdem non ſatis recte nonnunquam aſſumat. Sed cum id parum ad ſcopum noſtrum faciat, quia plurimæ non pertinent ad rem præſentem, ſingulatim eas examinare, ne nimis operoſi ſimus, ſuperſedebimus. Solummodo in ſequentibus attendentes, *pag.* 8. quid, & ex quibus aliquid concludat, & quam recte.

§. 19. Circa ſecundum, adducit quinque modos, quibus res aliqua refertur ad Deum, & Dei dicitur eſſe. Eorum ultimus nobis præcipue ſpectandus eſt, cum ei innitatur univerſus tractatus. Quinto itaque, rem Dei *pag* 9. eſſe, dici aſſerit, *ad eandem in ſuperlativo gradu exprimendum.* Ut *Montes Dei*, Pſalm 36: 7. *hoc eſt montes altiſſimi. Somnus Dei*, 1 Sam. 26: 12. *id eſt profundiſſimus. Subverſio Dei*, Amos 4: 11. *id eſt memorabilis.* Salomonis *ſcientia* etiam *Dei* vocatur 1 Reg. 3: 28. *id eſt ſupra communem. Cedri Dei*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Pſalm 80:11. *ad exprimendam inſolitam magnitudinem. Metus Dei* 1 Sam. 11:7. *id eſt admodum magnus. Et hoc ſenſu*, inquit, *omnia quæ captum Judæorum ſuperabant, & quorum cauſas naturales tum temporis ignorabant, ad Deum referri ſolebant.* Ad quæ reſpondemus, I, Quod negari non poſſit, ea quæ nobis occurrunt ſupravulgaria, ſæpe divina dici, ut patet 1 Chron. 12:22. Jon. 3:3. & plurimis aliis locis. Deus enim excellit omnia, & nihil non eſt infra eum. II. Quod id tamen non fiat, quaſi vulgaria minus à Deo, vel divina forent: ſed tantum quod in iis ſplendens Dei gloria, nonnullis hominibus, proprio ſuo vitio, minus occurrat, qui idcirco eadem non niſi per errorem pro minus divinis habentes, non niſi excellentia divina dicunt. III. Quod ex hac unica cauſa, nec omnes, nec iidem, nec eodem modo, ſemper eadem æque pro divinis habuerint; ſed pro diverſis cognitionis & errorum gradibus, diverſis temporibus diverſa. Qui olim, & etiam hodie, per media à Deo ſuppeditata perfectiorem ſibi compararunt rerum divinarum & humanarum cognitionem, ubique ſplendidiſſimam Dei gloriam, etiam in vulgatiſſimis & minimis, vident. Sed qui minorem ſeu minus perfectam, habent cognitionem, minima & vulgaria negligentes, eam ſolum in maximis obſervarunt. Nam propter innatam conſcientiæ vim, fieri non potuit, eam in nullis obſervari, niſi lumen naturale, quo *Dei inviſibilia à creatione mundi, ex creaturis intelliguntur & perſpiciuntur*, Rom. 1:20. ſumma malitia tantis tenebris involveretur, ut nullos *veritatis in injuſtitia detentæ* radios patefacere poſſet. IV. Quod hinc quidem inſcium & ſuæ cognitionis ſecurum vulgus, nulli, vel quibuſcunque aliis cauſis potius, quam Deo, adſcribens minima & vulgaria, non niſi ſupervulgaria, quorum naturales cauſas, ut cæterorum, ſcire ſibi non videbatur, pro divinis habuerit & ad Deum retulerit. Sed quod tamen ideo non omnium quæ à Judæis ad Deum relata ſunt, & Dei dicta, naturales cauſæ reddi poſſint. Nam inter ea quæ ad Deum retulerunt, etiam talia fuerunt, quæ omnem humanum captum ſuperabant. Ita ut illi per errorem Deo denegaverint, quæ ei conveniebant; & adſcripſerint quæ conveniebant, quamvis ex alia cauſa. Nam omnia quorum cauſas & cognoſcimus, & ignoramus Divina ſunt: Sed cum inter illa reperiantur etiam quæ nullas admittunt cauſas naturales, non quidem erramus, ſi omnia pro divinis habeamus, & ad Deum referamus: verum erramus, ſi omnia, quorum cauſas ignoramus, tales admittere negemus; id enim foret Deo noſtros adſcribere defectus, & creatam noſtram mentem divinorum operum regulam facere. Quem errorem erraverunt Judæi, qui *tempeſtates*, *tonitrua*, *fulmina*, aliaque, ſic retulerunt ad Deum, quaſi nullas naturales cauſas admitterent; ideo tantum, quia ipſi, nihil inquirentes, eas ignorabant. Verum cum ad Deum referrent miracula,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

quæ revera nullas cauſas naturales admittebant, ea quidem recte dixerunt eſſe Dei opera nonnaturalia: ſed tamen id non aſſeruerunt ex vera cauſa. Nam id non ſtatuebant ex eo quod viderent, quemadmodum videre potuiſſent, ſi à Deo communicatis cognoſcendi mediis recte uſi fuiſſent, ea nullas cauſas naturales admittere, ſed tantum quod ex ignorantia ſua, non inculpabili, nullas eorum cauſas cognoſcerent. Ita ut Anonymus errorem huic directe oppoſitum erret, cum cenſeat, nulla dari Dei opera quæ cauſas naturales non admittunt licet nos multorum ignoremus; & idcirco quævis miracula velit haberi pro naturalibus Dei operibus. Quod eſt Deum intra naturæ terminos & limites coarctare, & ex infinito finitum reddere. Ut itaque & hunc & illum evitemus errorem, ad Deum referenda cenſemus omnia quæ poſt legitimum examen nullas cauſas naturales admittere ſcimus, ut & omnia quæ tales admittere videmus. Et illa pro miraculoſis, hæc pro ordinariis & naturalibus Dei operibus habemus. Atque illis accenſemus omnia quæ nobis ſcriptura refert miracula. Inter hæc autem eminere cenſemus ea quæ in ſuperlativo gradu per denominationem Dei expreſſa voluit Scriptura. Quod vero *in Geneſi homines fortiſſimi, & magnæ ſtaturæ, quamvis impii raptores, & ſcortatores, Filii Dei vocati* fuerint, deſideraremus aliquo loco probari. Nam in cap. 6. com. 4. nihil tale quid occurrere, cuivis inſpicienti patebit. *pag.* 10.

§. 20. His quaſi munitus, tranſit ad *explicationem locorum Scripturæ quibus de Dei Spiritu mentio fit.* Varias etiam hic enumerat ſignificationes vocum *Spiritus Dei*; quas omnes à nobis examinari nihil attinet. Obſervamus præcipue duo ſumma capita ſignificationum quas profert; omnes enim non notavit. Primo ſignificant creatum quid. Secundo Deum, vel Dei quid. Inter creata ſignificant *ventum vehementiſſimum, ſicciſſimum, fatalem* Eſa. 40: 7. cui addere potuiſſet Exod. 15: 10. Pſalm 147: 18. Eſa. 11: 15. Sed Gen. 1: 2. nihil aliud ſignificari, probandum fuiſſet. Significant *animum magnum*, ut Gideonis, Sampſonis, Bezaleelis Exod. 31: 3. cæteraque dona divina, ut patet ex coll. Eſa 11: 2. Quomodo *Saulis Spiritus malus Dei* Spiritus dicatur 1 Sam. 16: 16. non eſt quod hic late diſquiramus. Significant etiam *Mentem hominis* ut Job 27: 3. Ezech. 37: 14. Sed idem ſignificari Gen. 6: 3. & Pſalm 51: 12. 13. falſum eſſe patet cuivis inſpicienti tantum. Nec ulla ratione probabit, Davidem exiſtimaſſe, *peccata ex ſola carne oriri.* Nam ipſi appetitus, quos hic per Spiritum ſignificàri fatetur, mentis ſunt; utpote quæ volitiones & deſideria ſunt. Quantum ad Deum, *propter vulgi imbecillitatem, Spiritus Dei*, inquit, *in ſacris ſæpe uſurpatur pro mente, ſcilicet animo, affectu, vi, & halitu oris Dei.* Sic *mentem Dei* ſignificat Eſa. 40: 13. ut patet ex coll. Rom. 11: 34. & 1 Cor. 2: 16. Item Eſa. 63. 10. quamvis non adeo directe. Sed quod *pro lege Moſis uſurpari ſoleat, quia Dei quaſi men-* *pag.* 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tem explicat, nullo modo patet ex eo quem adducit loco Eſa. 63: 11. Nam ſi conferatur com. 14. manifeſte patet, non legem, ſed gratioſam Dei vel Spiritus divini operationem intelligi. Quam eandem etiam intelligi *Nehem.*
pag. 12. 9: 20. patebit ex coll. Deut. 2: 7. & 8. 4. & 29. 5. Imo ipſo loco *Deut.* 4: 6. *ad quem Nehemiam alludere* dicit Anonymus, nihil aſſeritur, quam quod obſervatio legis habenda ſit pro Judæorum unica Sapientia: Et quod gentiles ex illa obſervantia Judæorum gentem unice Sapientem ſint prædicaturæ. Ac quod lex eam ſapientiam doceat, quatenus eam præſcriptam continet. Nec ultra lex hic pro Dei Spiritu vel Sapientia ſumitur. *Pſalm* 143: 10, David reſpicit magis eandem gratioſam Dei directionem, qua Deus populum in deſerto duxit Deut. 2: 7. &c. & ad eam alludens, ſimili gratia duci vult, quam legem ſecundum quam à Deo ducendus eſſet. *Pſalm* 33: 6. non ***Dei halitum***, ſed mandatum & voluntatem ſignificari, patet & ex coll. Gen. 1: 2. & Apoc. 4: 11. ***Potentiam Dei & Præſentiam*** ſignificari *Job* 33: 4. *Pſalm* 139: 7. negari non poteſt. ***Iram Dei*** ſignificari patet inſpicienti Zach. 6: 8. coll. Ezech. 5: 13. ut & Eſa. 30: 28. 30. 31. 33. nec non Job 4: 9. & 15. 30. Sed *Mich.* 2: 7. ſignificari *Dei Miſericordiam*, nullo modo patet. Nam rogatur, an ad prophetandum minor jam tum tempore Michæ ſit Dei potentia quam olim; ſeu an donum jam conceſſum non æque divinum ſit, ac olim? & Deus non æque Deus? Ita ut potius Potentia Dei, quam Miſericordia ſignificetur. Quemadmodum id expreſſe fit Num. 11: 23. Sic & *Zach.* 4: 6. non Miſericordia, ſed virtus ac fortitudo, à Deo gtatioſe conceſſa, & ex naturæ viribus profluenti oppoſita, ſignificatur. Et *ibid. cap.* 7. *com.* 12. ſignificari ipſa Prophetiæ dona, quibus Deus legem & mandata populo ſuo tradidit, non
pag. 13. miſericordiam, ad oculum inſpicienti patebit. *Hagæi cap.* 2. *com.* 5. 6. ſignificari quaſvis gratioſas Dei operationes, meridiana luce clarius eſt. Sed *Eſa.* 48: 16. vel animum & miſericordiam Dei, vel mentem in lege revelatam ſignificari, nu''o modo aſſeri poteſt. Nam ea non poſſunt dici mittere Prophetam, quod hic de Deo & Spiritu in eadem ratione & perſonaliter dicitur. Ita ut hic vera perſona divina ſignificetur, cui miſſio Prophetarum, quæ non niſi Dei opus eſt, paſſim in Scriptura tribuitur, ut patet ex coll. Eſa. 61: 1. 2. cum Luc. 4: 18. Act. 28: 25. cum Eſa. 6: 9. Matt. 9: 38. cum Act. 13: 2. 4. & 20. 28. 1 Cor. 12: 4—11. Sed quomodo admitteret tertiam Deitatis Perſonam, qui nec primam, nec ſecundam admittens, non niſi Atheiſmum fovet in ſinu. Dicere quidem poterat Eſaias, ſecundum præſcriptam mentem legis *Levit.* 19: 17. hic adſum: ſed ideo nullo modo poterat aſſerere Dominum Deum & Spiritum ejus ipſum miſiſſe. Nam non legis, ſed Domini Dei virtute, ſecundum legis dictatum aderat.

§. 21. Poſt has longas, & tædioſas, ac ſpinoſas ambages, jam tandem redit

dit ad propoſitum, relaturus fructum tam laborioſe ſcilicet quæſitarum ſignificationum vocis *Spiritus Dei. Ex his omnibus*, inquit, *hæ Scripturæ phraſes perſpicuæ fiunt, nempe, Prophetæ Spiritus, Dei fuit. Deus Spiritum ſuum hominibus infudit. Homines Spiritu Dei, & Spiritu Sancto repleti ſunt*, &c. *Nihil enim aliud ſignificare, quam quod Prophetæ virtutem ſingularem & ſupracommunem habebant, quodque pietatem eximia animi conſtantia colebant.* Bona verba profecto: ſed penitius eorum mentem inſpiciamus. Virtus illa ſingularis & ſupracommunis, fluitne ex cuique communibus naturæ principiis; an vero ex ſingularibus & Prophetis propriis? Si illud, ſupracommunis dici nequit, cum omnibus naturaliter adſit. Si hoc, ex ipſa tua ſententia *ſomnias Prophetas corpus quidem humanum mentem vero non humanam habuiſſe*, ut ais pag. 2. Deinde qualis eſt hæc virtus? in quo conſiſtit? unde oritur? circa quæ verſatur? quo uſque ſe extendit? in lucem prodeat quæſo. Nos ſupra cap. 4. noſtram ſententiam breviter expoſuimus. Eximia illa animi conſtantia qua pietatem coluerunt, unde nata? cur magis in illis quam aliis hominibus, ſi ex communibus naturæ principiis prodierit? Si vero præter naturam à Deo gratioſe conceſſam credas, cur tot quæſiviſti ambages Anonyme? Nam non diſſentis ab iis quos ſomniare dicis. *Deinde* dicis *quod Dei mentem ſive ſententiam percipiebant.* Verum eſt. Sed eam etiam naturaliter, ut fateris, percipiunt omnes. Si autem regeras id quod pag. 1. dixeras, *cognitionem Propheticam à naturali non differre, niſi quod ea ultra limites hujus ſe extendat, & quod humanæ naturæ leges, in ſe conſideratæ, non poſſunt ejus eſſe cauſa.* Optime, ſit ita. Sed quænam ergo eſt ejus cauſa? procul dubio leges univerſæ naturæ. Si inſpiciatur Anonymi ſententia. Et conſequenter quantumcumque ſupracommunis hæc cognitio ſit, non tamen naturam tranſcendit, & ex alio quam naturæ principio profluit. Unde ergo illa magis in Prophetis quam in aliis hominibus? cum omnes æqualiter univerſæ naturæ partes ſint. Sed inania ſunt omnia, nam quod ſupra §. 20. refutatum fuit, hic iterum aſſumens, dicit, *Legem, Spiritum ſive mentem Dei vocari*, & inde, quod ineptius adhuc eſt, infert, *imaginationem Prophetarum mentem Dei vocari poſſe*, quia ſcilicet, *per eam Dei Decreta*, quæ poſtea pro naturæ neceſſariæ regulis habet, *revelantur.* Atque ita pereunt & evaneſcunt omnia, quæ tam ſpecioſe de Prophetarum virtute, pietate, & cognitione ſupracommuni protulerat. Nam ultra naturæ leges & Prophetarum imaginationem, ſeu corporeas eorum imagines non aſcendunt. Quod enim addit, *Prophetas Dei Spiritum habere dictos fuiſſe, quia homines cauſas Propheticæ cognitionis ignorabant, ideoque eam Dei cognitionem vocare ſolebant*, eſt in hominum ignorantia & errore, Divinæ cognitionis fundamentum locare. Nam homines eam ideo divinam dixerint: an idcirco non alia de cauſa divina fuit? an non alia datur cauſa cur ea Pro-

phetarum cognitio, quam homines ex mala cauſa divinam dixerunt, revera divina fuerit? & an non propter eam ab omnibus divina dici debet & debuit? Cur ergo eam ex illa potius, quam ex hac divinam dicis. Sed ut videtur, præter illam nullam novit.

pag. 14. §. 22. Tandem itaque, poſt tot fruſtra conſumptos & perditos labores, quibus omnem menti factam revelationem evertere, & Prophetas omni divino Spiritu privatos, ſola quadam imaginatione corporea voluit exornatos, concludit, ſe *ſine ſcrupulo affirmare poſſe, Prophetas non niſi ope imaginationis, Dei revelata percepiſſe, id eſt mediantibus verbis, vel imaginibus, iiſque veris aut imaginariis. Nam*, rationem redditurus, inquit, *cum nulla alia media in Scriptura præter hæc reperiamus, nulla etiam alia, nobis fingere licet.* Sed nos ex hactenus dictis contrariam poſſemus formare concluſionem, Prophetas plurima revelata percepiſſe ſolo intellectu immediate; multa mediante imaginatione: multa mediantibus ſenſibus, ſed ita ut & hæc, & illa mente revelata percepta fuerint; imo omnia per imagines ſignificata menti immediate revelari debuerint. Et cum horum omnium exempla plurima reperiamus in Scriptura, & ex ea produxerimus, concludimus abſurdum eſſe Anonymum, qui abſque ratione non niſi imaginariam fingit Prophetarum cognitionem & revelationem Propheticam, non niſi errore & ignorantia vulgi divinam & ſupranaturalem.

§. 23. Explicaturus tamen hanc imaginariam Prophetarum cognitionem, quæ ne quidem imago cognitionis eſt: Fatetur ſe *ignorare quibus naturæ legibus id factum fuerit*, quod ſcilicet talia revelata per imaginationem perceperint. Sed unde novit quod hæc, ut fingit, naturæ legibus facta fuerint. Probandum hoc fuiſſet, non ſupponendum. Verum cum ejus probationem tentare non potuerit, quin apertum fieret, & omnium oculis exponeretur quod fovet pudendum Myſterium de Deo corporeo æternæ neceſſitati ſubjecto, id ſupponere quam probare maluit. Nos infra contrarium demonſtrabimus ex fundamentis jam ſupra cap. 2. adſtructis. *Potuiſſem quidem*, inquit, *ut alii, dicere per Dei potentiam factum fuiſſe; attamen garrire viderer. Nam idem eſſet, ac ſi termino aliquo tranſcendentali, formam alicujus rei ſingularis velim explicare.* Sed hic iterum probandum fuiſſet, hanc rem ſingularem aliunde quam immediate à Deo formam ſuam habere. Vel à Deo nihil immediate fieri poſſe; & omnium ſingularium ſingularem à Deo diſtinctam cauſam aſſignari poſſe. Præterea nec ipſe ſingularem cauſam aſſignat: nam univerſæ naturæ leges, quas adducit, etiam tranſcendentales ſunt; ita ut ipſe ſibi etiam garrire videri debeat, niſi ex præjudicio de ſe ſtatuat. Quod *omnia per Dei Potentiam facta* ſint, certiſſimum eſt. Sed id non obeſt, quin etiam ſingula per illam facta ſint. Deinde fiunt alia ſecundum ordinarium & nobis notum

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

in natura conſtitutum à Deo curſum & ordinem; alia præter illum. Omnia quidem per Dei Potentiam: ſed hæc ita ut Dei Potentiam extraordinario, illa vero ordinario modo patefaciant. Non quod hæc deſtruant Dei ordinem, vel contra eum fiant; hoc enim repugnat: ſed quod naturæ ordo in his ad Dei voluntatem, qua omnis ordo conſtitutus eſt, ab æterno extraordinario modo libere determinatus ſit. Quare etiam extraordinario modo per Potentiam Dei facta dici poſſunt. Qualis autem ſit ille modus, uſque dum à Deo ſupernaturaliter reveletur, neceſſario ignoratur; tum quod ex ordinario in natura conſtituto à Deo ordine, & nobis tantum à natura cognito, innoteſcere nequeat; tum quod finita noſtra mente potentiam Dei infinitam comprehendere non poſſimus. Verum eſt, *quod naturæ potentia nulla ſit, niſi ipſa Dei potentia.* Nihil enim aliquid eſt, aut poteſt, ſine Deo. Sed Deum, naturæ auctorem, nil niſi naturalia poſſe; & Dei potentiam non ultra naturam corpoream aut quamvis creatam, patere; vel eam non quovis modo determinare pro arbitrio ſuo poſſe & potuiſſe, omni abſurditate abſurdius eſt. Nam hoc eſt Deum cum creatura confundere. Creaturam accipere pro Creatore. Imo hoc eſt Creationem & Creatorem abnegare. Ac fatalem introducere cauſarum concatenationem, quam expreſſe aſſerit cap. 4. pag. 44. Et univerſitatis corporeæ æternam & ſibi ſufficientem ſtatuere exiſtentiam. Quod eſt ipſiſſimum illud iniquitatis Myſterium, quod adeo tecte fovet Anonymus. *Certum eſt nos eatenus Dei potentiam non intelligere, quatenus cauſas naturales ignoramus.* Nam omnis earum virtus à Deo, & Dei eſt: nihil enim per cauſas naturales fit, niſi potentia Dei. Sed tamen, cum ſciamus etiam, Deum, totius naturæ auctorem, liberrima & efficaciſſima ſua voluntate res creatas ita determinare potuiſſe & poſſe, ut per ordinarium ab eo conſtitutum naturæ curſum nunquam tales evaſiſſent, quales jam divina voluntate nec interrupto, nec deſtructo, ſed tantum ſpeciali modo, ex ipſa rei natura non neceſſario fluente, determinato communi ordine naturæ, fiunt & exiſtunt. Non *ſtulte* agimus, ut Anonymo pro ſua Sapientia placet, ſi in illis, cauſas naturales ſeu ex ipſis rerum naturis ſecundum ordinarium curſum à Deo in natura conſtitutum profluentes, cum non dentur, ignorantes, immediate *ad ipſam Dei potentiam* aſcendamus. Nam ex ſola Dei voluntate: non autem ordinario per Deum conſtituto naturæ ordine ſunt & cognoſci poſſunt. Et idcirco eorum etiam alia ratio reddi nequit. Sed ſtulte agit Anonymus quando aſſerit omnia fieri naturæ legibus & potentia: cum ipſe teneatur fateri ſe ignorare quibus. Nam hoc ignorans, neceſſario ſemper incertus eſt, an non aliqua fiant præter leges naturæ. An non detur auctor naturæ, qui leges aliquando & in quibuſdam ceſſare; & ſalvis quidem naturæ legibus, ſed tamen præter eas, quædam exiſtere voluit, quæ nullis naturæ legibus, ſed ſola ejus voluntate exiſterent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Si vero Divinam voluntatem ipſam Naturæ legem eſſe dicat, ſed abſque revelatione nobis ignotam, cum ordinarie per naturam non occurrat; jam quæſtionem de nomine facit; & ſolis terminis, tantum diſſentire videtur. Nam nullus negat ea quæ fiunt, etiam miracula, per Dei voluntatem & ordinem à Deo conſtitutum, ſeu Divinæ voluntatis decretum fieri: Huc enim reſpicit Theologorum diſtinctio voluntatis Divinæ in Ordinariam & Ordinatam. Sed tantum negatur quod fiant ſecundum ordinarium in natura per Deum conſtitutum, & homini ex ea cognoſcibilem, curſum. Verum quomodo hæc conveniat cum Anonymi *Univerſali conſideratione de Fato & concatenatione cauſarum* de qua cap 4. pag 44. & alibi, hactenus non videmus. Quod autem homo curſum illum ordinarium ignorans, pro miraculis habeat, & immediate ad Deum recurrat, quoties tantum neſcit cauſas naturales, error & præcipitantia eſt. Quod tamen etiam cognoſci poſſit, alicujus effectus nullam eſſe cauſam naturalem, patet, quia poſt adhibitum examen legitimum innoteſcere poteſt, nullum eſſe nexum inter illum effectum & aliquam in natura cauſam naturalem, unde ad eam neceſſario ſequi & exiſtere deberet. Sed cum hæc latius infra ubi de Miraculis, deducenda veniant, hic ſubſiſtemus. Præcipue cum nec *nobis magis opus ſit Propheticæ cognitionis cauſam ſeu rationem qua Deus eam cauſet, ſcire*, quam Anonymo: quippe *qui* non minus quam ille, *Scripturæ documenta inveſtigare conamur, & noſtra ex iis* rationaliter ſeu intelligentes concludere; fatentes nos multum quidem *curare documentorum cauſas*, ſed agnoſcere eas eſſe nobis imperveſtigabiles & ſoli Deo notas, cum eas nihil *curet* Anonymus. Atque ita concidit univerſa capitis hujus concluſio. Scilicet Deum non niſi ope imaginationis, & nihil immediate menti Prophetarum revelaſſe ex iis quæ revelavit. Et cognitionem Propheticam, divinam vel à Dei Spiritu profectam tantum dici & dicendam eſſe, quod excedat hominum communem cognitionem, & homines ejus cauſas ignorent eamque admirentur. Cum demonſtraverimus plurima menti revelata abſque ulla imaginatione, imo omnem revelationem per imagines eam neceſſario requirere probaverimus; Et veram cauſam cur divina ſit dicenda cognitio Prophetica, non ex vulgi errore petendam eſſe, ſed è perfectione Dei, & ejuſdem cognitionis gratioſa donatione divina.

§. 24. Reſtant quædam annexa quæ ex falſa ſua Theſi deducit, dictis à nobis ſponte collabentia. Primo *non dubium eſt*, inquit, *Prophetas multa, cum imaginationis ope Dei revelata perceperint, extra intellectus limites percipere poſſe.* An ergo datur imaginatio abſque intellectu percipiens? An perceptio quæ non ſit intellectus percipientis? An imaginatio ſe ultra intellectum extendit, & percipit quæ intellectus limites excedunt? An ergo percipitur quod non intelligitur? Quis in his tenebris & abſurdis quicquam lucis aut veritatis

videat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

videat. Nam cum imaginari ſit ad præcedentem imaginem in cerebro quid mente percipere & intelligere, nihil imaginationis ope percipi poteſt, quod non intelligatur. Multo minus aliquid percipitur quod eſt extra intellectus limites, ſeu quod percipi non poteſt. Sed rationem reddit, *nam ex verbis*, inquit, *& imaginibus longe plures ideæ componi poſſunt, quam ex ſolis iis principiis & notionibus quibus tota noſtra naturalis cognitio ſuperſtruitur.* Quam inepte! Nam cum verba & imagines nihil ſignificent, niſi iis annectantur cogitationes, nunquam plures ideæ ex verbis & imaginibus in cerebro fieri poſſunt, quam in mente cogitationes. Et cum Prophetæ, ut & omnes homines longe plura cognoverint, quam vel verbis vel imaginatione patefacta ſunt, ex ſolis principiis & notionibus, quibus naturalis noſtra cognitio nititur, longe plures ideas formare potuerunt, quam verbis & imaginibus hauſerunt. Nam multa cognoverunt de quibus nihil unquam audiverant; aut ullæ poterant fieri imagines. Talia fuerunt enim quæ Deus immediate menti patefecit, ſupra §. 6. à nobis enumerata, & alia, ut & ea quæ mens eorum, diligente attentione, incognita ex cognitis deduxit.

§. 25. Secundo, *patet deinde*, inquit, *Cur Prophetæ omnia fere parabolice & ænigmatice perceperint & docuerint, & omnia ſpiritualia corporaliter expreſſerint.* Non profecto quod ea ſpirituali mente non perceperint, & tantum eorum imagines in cerebro habuerint. Sed quod Deus voluerit ſe accommodare eorum captui, & intellectum eorum, tanquam minus firmum in divinis, corporeis figuris & imaginibus ænigmatice inſtituere. Tum etiam quod Moſem voluerit in eo cæteros excellere, quippe qui ſine figuris & ænigmatibus ac parabolis Dei mentem percepit & intellexit, & populum alloquens faciem contegere coactus fuit. *Omnia fere* dicit Anonymus, quædam excipiens, cum antea nihil excipiens, omnia diceret per imaginationem revelata fuiſſe. Præterea, quid hoc eſt, *omnia ſpiritualia corporaliter exprimi* à Prophetis. Abſque corporeis ſignis nullus hominum ſua cogitata poteſt alteri communicare, vide Cap. 4. §. 4. 5. Et rerum ſpiritualium imago corporea nulla dari poteſt. Nec adhibita fuerunt ænigmata & parabolæ quam ut homines in iis res ſpirituales mente & ſpiritualiter quodammodo cognoſcerent.

§. 26. Tertio, *nec jam mirabimur*, inquit, *cur Scriptura vel Prophetæ adeo improprie & obſcure de Dei Spiritu ſive mente loquantur. Ut Num.* 11: 17. *&* 1. *Reg.* 22: 21. *&c.* Verum ſi hic *Spiritum Dei* pro ipſa Dei mente vel ſententia ſumat; de ea non obſcurius locuti fuerunt, quam Deus eam revelaverat. Præterea non ſemper æque obſcure, nec æque clare de ea locuti ſunt; ut nos & omnes exerceremur ejus attenta inquiſitione. Si vero ſumat pro donis à Deo ſpiritualiter hominibus communicatis, etiam de iis Scriptura valde clare locuta fuit: nam ea plurimis modis exprimit; jam dicens Spiritum adeſſe, &

 eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

eſſe in eo cui conceduntur, ut in Ioſepho Gen. 41: 38. Joſua Num. 27:18. Daniele Cap. 5. com. 14. jam eſſe ſupra eum, ut Eſa. 61.1. Luc. 2:25. & 4. 18. jam poni in eum, Matt. 12: 18. Eſa. 42: 1. jam effundi ſuper eum, Eſa. 32: 15. & 44. 3. Ezech. 39:29. Act. 2:17. 18.33. jam illabi in eum, Act. 8:16. & 10.44. & 11.15. jam ſuper eum quieſcere 2 Reg. 2: 15. Eſa. 11:2. 1 Pet. 4: 14. Imo ipſe dicitur ungi, repleri, & plenus eſſe Spiritu, pro copia, efficacia, & diverſis donorum Spiritualium gradibus. Omnia tantum ut facilius intelligerentur. Quantum vero ad producta Anonymi loca, ea non tam per ſe obſcura ſunt, quam ab ipſo ex propriis præjudiciis ei obſcura fiunt. Nam *Num.* 11: 17. Deus Moſi dicit, *& deſcendam, & loquar tecum ibi, & reſervabo de Spiritu qui ſuper te, & ponam ſuper eos,* Septuaginta ſeniores ſcilicet, *& portabunt*, &c. id eſt à multis & copioſis donis quæ tibi conjunctim conceſſi, quædam ſeparabo & reſervabo & ipſis tantum dabo quædam : ſcilicet dabo iis, ut tibi, dona Juſtitiæ, Sapientiæ, Modeſtiæ, &c. imo etiam Prophetiæ : nam prophetabant, Dei magnalia ſapienter eloquentes; ſed, ut patet com. 25. illo tantum tempore; non enim poſtea donum illud ipſis ut Moſi adfuit. Ita ut iis manifeſte tantum quædam ex iis donis quæ Moſi conceſſa fuerant, concederentur, quibuſdam ab iis ſeparatis & à Deo reſervatis. Sed hic locus obſcurus eſt Anonymo, quia per *Spiritum*, non niſi ex ſuo præjudicio, Moſis imaginationem intellexit, & de illius ſeparatione hic agi credidit, atque ita næ intelligendo fecit, ut nihil intelligeret. Similiter locus 1 Reg. 21: 22. obſcurus dici nequit, niſi vel quatenus non revelatur, quomodo illi Spiritus apparuerint Prophetæ; quod tamen ad diſtinctam Scripturæ cognitionem non requiritur: nam eos revelatos fuiſſe ſcire ſufficit: vel quia negat Anonymus Spirituales quaſdam eſſentias à corpore diſtinctas exiſtere, & per hoc aut illud corpus alicui homini apparere poſſe: id eſt ſibi tenebras ſuffundit. Nam hoc conceſſo, nihil obſcuritatis hic eſt.

§. 27. Quarto *non mirabimur*, inquit, *quod Micheas Deum ſedentem, Daniel autem ut ſenem veſtibus albis indutum, Ezechiel vero veluti ignem, & qui Chriſto aderant, Spiritum Sanctum, ut columbam deſcendentem, Apoſtoli vero ut linguas igneas, & Paulus denique, cum prius converteretur lucem magnam viderit.* Sed ex his quidem pateſit, Deum ſe per corporea ſigna mediante imaginatione revelaſſe: nullo modo vero rem ſignificatam menti non occurriſſe: & non plurima menti revelata fuiſſe quæ per imaginationem cognoſci non poterant. Non etiam hæc omnia vi temperamenti humani, aut corporeæ naturæ regulis quibuſdam contigerunt, ſed ſola Divina voluntate. Ita ut hic Anonymo pro abſurditate ſua nihil præſidii ſit.

pag. 15. §. 28. Quinto, *quoniam*, inquit, *imaginatio vaga eſt, & inconſtans, ideo Prophetia Prophetis non diu hærebat, nec etiam frequens, ſed admodum rara*

rara erat, in pauciſſimis ſcilicet hominibus, & in iis etiam admodum raro. Ipſos revelationum actus nulli continuos fuiſſe, quis aſſereret; nam talis Propheta nunquam aliis communicaret ſibi revelata, ſed tantum reciperet. Verum hoc non per liberrimam & efficaciſſimam Dei voluntatem, ſed tantum ex eorum inconſtanti & vaga imaginatione contigiſſe, Anonymi præjudicium eſt. Præterea Deus ſe quibuſdam per totam vitam revelavit, ut patet in Samuele, Jeremia & aliis, quamvis ſucceſſive, diverſis revelationum actibus; uti & omnes noſtræ cogitationes ſibi mutuo ſuccedunt. Et Prophetia, ſeu ſemel revelata veritas, multis per omnem vitam inhæſit. Quod id autem paucis obtigerit, ita ſola prudentiſſima Dei diſpenſatione factum putamus, ut ejus nullæ cauſæ ſecundæ quæri aut inveniri poſſint. Hactenus de Prophetia.

CAPUT SEPTIMUM.

De Prophetis.

§. 1. POſt Prophetias ad Prophetas tranſit, inquiſiturus, *Unde iis oriri potuerit certitudo eorum, quæ tantum per imaginationem, & non ex certis mentis principiis*, ut loquitur in fine Cap. 1. pag. 15. *percipiebant.* Et ibidem magno hiatu promittit, ſe nihil, niſi quod ex Scriptura petitum fuerit, propoſiturum. Periculum faciamus, & ſequamur hominem. *Ex ſuperiori Capite*, inquit, *ſequitur Prophetas non fuiſſe perfectiore mente præditos, ſed quidem potentia vividius imaginandi.* Verum & nos demonſtravimus, ne quidem requiri mentem eſſentialiter perfectiorem. Conferatur Cap. 6. §. 3. & Cap. 4. §. 6—11. Sed tamen ex dictis patet, & negari non poteſt, Prophetarum mentes in tantum perfectiores fuiſſe cæteris, in quantum Deus iis immediate patefaciebat cæteris incognita. Niſi forte nomen mentis Anonymo brutus ſonus ſit, aut literæ nihil ſignificantes, quod videtur ex plurimis locis totius Diſcurſus. Vividam etiam in Prophetis imaginationem fuiſſe, facile concedimus. Sed magis vividam quam in aliis, probandum fuiſſet Anonymo. Id enim non ſequitur ex eo quod ad divinam voluntatem, quædam ſibi fuerint imaginati quæ non alii: nam & illi forte alia longe clarius, facilius & diſtinctius imaginati fuerunt: & omnibus, ſi modo voluiſſet Deus, eadem occurrere potuiſſent. *Salomonem* ſumma *Sapientia* donatum à Deo fuiſſe, patet 1 Reg. 3: 12. & 4. 29—34. & alibi. Quatenus autem, ut alii Prophetæ, inter quos Eſaias, Jeremias, Oſeas, &c. munere Prophetico publice & ordinarie functus non fuit; & non tam copioſas habuit revelationes ac quidem alii; facile concedo eum *non dono Prophetico cæteros excelluiſſe.* Sed probandum Anonymo

Anonym. cap. 2. pag. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nymo fuiſſet, id proceſſiſſe ex defectu potentiæ vividius imaginandi: non autem ex ſola Dei libertate, ſua dona pro arbitrio diſtribuentis. Sapientiſſimi etiam & prudentiſſimi fuerunt *Heman, Chalcol* & *Darda* filii Maholis, ut patet 1 Reg. 4: 31. Sed unde patet eos non fuiſſe Prophetas ex defectu potentiæ vividius imaginandi? Nullus aſſerit omnes Sapientes fuiſſe Prophetas; aut ſummam Sapientiam ad Prophetiæ donum in hominibus prærequiſitam fuiſſe. Sed etiam Sapientia Prophetiæ donum non deſtruit; nec Prophetia Sapientiam minuit: nam utramque Deus donavit. Ipſe *Heman* 1 Chron. 25:5. dicitur *videns regis in verbis Dei.* Et *qui olim videns jam Propheta* dicitur 1 Sam. 9: 9. *Homines ruſticos & extra omnem diſciplinam, imo mulierculas dono Prophetico præditas* fuiſſe, quis negabit? Docet hoc aperte Scriptura de Maria Moſis & Aharonis Sorore Exod. 15:20. coll. Num. 12:2. de Debora Jud. 4: 4. de Hulda, 1 Reg. 22:4. Amos cap. 1. com. 1. fuit inter pecuarios, &c. Sed an *Hagar Abrahami Ancilla* Prophetiſſa dici poſſit, non adeo patet, ſi ſatis attendatur ad loca, Gen. 16:9. 10. &c. & 21. 17. Quicquid ſit, concedemus ad donum Propheticum non magnam prærequiri ſapientiam? Deus enim ſua revelare poteſt quibuſcunque, etiam minimis, ut patet Matt. 11: 25. 1 Cor. 1:25.26.27. Sed tamen inde non ſequitur, omnes, quibus conceſſit donum Propheticum, Sapientia deſtitutos fuiſſe; aut Sapientia præditos eſſe non potuiſſe. Nam Deus ſua non minus Sapientiſſimis quam omni Sapientia deſtitutis pateſacere poteſt. Cum alia longe ſit Dei quam hominum Sapientia, ut Paulus teſtatur 1 Cor. 2: 5. 7. & intelligentiæ divinæ nulla ſit inveſtigatio Eſa. 40: 28. Et nugatorium eſt, quod hic addit Anonymus, eos *qui maxime imaginatione pollent, minus aptos eſſe ad res pure intelligendum, & contra.* Nam quamvis id concederemus: quod tamen abſque limitatione & explicatione diducta facere non poſſumus. Deus à nullius intellectus excellenti ſapientia, vel imaginatione minus vivida poteſt impediri in revelandis iis quæ vult, & quibus vult: nam *operatur in omnibus omnia* Rom. 11: 36. Act. 17: 28. Phil. 2: 13. Huic enim *per Spiritum datur ſermo Sapientiæ, alii autem ſermo Scientiæ, alii autem Prophetia*, &c. *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens privatim ſingulis pro ut vult* 1 Cor. 12: 6. 8. 10. 11. Imo ipſe Moſes, cujus Prophetiæ donum omnes antecelluit, ut demonſtratum Cap. 6. §. 13. teſtante Apoſtolo, Act. 7: 22. *Eruditus fuit omni Sapientia Ægyptiorum*, qui tunc temporis Philoſophorum antiſtites fuerunt, & à quibus omnis ſapientia in Græciam tranſlata fuit.

§. 2. Hinc toto cœlo aberrat Anonymus, qui putat, *Sapientiam & rerum naturalium & ſpiritualium cognitionem, ex Prophetarum libris inveſtigantes, tota errare via.* Hac ſcilicet de cauſa, quod Prophetæ Sapientia deſtituti, ſola vividius imaginandi potentia præditi fuerint. Nam quantum ad res

res naturales. Earum accurata ſeu Philoſophica cognitio ex Prophetarum libris haurienda non eſt. Quia Scripturæ ſcopus & finis non eſt, nos in naturalibus, ſed *ad ſalutem ſapientes reddere*, 2 Tim. 3: 15. *utilis eſt ad doctrinam* de via ſalutis, & eam obtinendi mediis naturaliter ignotis; *ad redargutionem* errorum naturæ defectu commiſſorum; ad *correctionem* vitæ & morum pravorum; *ad diſciplinam in juſtitia*, docens quid inſtum & injuſtum, quid honeſtum & turpe ſit. Non autem ad acquirendam rerum naturalium notitiam Philoſophicam ſeu accuratam. Quippe quæ nonnunquam incidenter, indirecte, & non propter ſe, de rebus naturalibus loquens, in iis ultra communem, vulgaribus cognoſcendi mediis, per ſenſus & experientiam, comparabilem cognitionem non aſcendit. Et expreſſe teſtatur, ſe non docere *Sapientiam ſeculi* aut *Græcorum* inter quos tunc temporis Philoſophiæ ſeu rerum naturalium ſtudium florebat, ſed *Sapientiam Dei in Myſterio*, quam mundus & homines ſeculi naturali perſpicacia indagare non poſſunt 1 Cor. 1: 22. 23. & 2: 6. 7. 12. *Chriſtum* ſcilicet *Crucifixum*, ad quem omnia referri, patet ex collatione locorum Joh. 20: 31. 2 Cor. 1: 20. Rom. 15: 4. 1 Cor. 2: 2. Imo ipſe Deus, ſpeciali Providentia Scripturam conſervans, egregios procul dubio & accuratiſſimos Salomonis ſapientiſſimi diſcurſus, quos habuit de plantis, jumentis, volucribus, reptilibus & piſcibus, 1 Reg. 4: 33. aliiſque rebus naturalibus, non tantum ſacris voluminibus intermiſceri, ſed etiam ab iis ſeparatim conſervari noluit. Et Moſen Creationis opus explicaturum, non pro ſua, quam obtinebat rerum naturalium ſapientia naturali & Philoſophica, ſubtiliter de divinis operibus diſſerere, ac intimas eorum naturas & eſſentias explicare permiſit. Sed tantum breviter ab eo recenſeri voluit & à Deo creatas narrari præcipuas eorum ſpecies, omnium hominum oculis obvias; præteritis iis quæ ſenſibus non occurrunt, & vel à corporibus remota ſeu ſeparata, vel in altiſſimis cœlis, aut intimis terræ viſceribus recondita ſunt. Ita ut ratio cur ex Scripturis petenda non ſit rerum naturalium accurata notitia, nullo modo ſit, Prophetarum defectus Sapientiæ & *potentia vividius imaginandi*, ut fingit Anonymus: ſed ipſe Scripturæ ſcopus, & finis, quem Deus in tradenda Scriptura ſibi propoſitum docet, à Philoſophia rerum naturalium notitia longe diverſum. Quantum vero ad res Spirituales non niſi Spiritualiter dijudicandas, ut Paulus loquitur, 1 Cor. 2: 14. 15. Profecto non video unde petenda ſit earum cognitio, ſi ex Prophetarum libris ſeu Sacra Scriptura nequeat inveſtigari. Sed cum Anonymus omnem earum notitiam aperte negare non auderet, id ipſum occulte præſtat, eam à S. Scriptura removens, & ſubſtituta quadam imaginatione nude corporea, ad naturam ablegans, in qua, tamen, teſtante Scriptura 1 Cor. 2: 5. 7. & alibi nihil hujus ſpiritualis cognitionis reperire datur. Conferatur ſupra Cap. 3. §. 11. Cætera quæ hic addit de quibuſdam, *qui aperte fatentur ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Dei ideam non habere, & Deum non niſi per res creatas (quarum cauſas igno-
pag. *rant) cognoſcere, non erubeſcunt Philoſophos Atheiſmi accuſare.* Nihil ad nos.
16. Cum ideam Dei in nobis apertiſſimam agnoſcamus. Et Generalis omnium Reformatorum Theologorum doctrina ſit, innatam dari Dei notitiam, præter & ante eam, quam ex creaturis acquirimus. Et ſi forte quidam ſingulares, ſingulari vel affectu vel errore, negaverint ſe Dei ideam habere, id vel quibuſdam eorum præjudiciis, vel partium ſtudiis adſcribendum exiſtimo, vel ſaltem termini illius *Ideæ* ignorantiæ aut detorſioni. Sed admodum aveo ſcire, An, & qualem hic Anonymus, qui oculis mala lippus injunctis, in aliorum vitiis tam cernit acutum, in ſe habeat Ideam Dei ? & quomodo ipſe notam Atheiſmi effugere poſſit, cum Deum ab univerſo non diſtinguat. Turpe eſt Doctori, ſi culpa redarguat ipſum.

§. 3. Cæteris de Prophetarum Doctrinâ fuſius explicandâ promiſſis, *prius*, inquit, *de certitudine Prophetarum hic agendum.* Ubi concedimus id quod ſupponit. *Imaginationem ex ſua natura non involvere certitudinem, ſicuti omnis clara & diſtincta idea, ſed imaginationi, ut de rebus quas imaginamur certi eſſe poſſimus, aliquid neceſſario accedere, nempe ratiocinium.* Nam cum à corpore dependeant imagines, & quovis corporeo motu, de re per imagines repræſentata per ſe nihil certum eſſe poſſit. Quare Prophetis ſemper etiam aliquid adfuit, unde certi erant, ea quæ revelabantur, à Deo revelari. Sed tamen hinc ſequi non putamus, *Prophetiam per ſe non poſſe involvere certitudinem.* Nam præterquam quod falſum ſit, & nobis confutatum Anonymi fundamentum, ſcilicet omnem Prophetiam non niſi imaginationem fuiſſe, nulla datur ratio, cur in ipſa Prophetia contineri non poſſit, id, unde cognoſcatur, revelata, à Deo revelari. Certum eſt, ea quæ revelantur, non neceſſario ex noſtra vel Dei natura fluere & innoteſcere: ſed tamen ideo dicendum non eſt, ea per ſe nullam involvere poſſe certitudinem. Quidni enim poſſet Deus nobis aliquid revelans, ita revelare, ut ex ea revelatione & revelatis, certiſſime conſtaret Deum id revelaſſe? Potuit nos cum ideis innatis creans, tantam iis indere certitudinem. Quidni & nobis aliquid revelans, cum ideis revelatis, ſeu à Deo variis modis unitis, eandem concedere poſſet? Deſiderarunt quidem nonnunquam Viri Sancti *ſignum aliquod divinum*, ſed ut patet in *Abrahamo Gen.* 15:6.8. ſæpe poſtquam jam crediderunt & fide certi ſunt. Ut in ea certitudine, contra carnis tentationes & infirmitates, facilius ſeſe tueantur. Nam fidei certitudo ſæpe non aliter quod ad nos per eas adeo debilitatur, ut nobis ejus vix conſcii ſimus, quam innatæ cognitionis certitudo, à recurrentibus, & nos invitos obruentibus præjudiciis, debilitari ſolet. Sed tamen ideo vel res natura notas, vel revelatas, minime reddunt incertas. Deinde ſignum deſiderarunt, ut ſecum alios de ſuis revelationibus iis enarratis certos redderent, ut pa-
tet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tet in *Moſe* Exod. 3: 11. 12. 13. & 4. 1. 8. 9. Cui Deus reſpondit, Hebræos ei fidem habituros, ſi hanc ſolam enarraret revelationem, confer, Exod. 3: 18. Eadem certitudo reſpicitur *Deut.* 18: 22. Quod autem *Ezechias*, *qui*, fatente Anonymo, *dudum noverat Eſaiam eſſe Prophetam*, tamen 2 Reg. 20: 8. ſignum petierit; quidem arguit ejus fidei defectum; minime vero revelationis incertitudinem per ſeſe. *Gideon* etiam ſignum petiit, quia per errorem Angelum non niſi pro homine Propheta habebat, ut patet Jud. 6: 17. 18. 22. à quo jure ſignum petere poterat. Tandem cum Deus non omnibus eodem modo revelet quæ revelat, ſignum in quibuſdam tantum requiritur, ſi ſcilicet per imaginationem & externas figuras quid revelaverit: non ſi menti immediate. Imo cujuſvis ſigni res ſignificata menti tanquam divina patefit ſine ſigno: nam alioquin in infinitum ſignorum ſigna requirerentur; & nunquam ex aliquo ſigno quid innoteſceret. Quod abſurdum, & ipſi Anonymo adverſum eſt. Ab imaginatione dependeant imagines & figuræ, quibus mediantibus Prophetis aliquid revelatur: ſed res ſignificata per eas imagines, ab imaginatione dependere nequit. Nam ejus nulla poteſt dari imaginatio, cum imago ejus fingi non poſſit. Et ſi poſſet, ſemper alia & alia ſine fine requireretur, ut homo de aliqua poſſet eſſe certus. Cum autem non illa figura & imago Prophetia ſit: ſed id quod per eam revelatur; quod imaginari non poſſumus, ſed tantum intelligere; ineptus eſt Anonymus, cum hic dicit, *Omnem Prophetiam à ſola imaginatione pendere*; eique fundamento cæteras ſuas ineptias ſuperſtruit. Non enim Pharo, & Nebucadnezar, qui viderant imagines: ſed Joſeph & Daniel, qui rem ſignificatam noverant, Prophetæ fuerunt, & Prophetias habuerunt. Verum hæc diſtinguere non potuit Anonymus. Quia nullibi admittit in homine ſubſtantiam à corpore diſtinctam. Ut nec Deum ab univerſo diſtinctum. Quod Atheum plane, & omnino deteſtandum ejus fundamentum eſt omnium errorum.

§. 4. Aliam eſſe Certitudinem eorum quæ naturaliter cognoſcuntur, & eorum quæ revelantur, ac revelata creduntur, extra dubium eſt. Nam utriuſque alia & alia natura eſt. Illa enim ſolis primis notionibus, in quibus evidenter continentur, nituntur. Hæc ſola revelantis auctoritate. Et idcirco illa per ſe cognoſcuntur: Hæc ſolo ratiocinio, quo certò admittitur, à Deo factam eſſe, quam habemus revelationem. Sed tamen ideo non minor horum, quam illorum certitudo. Cum omnia ſimul eadem nitantur Dei veracitate. Et tanta revelatorum certitudo ſit, ut pro eorum natura major dari, aut concipi non poſſit. Illa *Mathematica* dicatur, quia fluit ex ipſa rerum natura per Deum conſtituta. Hæc *Moralis* eſt, quia fluit ex ejuſdem Dei infallibili auctoritate. Et ideo hæc illi, ratione firmitatis, nullo modo cedit. Legitur quidem *Deut.* 13: 1. &c. Prophetam novos Deos docentem, & ideo mortis

dam-

damnandum, nonnunquam ſuam doctrinam etiam confirmare ſignis & miraculis quæ veniunt. Sed cum illa ſigna fiant in ſeductionem à vero Deo, manifeſtum eſt, ea non eſſe vera, ſed *ſigna & prodigia mendacii*, ut Paulus loquitur, 2 Theſſ. 2: 9. quibus acquieſcendum & ſtandum non eſſe, notiſſimum erat. Hæc enim vel à falſis Prophetis conficta fuerunt, & ab iis ipſis doloſe peracta; vel contingenter præter eorum opinionem venerunt; vel tantum evenire apparuerunt vel ſolis cauſis naturalibus extiterunt. Et Deus quidem per talia falſorum Prophetarum ſpuria ſigna, populum ſuum, quem primum plurimis ſignis de ſe & voluntate ſua plane certum reddidit, ac verbo ſuo divinitus munivit, tentat, an ſibi & verbo ſuo certiſſimo ſatis adhæreant, & ad alienos Deos ſeduci nolint. Sed tamen ipſe Deus falſa ſigna facere ad tentandum populum dici non poteſt. Nam id culpa non careret; & homines excuſabiles redderet. Et vera ſigna fieri non poſſunt ad confirmandam ſeductionem à vero Deo: nam ſic Deus ſibi adverſus eſſet. Utitur ergo Deus falſis Prophetarum mendacium ſignis; vel ſignis à falſis Prophetis per mendacium ad confirmandam defectionem adhibitis; & ſic populum, qui hæc diſcernere poteſt ſi velit, tentat. Atque adeo hinc nullo modo incerta redditur fides divina, veris & divinis ſignis nitens: ſed temeraria fides, habita falſis Prophetarum ſignis, inde notis, quod ad ſeductionem ſuadeant à vero Deo. De iiſdem etiam *Chriſtus diſcipulos monuit Matt.* 24: 24. 26. &c. Nec *Ezech.* 14: 8. 9. ullo modo docetur, *Deum homines*, ut loquitur Anonymus, *falſis revelationibus decipere.* Quod aperte repugnaret veracitati divinæ. Sed quod, ſi quis Propheta ex propria malitia, ad aliorum perſuaſiones, vel quaſvis alias occurrentes occaſiones, ſeducatur, ad Prophetandum aliquid quod ex Deo non eſt, Deus ipſe illi fecerit occurrere tales homines & occaſiones, quibus occurrentibus, ita per propriam malitiam ſeduceretur. Ita ut Deus hic non aliter ſe habeat (ſi aliqua ſimilitudine liceat uti, in rebus adeo diſſimilibus) quam belli duces qui hoſtibus curſu præbent occaſionem opinandi quod fugiant, & ſic in ſuum commodum abſque culpa, imo cum laude, culpabili hoſtibum ignorantia & errore præter eorum opinionem utuntur. Dat Deus eos videre quicquid ad fallaciam & ſophiſma faciendum idoneum eſt; ſed ipſa fallacia non niſi ex eorum defectu fluit. Negat quidem Deus donum quo videant quod ſophiſma faciant & decipiant: ſed tamen non niſi proprio errore decipiunt. Atque adeo decipiuntur quidem homines falſis revelationibus; ſed non niſi ſua culpa & errore, quo falſas pro veris accipiunt, licet eas diſcernere facile potuiſſent. Et non à Deo; ſed ex falſorum Prophetarum malitia profluit omnis revelationum falſitas. Idem dicendum eſt de *Spiritu mendacii* 1 Reg. 22: 21. Quo Deus tantum utitur, & quid effecturus ſit, per ſuam omniſcientiam prædicit.

pag. 17.

§. 5. Omnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 5. Omnem tamen Prophetiæ certitudinem, uti apparet, hinc tolli, negat. *Nam*, inquit, *Deus pios & electos nunquam decipit.* Quaſi impios deciperet. Et quaſi Deus non æque verax foret his, ac illis. Nec & his & illis eadem foret certitudo omnium eorum quæ à Prophetis revelata proponuntur, ſi modo, ut decet, accipiantur. *Sed*, inquit, *Deus utitur piis, tanquam ſuæ pietatis inſtrumentis, impiis tanquam ſuæ iræ executoribus & mediis, juxta illud antiquum proverbium*, 1 *Sam.* 24: 14. Verum quid inde? totum concedimus. Et in adductis exemplis etiam patet. Sed an inde probatur, Deum impiis uti tanquam inſtrumentis ſuæ deceptionis, qua ſupra dixerat Anonymus, Deum homines decipere? Non directam hic facit oppoſitionem. Dixiſſe debuiſſet; Deum piis uti tanquam pietatis ſuæ inſtrumentis: impiis tanquam deceptionis ſeu impietatis executoribus. Nam de hoc verba fiebant: non de illo. Dicit enim *Deum decreviſſe Achabum decipere per Prophetas. Dei iram Davidem ſeduxiſſe.* Ita ut ipſi Deo deceptionem & ſeductionem tribuat. Præterea proverbium illud, quod profert, ipſi plane adverſum eſt. Nam *ſi ab improbis improbitas*; quomodo à Deo probiſſimo deceptio improborum? Cur non ab ipſo improbo, propria ſibi improbitate, quod decipiatur? *Attamen*, inquit, *quia nemo ſe juſtificare, coram Deo poteſt*, omnis, etiam pii *Prophetæ, certitudo moralis tantum erat.* Verum ſi per moralem certitudinem intelligat eam quæ nititur auctoritate, & non fluit ex natura rei. Hæc nihil faciunt ad rhombum. Nam cum ea ſit indubitato certa; & homo, licet ſe coram Deo juſtificare non poſſit, ei tuto & abſque culpa fidem habeat & innitatur, quid obeſt, quod hæc moralis tantum ſit certitudo? Si vero per moralem certitudinem intelligat, probabilitatem, qua quis colligit quidem ſe non à Deo decipi: ſed tamen id certo ſcire non poteſt, quia ſe plane pium dicere, ſeu coram Deo juſtificare non poteſt. Nulli Prophetæ relinquit aliquam certitudinem, de ſua Prophetia, ſed tantum incertam aliquam conjecturam. Nec hujus conjecturæ probabilitas tam erit fundata in Dei veracitate, quam in cujuſque Prophetæ conſcientia, licet errante, de ſua pietate. Atque ita, quamvis aliud dicere videri velit, omnem revera tollit Prophetiæ certitudinem. Cum non niſi conjecturalem probabilitatem concedat. *Tria* quidem aſſignat quaſi *fundamenta Propheticæ certitudinis*, ſed non niſi, prædicto poſteriore modo, moralis, id eſt incertæ. Nam cum nullus Prophetarum ſe juſtificare coram Deo poſſit, ſecundum Anonymum, nunquam certus eſt, Deum, qui non niſi pios & electos non decipit, ſe non decipere. Cum nobis certiſſimum ſit, Deum neminem decipere poſſe, & idcirco indubitata certitudine moraliter, id eſt ob Dei revelantis auctoritatem infallibilem recipiamus quicquid revelat. *Fundatur primo*, inquit, in eo, *Quod res revelatas vividiſſime, ut nos vigilando ab objectis affecti ſumus, imaginabantur.* Verum cum jam ſupra demon-

M ſtrave-

ſtraverimus, nos ſola ſigna, figuras, & imagines imaginari poſſe; & ſignificatas, per ea, revelationes tantum intelligere; ut &, fatente Anonymo, ſimplex imaginatio nullam involvat ex ſua natura certitudinem; hæc imaginationis vividitas non poteſt eſſe fundamentum Propheticæ certitudinis. Nam licet maxime vivida ſit imaginatio ſignorum & figurarum, ſi non adſit clara & diſtincta perceptio revelationis, ſeu vivida in mente præſentia ejus quod revelatur per illa ſigna; nulla fiet revelatio vel Prophetia: ut ſupra per Pharaonem, Nebucadnez. & alios probavimus. *Secundo* fundatur, inquit, *Signo.* Anonymo ſcilicet non niſi moraliter ſeu per conjecturam certo. Nobis autem ſemper nititur aliquo, unde morali, ſed indubitato certa, certitudine certo innoteſcat, id quod revelatum occurrit, non aliunde quam à Deo patefieri. *Tertio*, inquit, *& præcipuo* fundatur in eo *quod animum ad ſolum æquum & bonum inclinatum habeant.* Sed cum tamen ideo ſe coram Deo juſtificare non poterant, ſecundum Anonymum non ultra conjecturalem certitudinem hinc obtinere potuerunt. Cum nos cenſeamus, Prophetas, ſibi conſcios quod non niſi æquum & bonum ſectarentur, & clare quid intellectui præſens obſervantes, per aliquod ſignum divina gratia plane certos eſſe poſſe, id ipſum à Deo revelatum & patefactum fuiſſe. Semper autem aliquid Prophetis adfuiſſe, unde revelationis divinitatem colligerent, licet *Scriptura non ſemper ejus mentionem faciat*, facillime conceditur. Nam ſine eo non potuit fieri revelatio. Conceditur etiam eos *Prophetas*, *qui nihil novi*, *niſi quod in Lege Moſis continetur*, *prophetabant*, *non indiguiſſe ſigno*; cum ex Lege confirmarentur. *pag. 18.*

§. 6. Sed ut videamus quo tendat hæc Anonymi certitudo moralis, quæ non niſi incerta conjectura eſt, ex ea dicit ſequi, *Signa pro opinionibus & capacitate Prophetæ data fuiſſe*, id eſt talia, quæ non per ſe vera & certa erant; ſed quæ Prophetæ tantum ex opinione ſua pro veris & certis habebant; atque ita ex iis morali ſeu conjecturali certitudine, de revelatorum divinitate, pro ſua opinione, judicabant. Quod eſt abſurdum ex abſurdo deducere. Nam ſic omnis eorum ſignorum veritas & certitudo niteretur Prophetarum opinionibus. Et certæ non forent ac veræ, niſi quia ſic opinarentur homines. Et ſi hi in ſuis opinionibus fallerentur, etiam ſignis nullo modo efficacibus, ſed erroneis convicti fuiſſent. Imo ipſa convictio illa foret erronea: nam eſſet concluſio ex falſis præmiſſis formata; continens quidem forte veritatem: ſed non niſi per errorem. Atque adeo incerta & dubia omnis Prophetia; vel ad ſummum, non niſi forte, & ſophiſtice, per errorem vera & certa. Non negamus tamen Prophetis talia ſigna, & ſic propoſita fuiſſe, ut illi pro ſuis opinionibus & capacitate iis optime convincerentur: ſeu à ſuis opinionibus in eorum approbatione non impedirentur. Nam cum Dei ſcopus eſſet, iis quid revelare tanquam divinum, neceſſario talibus ſignis uti debuit, quibus illi, qui tales

habebant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

habebant opiniones, & capacitatem talem qualem ipſe Deus in iis remanere voluit, actu convincerentur; nihil enim alioquin iis ut à Deo revelatum occurrere potuiſſet. Et ideo, ſi eadem revelata, aliis, plane diverſis opinionibus & capacitate præditis, hominibus, eodem modo proponerentur; fateor, eos non convincerent. Sed ſi proponerentur alio, iis conveniente modo & ſigno, convincerent & illos. Ita ut per ſe ſuam habeant à Deo certitudinem & veritatem: Sed tantum ab his aut illis accipiantur, prout ſecundum eorum opiniones & capacitatem, quas Deus ex iis tollere noluit, ea adſpicerent, proponerentur & occurrerent aut non. Atque adeo falſum eſt, quod *etiam ipſa revelatio variabat in unoquoque Propheta pro diſpoſitione temperamenti corporis, imaginationis, & pro ratione opinionum quas antea amplexus fuerat.* Potuerunt enim pluribus, diverſiſſimis temperamentis præditis, & etiam contrariis opinionibus imbutis, eadem revelari, ſeu eædem fieri revelationes: ſi pro opinionum diverſitate, alio & alio modo occurrant; & pro temperamentorum diſcrepantia, aliis & aliis figuris & imaginibus proponantur. Quis enim credat omnes Prophetas à mundi principio eodem temperamento & opinionibus iiſdem præditos fuiſſe, qui eadem habuerunt revelata de Chriſto, Hieroſolyma, aliiſque poſtea futuris? vel quis, niſi Quæſtionem de nomine faciat, hinc concluſerit, eos diveſas habuiſſe revelationes, ideo quia eadem diverſis modis, figuris, & imaginibus revelabantur? Hoc enim ſi velit, nihil repugnamus, & totum concedimus. Utpote quod in Scriptura manifeſtiſſimum eſt. *Deus* enim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *locutus eſt Patribus in Prophetis* Heb. 1: 1. Non negamus itaque Deum in ſuis revelationibus proponendis rationem habuiſſe temperamenti, imaginationis, & opinionum eorum hominum quibus ſua revelare voluit. Ita ut hilaribus hilaria, & triſtia triſtibus patefecerit; elegantibus elegantia, & confuſa confuſis; ruſticis propoſuerit boum & vaccarum; militibus exercituum & ducum; aulicis regis & regii ſolii imagines & figuras. Sed negamus ipſam revelationum, & revelatorum veritatem, & quam in ſe continebant certitudinem, in unoquoque Propheta variaſſe pro diſpoſitione temperamenti, &c. Nam ſic Prophetia non à Deo, ſed ab hominum temperamento & corpore dependeret. Quod tendit ad Myſterium Anonymi de Deo ab univerſo non diſtincto. Idem dicendum de *variatione Prophetiarum pro diverſitate opinionum in Prophetis. Magis* quidem, qui nugis aſtrologiæ credebant, *Deus ſtellam occurrere fecit:* ſed tamen rem revelatam eorum nugis non accommodavit, aut variavit, pro earum varitate. *Vaſtationem Hieroſolymæ Nebucadnezaris Auguribus à Deo in extis, oraculis, & directione ſagittarum revelatam fuiſſe*, minime patet *Ezech.* 21: 21. 22. 26. Nam ibi quidem ab Ezechiele prædicitur, Regem Babyloniæ, ab Auguribus & falſis ſuis oraculis eo determinandum eſſe, ut vaſtet Hieroſolymam: ſed nullo modo dicitur,

pag. 19.

tur, eam augurum & oraculorum prædictionem ſeu determinationem ulterius divinam ſeu à Deo eſſe, quam omnia hominum peccata, quæ Deus pro arbitrio regit & dirigit, à Deo ſunt. Imo expreſſe revelationi divinæ opponitur: nam Ezechiel ſibi à Deo revelatum nunciat, hoc futurum falſis & diabolicis auguriis & oraculis Babyloniorum, plane præter opinionem ſuam agentium, id quod Deus divina revelatione, ſuis Prophetis futurum revelaverat. Ita ut Deus hic ſuam Prophetiam non variaverit aut conſtituerit, ſecundum augurum & oraculorum gentilium nugas; ſed eas pro ſumma ſua Sapientia direxerit ad arbitrium ſuum, ut idem per eas innoteſceret Regi gentili, iis per errorem adhærenti, quod ſuis per veram & divinam revelationem ſignificaverat. Ejuſdem ordinis eſt quod addit, *Prophetis qui credebant homines ex libera electione & propria potentia agere, Deus ut indifferens revelabatur, & ut futurarum humanarum actionum inſcius.* Cenſet enim Prophetis, qui falſas fovebant opiniones & à veritate declinantes, ſimiles etiam à Deo factas fuiſſe revelationes. Cujus abſurditatem nemo poteſt ignorare, qui Deum optimum maximum noverit.

§. 7. Hæc *omnia ex ipſa Scriptura ſingulatim jam*, inquit, *demonſtrabimus.* Nos itaque videamus, quænam hic proferat. *Primum*, ſcilicet, Revelationes divinas variare pro diſpoſitione temperamenti corporis in Propheta, *conſtat*, ait, *ex illo caſu Eliſæ* 2 *Reg.* 3: 15. Sed hunc caſum attentius examinanti, manifeſtum fiet, in eo nullum Anonymo præſidium eſſe. Nam cum Eliſam accederent tres Reges, ut Joram Iſraelis, Joſaphat Judæ, & pro-rex Edomi, eum conſulturi; & ipſe reſpondiſſet, ſe eos ne quidem aſpecturum fuiſſe, niſi adfuiſſet pius Joſaphat; Muſicum ſibi petiit Eliſa modulantem inſtrumentis. Tum ad ita temperandum & ſiſtendum motum ſpirituum, ex juſta in Joramum ira & acri ſatis ejus reprehenſione, in ſe vehementius motorum, uti eum antea in ſe temperatum ut plurimum fuiſſe noverat, cum fierent ſibi divinæ revelationes: ad quod proculdubio noverat per experientiam, plurimum valere muſicam. Tum etiam ad ita diſponendum animum, ſeu in mente, pſallendo de memorabilibus Dei operibus, & admixtis una laudibus, precibus, & gratiarum actionibus, tales excitandum cogitationes & notiones, quibus continuo Prophetandi uſu noverat Deum ſibi occulta revelare conſueviſſe. Tum ut ita ſimul etiam adſtantes, pio carmine mentem utcunque lenitam, à præſenti moleſtia tollerent ad Deum. Non aliter quam olim in templo cantores ſacris inſtrumentis & carminibus adſtantem multitudinem ad divinas laudes, gratiarum actiones, & preces provocabant. Aut quam Daniel ſocios juſſit ſecum miſericordias à Deo petere, & ita divinas expectare revelationes Dan. 2: 17. 18. Cum autem hoc ageretur, legimus Dei manum ſuper ipſum fuiſſe; & ita revelatum eſſe, quod Deus decreverat ipſis concedere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

dere victoriam. Non, quaſi, ut putat Anonymus, jam poſita hac mentis & corporis diſpoſitione, non potuiſſet etiam mala nunciare, ſi Deus revelaſſet; vel quaſi ex vi hujus diſpoſitionis bona nunciaſſet; vel quaſi Deus jam tunc mala revelare non potuiſſet. Nam ſic non Deus revelaſſet, ſed muſica & organum. Non Deo liberum foret cuicunque revelare quicquid placuerit. Imo in hominis diſpoſitione & voluntate qua ſe ita per inſtrumenta diſponeret, conſiſteret, bona vel mala prophetare. Et conſequenter non Prophetiæ, ſed vel humana forent dictata, vel impetus & motus irrationales in corpore, quod pro ſuo Myſterio voluiſſe videtur Anonymus. Ita ut hæc corporis & animi diſpoſitio in Eliſa, qua ſe præparabat ad quamcunque revelationem à Deo accipiendam, nullo modo probet Prophetias variaſſe pro diſpoſitione temperamenti in Propheta. Quod autem *Deus non reveletur iratis & triſtibus*, recte pro nugis & ſomniis habet Anonymus. Nam in homine nulla poteſt eſſe diſpoſitio quæ Deo ſit impedimento, ne quid ei revelare poſſit. Utitur enim hominum motibus, iræ, triſtitiæ, lætitiæ, &c. prout voluerit. In *Exodo* tamen *cap.* 11. *com.* 8. quem locum adducit Anonymus, non tam patet *Deum Moſi irato quid revelaſſe*, quam Moſem iratum aliis ſuas revelationes propoſuiſſe; vel potius ira accenſum fuiſſe, cum eas ab hominibus negligi videret. *Kaino furenti Deum revelatum fuiſſe*, patet Gen. 4: 5. 6. Cui addi poſſet Jonas cap. 4. com. 1. 4. 9. *Judæorum contumaciam & miſerias etiam impatienti Ezechieli revelata fuiſſe* liquet *Ezech.* 3: 14. Legitur 2 Reg. 22: 23. &c. 2 Chron. 34: 22. &c. *Joſiam* Regem invento libro Legis Huldam Prophetiſſam de eo conſuluiſſe, *præterito* non tantum *Propheta Jeremia*, ſed & Sophonia, cum filio, tunc viventibus & prophetantibus Soph. 1: 1. Zach. 6: 10. 14. Verum ipſum id egiſſe, quia *Jeremiam mæſtiſſimum* ob calamitates Judæorum *ineptum*, & *fœminam ex ingenio muliebri magis aptam exiſtimabat cui Dei miſericordia revelaretur*, Anonymi figmentum eſt. Nam nullibi occurrit. Et ſi in tali errore fuerit Joſias non reſpondit eventus. Nam quamvis ei aliqua nunciaretur miſericordia, populo tamen, cujus nomine etiam rogabatur fœmina, magnæ prædicebantur calamitates. Præterea contemporanei reſtabant Sophonias & Filius ejus. Cur illos non adiiſſet Joſias? An & illi per ſe inepti erant? Quod autem *Michæas nunquam Achabo aliquid boni prophetaverit*, ut dicitur 1 Reg. 22: 7. & 2 Chron. 18: 7. Si non fuerit injuſta Achabi querela; non ideo magis certæ cuidam corporis diſpoſitioni in Michæa tribui poteſt, quam Deo qui illi non niſi mala de Achabo revelare voluit: nam ut patet 1 Reg. 22: 14. Michæas per ſe indifferens erat ad nunciandum tam bonum quam malum. Et *bonum* quod *alius Propheta nunciavit Achabo*, homini peſſimo, non tam ipſius bonum, quam hoſtium malum erat, ut liquet 1 Reg. 20: 13. 22. 28. Imo in ipſius Achabi ſummum malum ceſ-

ſit, ibid. com. 42. Ita ut Achabi malitia cauſa fuerit ingratæ Prophetiæ à Deo patefactæ per Prophetam: non Prophetæ diſpoſitio, qua magis ad hanc quam
pag. 20. aliam Prophetiam aptus erat. Quod Deus etiam *pro eloquentia cujuſque Prophetæ* revelationum *ſtylum* temperare potuerit, & actu temperaverit, non eſt quod dubitetur. Maximam enim in Prophetiarum collatione notamus earum diſcrepantiam ſtyli & elegantiæ, pro hominum diverſitate, & vitæ inſtituto diverſo. Sed tamen in omnibus illis diverſitatibus divinus aliquis eminet character: qui, in quo conſiſtat, non minus aut magis dici poteſt, quam quis ſit hujus aut illius Auctoris ſtylus & character; vel hujus aut alterius pictoris pictura. Et eo reſpectu non inepte dici putem, *Deum peculiarem habere dicendi ſtylum.* Sed aliud eſt ſtylum variari; aliud ipſas revelationes & revelata. *Repræſentationes & Hieroglyphica Prophetica, quamvis idem ſignificarent, variaſſe tamen*, abſurdus eſt qui negaverit. Sed inde non ſequitur variaſſe pro temperamento Prophetarum revelationes Propheticas ſeu Prophetice revelata, ut voluit Anonymus. Concedendum etiam *Prophetarum revelationes & perſpicuitate variaſſe:* ſic ut vel res ſignificata nonnunquam obſcurius occurrerit, vel ipſæ figuræ minus claræ fuerint. Sed utrumque prout Deus voluerit revelare, non vero ut debuerit pro temperamento
pag. 21. Prophetarum. Ita ut ratio cur *Daniel non intellexerit* illud quod ſignificabatur verbis quæ audiebat, ab *imaginationis imbecillitate* ſola peti non debuerit. Nam inde ad ſummum oriri potuit obſcuritas ſignorum & verborum; qua ablata, necdum innoteſcit res revelata. *Turbatum* etiam quidem legimus *Danielem*, ſimul cum ſuis, vocem audientibus Dan. 10:7.8. Sed & videmus eum ſucceſſive multis modis corroboratum ibid. com. 10. 11. 16. 18. 19. Quæ in ipſo Deo quærenda eſt ratio, cur Daniel plura de his revelatis non intellexerit. Is enim voluit hæc abſcondita & obſignata uſque ad tempus finis. Et hoc ipſum Danieli reſpondit, cum clariorem horum intellectum deſideraret Dan. 12:9. Et comm. 10. additur ratio, cur hæc evidentius non patefierent, & quod intelligentibus ſeu attendentibus & inquirentibus hæc ſufficerent ad intelligendum. Quibus, ut objicit Anonymus, minime repugnat id quod dicitur Dan 10:14. *Angelum veniſſe ut Danielem intelligere facere*, &c. Nam id ipſum facit; ſad tali gradu quali Deo placet; non ultra. Manifeſtum etiam eſt *Prophetas* ſeu filios Prophetarum, *quibus* forte vel per ſe, vel per alium *revelatum erat*, *Deum Eliam abrepturum*, & qui *Eliſæ perſuadere volebant, eum alibi locorum delatum eſſe*, 2 Reg. 2:3.6. non ſatis recte intellexiſſe revelationem Dei: vel eam erroneis ſuis ratiociniis corrupiſſe. Nam adhuc inſtituebantur in Scholis Prophetarum. Ita ut ex his quidem manifeſtum ſit, *Deum unum Prophetam longe majore gratia ad Prophetizandum donaſſe quam alium.* Nullo modo vero Revelationes & revelata divina variaſſe pro diſpoſitione temperamenti in Propheta.

§. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 8. Jam tranſit ad *rem quam majoris momenti eſſe putat*, quam etiam *curioſius & prolixius* oſtendendam dicit. *Prophetas* ſcilicet *varias imo contrarias habuiſſe opiniones & varia præjudicia, ut & Prophetias ſive repræſentationes pro opinionibus Prophetarum, quas amplexi fuerint, etiam variaſſe.* Unde poſtea concludet *Prophetiam nunquam Prophetas doctiores reddidiſſe: ſed eos in ſuis præconceptis opinionibus reliquiſſe, ac propterea* N. B. *nos iis circa res mere ſpeculativas minime teneri credere.* Quam concluſionem ſuo loco videbimus. Prophetas ab infantia, circa res de quibus nihil habebant revelatum, ſine ſufficienti examine, varias & ſæpe ſibi mutuo contrarias admiſiſſe opiniones, non gravate concedimus. Homines enim fuerunt, in iis non minus fallibiles quam allii. Sed varias & contrarias opiniones, ut & erronea præjudicia à Deo revelata fuiſſe, repugnat. Deum tamen in revelationibus ſuis eorum præjudiciorum & opinionum rationem habuiſſe, dubio caret. Nam ea novit; nec ignoravit ea quam maxime obeſſe aſſenſui præbendo revelatis. Quo reſpectu etiam dici poteſt, repræſentationes ſeu figuras & imagines Prophetarum (quas ſolas Anonymus pro Prophetiis habere videtur) pro eorum opinionibus quas Deus ex iis tollere nolebat variaſſe. Sed Prophetias, id eſt res revelatas, pro opinionibus Prophetarum variaſſe, & iis contraria revelata fuiſſe, pro contrariis eorum præjudiciis, eſt Deo tribuere & adſcribere hominum errores, & ex eodem fonte ſalſam & dulcem aquam educere, Jac. 2: 11. 12. Verum ut quemadmodum loquitur, *curioſius & prolixius* oſtendat, primo dicit *Omnes mira præcipitantia ſibi perſuaſiſſe, Prophetas omnia, quæ humanus intellectus aſſequi poteſt, ſciviſſe.* Sed oportuiſſet dixiſſe quinam omnes illi ſint? Et quicunque fuerint, ſi modo aliqui eo ſtupiditatis pervenerint, quod vix credimus. Nos ſaltem iis aſſentire non poſſumus. Idque multis de cauſis; quarum non infima eſt; quod homines fuerint & manſerint, ultra alios non niſi in Revelationibus à Deo directi. Si enim Sapientiæ donum Prophetiæ ſuperadditum fuerit, id à Prophetia diſtinguendum exiſtimo, cum abſque eo Propheta poſſit eſſe Propheta. Quamvis etiam non negem ſæpe res magnæ Sapientiæ revelari poſſe, & revelatas fuiſſe. Sed tamen inde minime ſequitur, eos ideo quia Prophetæ, omnia quæ humanus inſtellectus aſſequi poteſt, ſciviſſe. Ita ut male huc torqueantur quædam loca Scripturæ. Si verum ſit id fieri, ut narrat Anonymus, cui vix fidem habemus, cum de talibus auditum non fuerit. His præmiſſis profert exemplum Joſuæ ob cujus præjudicium cenſet Solis quietem contigiſſe, *nihil in Scriptura clarius*, inquit, *quam quod Joſua putaverit Solem circa Terram moveri, terram autem quieſcere & quod ſol per aliquod tempus immotus ſtetit.* Joh. 10: 11—15. Verum ſi textum inſpiciamus, quidem obſervamus, eum tali phraſi uti, qua ſe exprimerent illi qui id putarent, ſi ſuam ſententiam de ea re docerent. Sed cum ipſe hic non propoſuerit docere, *pag. 22.*

quid

quid de eo ſentiat: ſed tantum factum narrare: concludi hinc nullo modo poteſt, quæ fuerit ejus de illa re ſententia. Hanc enim exprimere non propoſuerat. Ita ut etiam contrarium, terram ſcilicet circa Solem deferri, hinc exſculpi non debeat. Nam ſolummodo docet, illius diei lucem tandiu protractam fuiſſe. Et quia ſplendore Solis, ejuſque ortu & occaſu, dies fit & nox, optime illud, id eſt ut quam facillime intelligeretur, expreſſit per motum & quietem Solis. Nam cum hæc vulgatiſſima ſit hominum vulgarium ſententia, ſenſuum apparentiis quam maxime conformis, non tam intellexiſſent Joſuam, ſi accuratam & Philoſophicam, quam jam cum ad hominum vulgarium captum accommodatam phraſin adhibuit. Quam vero habuerit ſententiam de cauſa protracti diei, ſeu motu vel quiete Solis, cum id non expreſſerit, hinc concludi poſſe non putamus. Ita ut nec Anonymum, nec eos quos oppugnat probemus. Joſuam enim veram cauſam, ſive fuerit Solis aut Terræ quies, ſive quævis alia miraculoſa, ignoraviſſe, non impoſſibile. Nec etiam neceſſarium. Quamvis non improbabile nec impoſſibile eum illam ſciviſſe. Quicquid ſit, neutrum ex textu certo probari poſſe cenſemus. Nec probavit Anonymus. An autem contingere potuerit *per refractionem ſolito majorem, ex nimia glacie in aëre exiſtente*, quod non putamus, cum Anonymo, *jam non inquirimus*. Vulgarem etiam & receptam adhibitam fuiſſe Eſa. 38: 8. locutionem *de ſigno umbræ retrogradæ*, negari non poteſt. Sed vulgi errorem ea phraſi ſignificari, aut revelationem ſecundum erroneam opinionem contigiſſe plane falſum eſt. Non enim niſi verum eſt, quod hac phraſi ſignificavit Spiritus S. miraculoſum ſcilicet umbræ ſolaris retrogradum motum per decem gradus in ſolario Achazi. Quid autem Propheta cognoverit & cenſuerit de cauſa hujus retrogradi motus, nec hic dicitur, nec ullo modo hinc colligi poteſt; cum de eo ſuam ſententiam hic explicare minime propoſuerit. Ita ut non niſi inepta Anonymi conjectura ſit quam facit de Prophetæ ignorantia, & ei attemperata revelatione. Idem dicendum de iis quæ per ſuum *forte*, ineptit de Parheliis. Quantum ad *fabricam Salomonis* 1 Reg. 7: 23. non putamus inde quicquam concludendum de Salomonis ignorantia vel cognitione mathematica; cum ejus ſpecimen hic dare non propoſuerit; nec mathematicam & accuratam det menſurationem, ſed mechanicam & popularem. Et ſi dicat Anonymus hac ratione *nihil aliud fieri quam totius Scripturæ omnimodam everſionem*.
pag. 23. Reſpondebimus nobis imputare quod ipſe committit crimen. Nos enim omne quod revelatur accipimus; & id de quo nihil revelatur indeterminatum relinquimus. Atque ita nos ab errore, quantum poſſumus, præſervamus; & Scripturæ dignitatem omnino conſervamus. Verum id quod Anonymus aſſerit, Scripturam reddit incertam, vagam, erroneam, & omnis impietatis fons & origo eſt. Nam ſi revelationes variaverint pro erroneis & contrariis Propheta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rum opinionibus & præjudiciis, nihil certi in Scriptura: nec minus in Deo revelante, quam in hominibus omnis generis errores forent: imo Deus ipſe foret errorum doctor, auctor & fautor. Quid eſt Scripturam & omnia evertere, ſi hoc non ſit. *Homines* quidem *fuerunt Prophetæ*, *nec humanum quid ab ipſis alienum exiſtimandum*, ſi abſque revelatione conſiderentur. Sed Deus & revelationes divinæ ab erroneis hominum opinionibus & præjudiciis, remotiſſima ſunt. *Noachum putaſſe mundum extra Paleſtinam non inhabitari* ante diluvium. *Et ad captum ejus illi revelatum fuiſſe Deum humanum genus delere.* Non niſi Anonymi ſomnium eſt, omni fundamento deſtitutum.

§. 9. Sed in abſurditate ſua majores progreſſus facit Anonymus, cum dicit, *nec tantum hujuſmodi res*, *ſed etiam alias majoris momenti Prophetæ ſalva pietate ignorare potuerunt*, *&* *revera ignoraverunt*. Fateor nos, qui limites & terminos divinæ miſericordiæ attingere non poſſumus, non adeo facile determinare poſſe, quantum, quanti momenti res, tam Prophetæ quam quilibet alii, ſalva pietate ignorare poſſint, & ignoraverint revera. *Sed Prophetas adeo vulgares de Deo habuiſſe opiniones*, *ad quas etiam eorum revelationes accommodatæ ſunt ut nihil ſingulare de Divinis attributis docuerint*, nimis abjecte de Prophetis dictum putem. Nam quamvis de Deo & natura divina nihil docuiſſent, quod ex innatis naturæ principiis innoteſcere non poſſet; plurima tamen docuerunt quæ homines, vulgo τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ negligentes, ex iis non deducebant. Varios correxerunt etiam vulgarium hominnm errores circa Dei Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Voluntatem, Juſtitiam, Sanctitatem, &c. Imo eos nullis erroneis vulgi opinionibus in ſuo docendi munere adhæſiſſe, à quibus Anonymus tamen eos non excipit, ſed contra, eaſdem foviſſe cenſet, patebit in examine eorum quæ profert Anonymus. Ita ut, ſi per *ingenii ſublimitatem & præſtantiam*, intelligat Anonymus, longiſſime abſtractas cogitationes Philoſophicas, facile concedamus tamen, Prophetas qua tales, ea ſublimitate, quippe qua abſolute non egebant, præditas non fuiſſe. Licet alioquin à Deo elevati tam ſublimes ſæpe habuerint cogitationes, ut ne quidem ſapientiſſimus Philoſophorum eas attingere poſſit; & Prophetæ ſic nullis Philoſophorum ſecundi fuerint. Nec fuit eorum *pietas & animi conſtantia*, abſque intellectu & cognitione, impetus & pertinacia quædam in ſuis præjudicatis, & erroneis ſæpe opinionibus. Sed efficax & conſtans animi perſuaſio, ex ſufficiente cognitione profluens. Et ideo digniſſima qui ab ea laudarentur & commendarentur. *Adamum ignoraviſſe Deum eſſe omnipræſentem & omniſcium*, abſurde concludit Anonymus *ex ejus fuga & peccatorum excuſatione.* Nam illi tantum fuerunt actus irrationales; & erronei peccatorum effectus vel defectus; ac turbatæ conſcientiæ convictiones de Dei præſentia & ſcientia. Nihil enim ſciens, quo ſe abſcondere & excuſare poſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

abſque omni ratione aſſumpſit ea, quæ nec contegere, nec excuſare poterant. Ipſe demonſtrat convictus quam ſit inexcuſabilis & indignus Dei præſentia: nec non præter opinionem id palam facit. Nec tamen etiam impoſſibile, mentem ejus adeo turbatam & obrutam fuiſſe peccato, ut hæc notiſſima ei non occurrerint. Atque ita in hos errores inciderit, & aliquamdiu hæſerit. Et Deus eum ex iis nondum extricare volens, ſe tali modo, quo fecit, ei revelaverit. Sed inde non magis concludi poteſt, eum ignoraſſe Dei Omniſcientiam & Omnipræſentiam; quam furem ignorare furtum eſſe prohibitum, cum actu furtum committens non cogitat id eſſe malum & prohibitum. Quod mox poſt commiſſum furtum clariſſime videt, & ſero dolet. Uti & Adamus ad ſe & ſua rediens cognitionis principia, ſimiliter ſtatim ſuam notare potuit abſurditatem. Deus etiam quidem rogavit, quaſi inſcius foret, & interim ſe inſcium non eſſe, manifeſte patefecit. Et ſi Adamus *non aliud* cognoviſſet *Dei attributum*, quemadmodum nugatur Anonymus, *quam quod omnium rerum fuit opifex*: Ignorata omni Dei Scientia, Præſentia, Juſtitia, Sanctitate, &c. cur quæſo fugiſſet, & excuſaſſet ſe? Et ipſe Anonymus hæc Cap. 14. pag. 163. inter fundamentalia recenſet. Similiter *Deus Kaino revelatus* quidem fuit rogando *ut inſcius*, ſed ſimul etiam narrando ut conſcius Gen. 4: 6. 7. 9. 10. Nec ad peccati pœnitentiam ullo modo ſufficiebat eum cognoſcere Deum, ut inſcium vel conſcium rerum humanarum, ſine aliis attributis divinis, Sapientia, Juſtitia, Potentia, Immutabilitate, &c. Nam ſine his de peccati pœna certus eſſe non potuit. *Labanum*, idololatram, quem idcirco nullus, uti nec Kainum, Prophetis annumeraverit, in eo errore verſatum fuiſſe, *quod unaquæque natio ſuum habeat Deum peculiarem*, ab ejus idololatrico cultu Gen. 31: 19. 30. alienum non eſt. Sed Deum ei revelatum fuiſſe tanquam talem, minime patet ex Scriptura. Nam Gen. 31. 24. ſimpliciter dicitur Deum ei apparuiſſe in ſomnio, & monuiſſe ne quid boni vel mali Jacobo loqueretur. Quod autem hinc Laban *ibid. com.* 29. vero Deo ſuum errorem applicans dicat, ſibi apparuiſſe Deum Patrum Jacobi, & eum pro illius peculiari Deo habeat, non niſi idololatrici hominis error eſt. Vel forte etiam abſque errore illo ſic locutus eſt, & eorum Deum dixit propter promiſſiones quas à Deo Patribus ipſorum factas audiverat. Saltem nullo modo pateſit, Deum ſe, ad erroneam Labani opinionem de peculiari cujuſque nationis Deo, revelaſſe, niſi reſpectu excellentis gratiæ erga unam nationem ſupra aliam; de quo tamen nihil in revelatione quæ contigit Labano. *Abrahamum*, Patrem omnium fidelium, *ignoraviſſe Deum eſſe ubique, reſque omnes præcognoſcere*, minime patet Gen. 18: 24. Nam de Sedomitis dicens, forte erunt quinquaginta juſti in civitate, manifeſte ſuam, de numero fidelium, non Dei ignorantiam exprimit. Nam ſub
pag. 24. conditione reſpondens, Deus, conditionem præſciebat. Nec comm. 21. ſe

Abra-

Abrahamo patefecit Deus tanquam deſcenſurus & inquiſiturus, niſi ut ita humano more ſignificaret, ſe non puniturum, niſi poſt plenam cauſæ cognitionem, quam eſſentiali ſua perfectione jam modo obtinebat; nullo modo vero ut ſe accommodaret præjudiciis Abrahami de Dei abſentia & ignorantia; quæ nulla ratione probari poſſunt in Abrahamo fuiſſe. Præterea *nihil contineat divinum de Abrahamo teſtimonium Gen.* 18: 19. *præter ſolam obedientiam, & quod domeſticos ſuos ad æquum & bonum moneret*, id non potuit ſine inſtitutione. Omnes autem ſublimes cognitationes quæ huc non tendunt, & idcirco Abrahamo non tribuuntur, nulla laude dignæ ſunt. Et omnes quæ eo tendunt, ſub iis continentur & comprehenduntur. Imo ipſe Anonymus Cap. 14: pag. 163. inter fundamentalia dogmata ad obedientiam neceſſaria, docet cognoſcendum, *Deum ubique eſſe præſentem, vel omnia ipſi patere*; & hic putat Abrahamum patrem omnium fidelium, qui paſſim in Scriptura honorificentiſſimis titulis dicitur *Amicus Dei, unctus Dei, Propheta Dei*, &c. imo quem ipſe fatetur divinum habere teſtimonium de obedientia, ignoraſſe id ſine quo ut fatetur nulla poteſt dari obedientia. Quis tantam ferat abſurditatem? *Moſen Exod.* 4: 1. *non ſatis percepiſſe Deum omniſcium, humanaſque actiones omnes ex ſolo decreto dirigi*, non minus falſum eſt. Nam apertiſſimum eſt Moſen de omniſcientia Dei, & divini decreti certitudine plane certum, à Deo tantum doceri voluiſſe, qua ratione ſe geſturus eſſet ad diverſos gradus infidelitatum in Iſraelitis. Cui Moſis deſiderio Deus etiam abunde ſatisfecit, eum muniens variis miraculoſis ſignis ſucceſſive peragendis ut patet Exod. 4: 1. 5. 8. 9. &c. *Ipſi* quidem *dixerat Deus Exod.* 3: 18. *Iſraelitas ei*, quoad eventum, *obtemperaturos*, nec de eo videtur dubitaſſe Moſes; ſed tantum apta quæſivit media, quibus ad eam obtemperantiam, ſub Dei auſpiciis ducerentur. Nec *Deus ſe* Moſi *revelavit* ut *inſcium*, ſed ut probe conſcium eorum quæ futura forent, quippe Moſem ad omnem eventum abundantiſſime inſtruxit, munivit. Cætera quæ prolixe narrat, tanquam *Moſis ſententias*, non tantum plurima falſa veris, & bona malis permiſta continent: ſed &, ut arena ſine calce, cohærent. Moſi autem imputantur ab eo, ut ita luxetur omnis Moſaica certitudo; & conſequenter omnis Prophetatum revelatio & divinitas. Videamus itaque. Certum eſt, eum exiſtimaſſe, *Deum eſſe ens, quod ſemper exiſtit, extitit & exiſtet.* Verum quod *de ejus Natura nihil aliud docuit, quam quod ſit Miſericors, Benignus, &c. & ſumme zelotypus*, omnio falſum eſt. Niſi per illud, *&c.* reliqua plurima Dei attributa intelligat. Docuit enim (ut nihil dicam de Trinitate ſatis manifeſte expreſſa Gen. 1: 2. 26. & 3: 22. & 11: 7. cum quibus conjungi poſſunt Gen. 18: ubi duo Domini à Domino miſſi; ut & Gen. 19: 24. & triplex benedictio Num. 6. 23—26. nec non ipſa Legis traditio Deut. 6: 4. & omnium Judæorum agnitio, quod Chriſtum, cum Tri-

N 2 nitatem

nitatem doceret, à Moſe & Patrum Deo defeciſſe, nunquam cenſuerint) Unitatem Dei Deut. 6: 4. & 4: 35. & 32: 39. Æternitatem Gen. 21: 33. Sanctitatem, ſeu puritatem ab omni macula & imperfectione Lev. 11: 44. 45. & 19. 2. Omnipotentiam Gen. 17: 1. Deut. 10: 17. & 7. 21. Juſtitiam Exod. 34: 7. Gen. 18: 25. Veracitatem & fidelitatem Exod. 34: 6. Præterquam quod non potuerit docere Deum eſſe benignum, miſericordem, &c. niſi docuerit eum intelligentem, volentem, potentem, juſtum, liberum, &c. Nam illa abſque his concipi non poſſunt; quamvis id in Scriptura expreſſe non narretur. Quod etiam *crediderit Deum, non tam propter rei repugnantiam, quam humanam imbecillitatem, nulla imagine rei viſæ poſſe exprimi*; ex Scriptura nunquam probabit Anonymus, qui hæc tantum fingit ad adſtruendum ſuum Myſterium de Deo corporeo. Moſes quidem ab humana imbecillitate argumentum ſumit. Sed rei non repugnantiam nunquam aſſerit; aut ſe crediſſe ſignificat. Nec tantum *ratione potentiæ*; ſed & Eſſentiæ Deum *unicum* exiſtimavit, ut patet ex locis jam adductis. *Entia quibus Deus* legitur *auctoritatem, jus, & potentiam dediſſe ad dirigendas nationes & iis providendum & curandum*, miniſtratorias creaturas humanas vel angelicas eſſe, patet, ſi Exod. 4: 16. & 7. 1. & 21. 6. & 22. 8. 28. Deut. 10: 17. Pſalm 82: 1. 6. & 95. 3. & 97. 7. 9. & 138. 1. conferantur cum Rom. 13: 1. 4. Hebr. 1: 13: 14. Joh. 10: 34. 35. 36. Nec ex ullo Scripturæ loco patet Moſis aliam opinionem fuiſſe.
pag. 25. Dicitur quidem *Exod.* 15: 11. Moſen cantaſſe, *Quis inter Deos tui ſimilis Jehova?* Sed manifeſte patet eum loqui de iis quæ ab Ægyptiis & aliis nationibus falſo pro Diis habebantur. Quod idem patet *Exod.* 18: 11. in Jetrone. Et quamvis *Moſes de horum entium creatione & principio nihil dixerit*, inde tamen concludi non poteſt, *quod ea non crediderit eſſe creata.* Nam unde concludet eum ſcripſiſſe quicquid credidit: Præterquam quod Gen. 2: 1. dicat, *Deum creaſſe Cœlum & Terram cum omni exercitu eorum.* Quo Angelorum creationem exprimi, non eſt quod negetur: Et patet, ſi conferantur Luc. 12: 13. 1 Reg. 22: 11. ubi denominantur *Exercitus Dei.* Et Job. 38: 4: 7. tanquam *Filii Dei*, dicuntur *acclamaſſe Deo in creatione univerſi.* Et quod non tantum crediderit Moſes *Deum mundum hunc viſibilem ex Chao in ordinem redegiſſe.* Sed hunc ipſum creaſſe, ſeu ex nihilo produxiſſe, patet ex Gen. 1: 1. ubi dicit, in principio creavit Deus cœlum & terram. Crediſſe, quod *Deus pro ſummo ſuo jure & potentia in omnia, ſibi ſoli Hebræam nationem elegerit, certamque mundi plagam, reliquas autem nationes & regiones curis reliquorum Deorum à ſe ſubſtitutorum reliquerit; & ideo Iſraelis & Hieroſolymæ, reliquos autem reliquarum nationum Deos, vocatos eſſe*, abſurdiſſimum Anonymi figmentum eſt, ex Rabbinicis nugis in eo reliquum. Nam, ut illi ſomniant, non dicit Deus *Deut.* 4: 19. ſe omnibus populis Cœlum, Solem, & Stellas dediſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ad ea invocandum; aut ad eos lumine ſuo regendum: ſed ut ea aſpicientes, ex iis Deum agnoſcerent & glorificarent: cum Iſraelitas, quos in ſpeciali gratia habebat, etiam per ſapientiſſimam ſuam legem doceret, & ex Ægyptiorum ſervitute educeret, ut eos ſapientiſſimis à ſe revelandis legibus, tanquam eorum Rex, regeret. Quare *Iſrael* Jerem. 10: 16. dicitur *virga hæreditatis ejus.* Nec *Deut.* 32: 8. 9. à Moſe dicitur, Deum reliquarum nationum curam Diis ſubſtitutis commiſiſſe; ſed Iſraelitas ingratitudinis & rebellionis convicturus, inter beneficia, Patribus à Deo conceſſa, primo loco ponit; quod Deus, cum primum nationum poſſeſſiones diſtribueret, quorundam *populorum terminos ſtatuerit pro numero filiorum Iſrael*; id eſt, quibus contineretur, poſt illarum gentium exſtirpationem, numeroſiſſimus populus Iſraeliticus; Nam ut, inquit, *pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Nec quicquam pro Anonymo facit locus 2 *Chron.* 32: 19. cum ibi tantum referatur Aſſyriorum & idololatrarum ſententia & loquendi modus. Uti & 2 *Reg.* 17: 25. 26. tantum narratur opinio hominum Babylonicorum, in Samariam introductorum, ut patet ex collatione com. 24. *Gen.* 35: 2. 3. *Jacob*, poſt injuſtiſſimam Sichemitarum vaſtationem, ab ejus filiis præſtitam, omnium vicinarum gentium potentiam, iram, & ferociam perpendens, & ſic ad ultimas anguſtias redactus, divinis auſpiciis fretus, propere ſeſe accingit ad iter, & ad Dei petitionem præſtiturus ſuum quod fecerat votum Gen. 28: 19. 20. de ſtruendo altari in Bethel ſanctam ſuam domum, peſſima contagione infectam, repurgavit omni idololatrico cultu; & aperte profeſſus eſt, male admiſſos fuiſſe gentilium Deos, vel Syriacos, vel ex Sichemi vaſtatione reliquos. Atque ita ex puro & admodum laudabili zelo divino hanc inſtituit ſuæ familiæ reformationem. Nullo modo vero, ut Anonymus ex ſuis Rabbinis nugatur, ob ſolam terræ mutationem. *David* etiam 1 *Sam.* 26: 19. conqueritur, ſe, expulſum è Patria, ab iis qui hoc agerent, à vero Deo repelli, & quantum poſſent ad alios populos, ac cum iis ad eorum idololatricos Deos propelli. Sed inde non patet Davidem, multo minus Moſen, de quo hic ſermo eſt, credidiſſe, Deum illis nationibus alios Deos ſubſtitutos aſſignaſſe. Nam eos pro idolis habuerunt; & οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν *pag.*
εἴδωλον ſcimus quod idolum nihil ſit in mundo, 1 Cor. 8: 4. Moſen autem *26.*
Ethnicorum opinione credidiſſe, Deum in cœlis domicilium ſuum habere. Blaſphemum eſt. Nec per milleſimam conſequentiam probari poteſt ex adducto loco *Deut.* 33: 27. ut vel inſpicienti patebit. Nam expreſſe Deum Iſrael ab imaginaria falſorum Deorum turba eximit, & negat ei ſimilem uſquam inveniri poſſe. Imo potentiam ejus extollit ſupra cunctos gentium Deos tutelares & idololatricos, ac inanem & frivolam dicit omnem fiduciam in iis locatam. Quibus omnibus ſic demonſtratis, concidunt quæcunque fictis his Moſis opinionibus accommodatim revelata fuiſſe narrat. Falſum eſt *Deum Moſi benignum & miſe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

miſericordem apparuiſſe, tantum *quia ipſe eum pro tali habebat.* Nam contra eum pro tali habuit; quia & à natura & ex revelatione ut talis occurrebat. Falſum quod *Deus Moſi nulla imagine apparuerit*, quia ipſe *nullam in cerebro ſuo formaverat.* Nam ſi fieri potuiſſet, Deus talem in Moſis cerebro facile formaſſet. Non enim homo, ſed Deus format imagines in cerebro hominis cui quid revelat. Quemadmodum etiam Deus in aliorum cerebro quaſdam formavit imagines, non eſſentiæ divinæ, quod repugnat, ſed externæ gloriæ, quodammodo pro divina voluntate repræſentativas. Falſum eſt Exod. 33 : 18. patere, *Moſen crediditſſe Deum eſſe viſibilem*, *ſeu ex parte divinæ naturæ nullam implicare contradictionem*, *& ideo id petiiſſe.* Nam non petiit. Gloriam Dei tantum videre voluit. Et vidit com. 18: 19. &c. Reſpondit etiam Deus, ſe *gloriam ſuam patefacturum :* idque pro ſua miſericordia tanto, quanto placeret, gradu; eſſentiam vero ſeu *faciem*, *patefieri non poſſe.* Et reddit ejus rationem, Moſi maxime accommodatam, *nemo videbit & vivet*: vitam autem admodum amabat Moſes. Et quaſi dixiſſet, nemo qui vivit videbit. Ita ut Deus non tantum humanam imbecillitatem : ſed & excellentiam ſuam ſupra eam alleget, & ex ea diſcrepantia, cauſam reddat, cur à Moſe videri non poſſit. Præterea ſibi contradicit Anonymus, cum ait, Moſen nullam Dei imaginem in cerebro formaſſe, & tamen exiſtimaſſe Deum eſſe viſibilem, & eum videre voluiſſe; Nam id ſine imagine fieri non potuit Falſum eſt Deum Exod. 33 : 2. 3. 16. ſignificare, ſe, abjecta Iſraelitarum cura, eam *Angelo* tradidiſſe *qui vice ſupremi entis Iſraelitarum curam haberet.* Nam tantum Moſi revelat ſe externo præſentiæ ſigno tali modo inter eos nolle adeſſe, quo nullis aliis nationibus aderat. Et inde Moſes recte colligebat; hoc ſigno ablato, nihil externum reſtare, unde & Iſraelitæ & alii populi diſcernere poſſent, hunc populum Iſraeliticum, Deo, reliquis nationibus dilectiorem eſſe. Non etiam *Deus è cœlis Moſi apparuit*; quia eum *ubique æque facile imaginari poterat.* Nam nullus imaginari poteſt Deum ubique eſſe : cum repugnet imago infinita. Sed ut ſic innoteſceret quantum Deus à terrenis diſtet, eaque tranſcendat & ſuperet infinita ſua perfectione. *Iſraelitas* etiam & Ægyptios tam irrationales fuiſſe, ut crediderint *Vitulum eſſe Deum*, cui probabit Anonymus? Noverant enim quid eſſet? unde conſtaret? & ſe ipſos ejus auctores exiſtere. Concedimus tamen *populum illum rudem*, & hactenus in Ægyptiaca ſervitute continuo labore ſuppreſſum, valde diminutam & obſcuratam in ſe habuiſſe naturalem Dei notitiam. An vero eo uſque, ut nihil *ſani de Deo intellexerint?*
pag. 27. Nullum videmus argumentum. Concedimus etiam *Moſen* eos non *qua Philoſophum docuiſſe*, quæ de Deo cognoſci poterant; & per naturam erant manifeſta; aut ex iis *vivendi modum* præſcripſiſſe, quo populus libere, ſolo ductu rationis vitam ageret. Sed eum tanquam externa revelatione per Deum conſtitutum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tutum, confirmatum, & à populo acceptum, Dei miniſtrum, quem Anonymus male *Legiſlatorem* dicit, populo, cujus naturalis notitia plurimus tenebris erat involuta, non tantum enarraſſe multa quæ naturaliter cognoſci poterant; & natura cognoſcibilem vivendi modum præſcripſiſſe: ſed etiam talia docuiſſe, quæ nullis naturæ viribus patebant; & talem dictaſſe vivendi modum, quem nulla docet natura, ſed ſola mandat libera Dei voluntas præter naturam patefacta; & quem *libere* ſequi poterant, poſtquam eum à Deo revelatum cognoverant; quamvis etiam vere *ſervitus* dici poſſit, quatenus omnis eorum ratiocinatio ſe ei ſubmittere tenebatur, & tam ſtricta ac rigida requirebatur ejus obſervatio, ut vix à ſervili differret. Fuit tamen & *Gratia Dei & Donum*, quia ſine hac revelatione, in ſuis ratiocinationibus evanuiſſent, & effatuati fuiſſent, ut aliæ nationes, quas Deus reliquit ſuis ratiociniis & viis corruptis vitam agere; qui *ſine Deo* dicuntur *in mundo vixiſſe* Eph. 2: 12. id eſt *Deum ignorantes* 1 Teſſ. 4: 5. *obtenebrati cogitatione, & alienati à vita Dei per ignorantiam* Eph. 4: 18. Hac etiam de cauſa Deus voluit iis à Moſe proponi & narrari ab una parte præterita beneficia à Deo accepta, ut iis ad gratiarum actionem & obedientiam excitarentur: ab altera parte, pœnas horribiles, ſi à Deo præſcriptum & revelatum vivendi modum deſererent, & plurima bona, ſi obſervarent. Ita ut *Deus* revera populum illum *eodem modo docuerit*, per Moſen & & legem, ut pædagogum, *ac parentes pueros ſolent*. Nam ut pueri non cognoſcunt ea quæ per innatas notiones, multis adhuc cogitationibus carnalibus obrutas, cognoſci poſſunt, & poſtea per legitimam attentionem ex iis cognoſcentur; ac neſciunt quomodo vitam, vel inſtituant, vel inſtituendam dictet natura. Ita & populus ille. Ut pædagogus ex arbitrio Parentum electus & pueris præpoſitus, ad eorum mandatum & voluntatem pueros docet & regit, eoſque minis & promiſſis, ac perſuaſione, captui puerorum accommodata, flectit quo parentes voluerint. Ita & Lex & Moſes Iſraelitas. Et ut pueri poſtea maturæ ætatis, vident quam ſalutaria fuerint illa mandata, & cum innatis ideis conformia. Sic etiam ad majorem & firmiorem ætatem perducta Dei Eccleſia, per Chriſtum didicit, quam juſta, prudens, & gratioſa fuerit Gubernatio divina, qua ſuam Eccleſiam inter Iſraelitas, quamvis *hæredem omnium*, tamen *ad tempus à ſe* prudentiſſime *definitum* ut *ſervam* exiſtere voluit *ſub tutoribus & curatoribus* Gal. 4: 1. 2. Sed in omnibus hiſce nihil Anonymo præſidii eſt, cum Deus populo ſuo, etiam infantili, non niſi juſtiſſimas leges præſcripſerit, nihil de puerilibus eorum erroribus participantes. *Jonæ fuga* nullo modo probat ejus opinionem *de cura aliarum regionum ſubſtitutis Diis à Deo Iſraelis commiſſa*. Sed abſurdam ejus ratiocinationem & accuſantis conſcientiæ vim; conantis effugere, quem ſe effugere non poſſe cognoverat. *Magnam* ſupra cæteros fuiſſe *Salomonis Sapientiam*, dubium non eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

eſt. Sed eum *ideo etiam ſe ſupra legem exiſtimaſſe.* Nec patet in Scriptura. Nec rationi aut ejus Sapientiæ conſentaneum foret. Nam cum innata cuique notitia doceat, quemvis hominem, in omnibus quæ Deus ſe velle revelat, ſubditum eſſe Deo, ut patet ſupra Cap. 2. §. 23. Quid non doceret tantus naturalis & divinæ Sapientiæ gradus ac in Salomone reperitur? Quod etiam & Sapientia ſua *parvi pependerit leges omnes quæ Regem ſpectant, & quæ tribus potiſſimum conſtabant*, ut patet *Deut.* 17: 16. 17. *imo eas plane violaverit.* Similiter ex Scriptura non liquet. Divitias enim & honores non deſideratos copioſiſſime concesſerat ei Deus, 1 Reg. 3. 13. Nec apparet eum in iis fiduciam collocaſſe, quod prima lex regia prædicti loci prohibet. *Multiplicavit*, fateor, *uxores*, quod prohibet ſecunda lex regia. Sed cum ipſe Anonymus aſſerat Salomonem *in eo erraſſe, nec quod Philoſopho dignum eſt, egiſſe*, dicere nequit, eum id ex ſumma ſua Sapientia feciſſe; niſi ſibi contradixerit. Contra tertiam autem legem, nihil peccaſſe certum eſt. Quid in his itaque prodeſt Anonymo Sapientia Salomonis. *Vana docuit* Salomon *hominibus eſſe fortunæ bona.* Sed quid inde? ſi abſolute ſpectentur, id certiſſimum eſt. Concedatur etiam, ex *Prov.* 16. 23. patere, eum docuiſſe, *quod homines intellectu nihil præſtantius habeant.* Nihil facit ad ſcopum, ſcil. Prophetias variaſſe pro variis & contrariis præjudiciis & opinionibus Prophetarum. Nam hæc non fuerunt revelata Salomonis dogmata; ſed concluſiones poſt longam inquiſitionem factæ. Nec præjudicatæ vel erroneæ fuerunt opiniones Salomonis, quibus accommodatæ fuerunt revelationes divinæ. Sed naturales veritatum determinationes. Tandem *legem tantum iis traditam eſſe, qui ratione & naturalis intellectus documentis, carent.* Quod hic per parentheſin injicit Anonymus, tantum abeſt à vero, ut contra iis ne quidem tradi poſſit. Nam ratione deſtitutis nulla lex præſcribi poteſt. Et iis quibus tradita fuit lex, ideo eſt tradita, ut documentis divinis, naturali intellectu aſſumptis, regerentur & ducerentur. Non vero ut ſolis naturalibus documentis vitam inſtituerent. Sed de his ubi de Lege. Hactenus patet quam abſurde dicat Anonymus, Prophetas præjudicatas & erroneas Opiniones habuiſſe; & iis accommodatas fuiſſe revelationes divinas; Ut & quam parum *curioſe*, quamvis perquam *prolixe*, id ex Scriptura, ut promiſerat, probaverit.

§. 10. Videamus etiam *Prophetarum diſcrepantes opiniones*, quas ſe notaſſe jactat Anonymus, & quibus Prophetias accommodatas aſſeruit. Talmudicam fabulam, quam ex tract. Sabbati narrat, de Editione & explicatione Ezechielis Prophetæ, nihil morabimur. Cum ipſe ei non multum tribuere
pag. videatur. Sed quod *Ezechielis caput Octavum & decimum, non videatur con-*
28. *venire cum Exodi capite quarto ſupra trigeſimum, commate ſeptimo*, cuique conferenti falſum patebit. Imo hunc locum ex illo confirmari, manifeſtiſſi-

mum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mum fiet. Hic enim Deus filios etiam punire dicitur ob parentum peccata; præcipue reos idololatriæ, quos hic reſpici, patet ex coll. Exod. 20: 5. 6. quoſque Deus, quia peccatum illud directe adverſatur ſummæ gloriæ divinæ, tanquam ſe Deum odio proſequentes Exod. 20: 5. coll. Deut. 12: 31. punire ſolet, eos comprehendendo ſub patrum inobedientia Rom. 11: 32. ſeu in idem peccatum incidere permittendo; atque adeo ejuſdem culpæ reos cum parentibus. Cum jam ſimiliter à Prophetis graves afflictiones Iſraëlitis denunciarentur propter majorum delicta, quorum & ipſi rei erant; & illi hoc injuſtum exiſtimantes, & ſe ab illis parentum peccatis excuſantes & liberos proclamantes, atque ideo Prophetarum minas negligentes, creparent illud Proverbium, Patres comederunt uvas, &c. Propheta Ezechiel libri ſui Capite octavo & decimo clare demonſtrat, Deum non punire filios ob parentum peccata, niſi eorundem etiam rei fuerint, & ſic etiam ob propria ſua puniantur peccata. Atque adeo non pugnat cum Moſe, ſed eum defendit & explicat. Sic & *eadem* quæ Moſis eſt & *Jeremiæ* ſententia, libri ejus *Capite octavo & decimo*, *com.* 21: 22. Nec pugnant *Samuel lib.* 1. *cap.* 15: *com.* 29: cum *Jerem. cap.* 18. *com.* 8. 10. Nam ille de ipſa Dei natura & eſſentia loquitur. Et ſic negat eum pœnitere. Quod eſt ſecundum Moſen Num. 23: 19. Hic autem loquitur de effectu Dei. Et ſic aſſerit eum pœnitere. Quod ſecundum eundem Moſen eſt Gen. 6: 6. 7. Atque adeo non pugnant; niſi velit & ipſum Moſen ſecum pugnare. Eoſdem effectus etiam reſpexit *Joel cap.* 2: *com.* 13. ut vel inſpicienti patebit. Tandem, Nec *Gen.* 4: 7. Nec *Jerem.* 18: 8. 10. quicquam dicitur de hominis viribus ad domandas peccati tentationes: ſed tantum fit mentio de hominis officio, & præmiis ac pœnis, ſi id præſtet vel negligat. Ita ut hic nulla poſſit fingi pugna *cum Paulo*, (quem Anonymus hic inter Prophetas numerat) quando docet homines non niſi ſingulari Dei gratia, imperium in carnis tentationes habere.

§. 11. Atque ita evaneſcunt etiam omnes Prophetarum diſcrepantiæ ſimul cum omnibus eorum præjudiciis, affectibus, & erroribus, quibus à Deo dicit accommodatas fuiſſe revelationes. In Prophetis præjudicia fuiſſe, non negamus. Et concedimus Deum ea cognoſcentem illorum in tantum rationem habuiſſe ut aſſenſui revelationi præbendo non obfuerint. Sed iis accommodatas dicere revelationes; ita ut ipſa revelata præjudiciis & erroribus Prophetarum conformia forent, eſt hominum errores Deo tribuere. Et hactenus demonſtratum in nullo ex prolatis ab Anonymo exemplis id contigiſſe. Non negamus etiam Prophetas multa ſpeculative potuiſſe ignorare. Imo contrarias in quibuſdam habere opiniones, ſi talia modo fuerint, quæ revelationibus fidem adhibere non impedirent. Sed quænam & quanti momenti illa fuerint, aut eſſe potuerint, diximus determinatu facile non eſſe. Conſequenter fatemur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſpeculativam & Philoſophicam *cognitionem rerum naturalium & ſpiritualium* natura cognoſcibilium ſcilicet, *ex Prophetiis & Scripturis hauriendam non eſſe.* Nam ea ſupponuntur in Scripturis à natura cognita. Præbetur quidem cuique per revelationem occaſio naturalem notitiam promovendi: ſed tamen ejus profectus non niſi notionibus innatis niti poſſunt. Si vero per res ſpirituales intelligantur ſalutis media, per naturam ignota, ea non niſi ex Scriptura & ſupernaturali revelatione cognoſci poſſunt. Nec omnino rejicimus quam format Anonymus concluſionem. *Nos Prophetis nihil aliud teneri credere, præter id quod finis & ſubſtantia revelationis eſt.* Id ſolum enim eſt, quod revelatum exprimere valuerunt. Et quod ad audientium captum ſæpius talibus expreſſerunt verbis, quibus illi ad exprimenda ſua præjudicia adhibere conſueverant. Et quod Deus ipſis revelare voluit. Et tali ſæpe modo revelavit, quali ab ipſis facillime revelatum reciperetur, & tanquam divinum probaretur. Quod unicum intendebat Deus. Qui idcirco omnia revelationis ſigna & media ſic direxit, ut ſingulis Prophetis pro temperamenti, imaginationis, & præjudiciorum ratione, quæ Deus in iis relinqui volebat, ad certiſſimum aſſenſum iis præbendum aptiſſime occurrerent. Ipſa revelata vero nunquam ullis hominum imperfectionibus accommodavit, ut Anonymus per totum hoc caput unice, ſed fruſtra, nititur probare. Sed *in reliquis*, quæ ſcilicet ad finem & ſubſtantiam revelationis non pertinent, *prout unicuique*, de rebus naturalibus & ſpiritualibus, *libet, liberum eſſe credere.* Falſum eſt. Nam quiſque tenetur in iis ſua ratione, quam maxime recte poteſt, uti. Et tantam adhibere diligentiam ut omnem negligentiæ culpam evitaverit; & ea per naturæ principia, quan-, tum poteſt, rectiſſime cognoſcat. Deum enim etiam ex naturalibus recte cognitis & perpenſis glorificari, patet Rom. 1: 19. 20. Quanta vero, & quantæ perfectionis cognitio requiratur, ut hoc ſatis recte præſtetur? Et an non ſufficiat vulgaris? & quæ? & qualis? pro multiplici ſubjectorum diverſitate diverſimode determinandum exiſtimo. Quod hujus loci non eſt. Exempli gratia, *in revelatione Kaino facta*, certum eſt tantum doceri, *Deum eum monuiſſe ad veram vitam.* De libertate voluntatis nihil. Et idcirco de hac tenendum, quod docet recta ratio. Non quod cuique placet. *Sic etiam Michææ revelatio tantum docere vult, verum exitum pugnæ Achabi.* Nam eo ſpectant omnes ejus circumſtantiæ. Nihil autem de rebus, & naturis rerum omnium, de quibus in illa revelatione mentio fit. Sed id rationi determinandum relinquit. *Auctorem libri Job, Hiſtoriam narrare, non autem ſuos* tantum *conceptus ornare ſtuduiſſe*, de quo dubitat Anonymus, latius videbimus ad Anonymi Cap. 10: pag. 130. *Chriſti rationes, quibus Phariſæos contumaciæ & ignorantiæ convincit; diſcipuloſque ad veram vitam hortatur*, iis accommodatas fuiſſe, concedimus. Sed tamen ideo non minus veræ fuerunt. Exempli gratia, Ratio,

pag. 29.

qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

qua *Matt.* 12: 26. probat adverſus Phariſæos, ſe non ejicere diabolos per diabolum, per ſe veriſſima eſt; licet accommodata Phariſæorum opinionibus de diabolis. *Nec*, fateor, *eo loco* Chriſtus *docere voluit*, *Dari Dæmones*, *aut aliquod Dæmonum regnum:* ſed id tanquam, vel ex alia revelatione, vel ex natura notum, ſupponit. Verum, An ideo ratio quam adhibuit, non fuit univerſaliter vera? Similiter *Matt.* 18: 10. non eſt Chriſti animus docere Angelos tutelares; ſed prohibere quorundam faſtum, quo ſe aliis puſillis meliores exiſtimabant; idque argumento deſumpto à ſpeciali cura, quam Deus de iis gerebat; & honore, quo eos dignabatur. De cujus rationis veritate nihil eſt quod dubitetur. Idem dicendum *de rationibus & ſignis* quibus *Apoſtoli* uſi fuerunt. Et conſequenter redit noſtra Concluſio. Rerum naturalium accuratam ſeu Philoſophicam cognitionem ex Scriptura petendam non eſſe. Non propterea quod Prophetæ plurimum valentes imaginatione, deſtituti fuerint aptitudine res naturales intelligendi; & quod revelata ſint accommodata præjudicatis, contrariis, & erroneis Prophetarum opinionibus; ut abſurde vult Anonymus; ſed propterea quod finis, intentum & ſcopus Prophetarum non ſit rerum naturalium Philoſophicam notitiam tradere: ſed *Sapientiam Dei in Myſterio* 1 Cor. 2: 7. *Chriſtum* ſcilicet, *in quo omnes Dei promiſſiones ſunt* τὸ ναὶ ϗ τὸ ἀμὴν, ut loquitur idem Apoſtolus 2 Cor. 1: 20. Verum hæc latius ſupra §. 2. hujus capitits. Quamvis alioquin certum ſit, Scripturam incidenter, indirecte, & propter aliud, non pauca tradere de natura vel rebus naturalibus, de quorum certitudine dubitari non poteſt; ſed non alia, quam quæ vulgo à plebeis ſimul & eruditis, vulgari & minime Philoſophica ſeu accurata cognitione ſine magna diligentia cognoſcuntur cuique obvia in patentiſſimo libro naturæ: quæque idcirco Philoſophice per Scripturam cognita vel tradita nullo modo dici poſſunt. Unde jam manifeſte patet, Cur, & quomodo vera Philoſophia ſit diſcernenda à Theologia, ſeu Cur ex Scriptura petenda non ſit accurata ſeu Philoſophica cognitio eorum quæ cognoſcibilia ſunt. Verum cum Anonymus, præter ea quæ hactenus, *& quæ tantum ad ſcopum*, ut inquit, *quem intendit præcipue pertinent*, nempe *ad ſeparandam Philoſophiam à Theologia* ex occaſione *quod hæc de Prophetis univerſalitur attigerit* etiam inquirat, *num donum Propheticum*, *Hebræis tantum peculiare fuerit? An vero omnibus nationibus commune?* Ut &, *Quid de vocatione Hebræorum ſtatuendum ſit?* Nos, qui eum deſerere non propoſuimus, eadem veſtigia ſequemur.

pag. 30.

CAPUT OCTAVUM.

De Hebræorum Vocatione. Et, An Donum Propheticum Hebræis peculiare fuerit?

Anonym. cap. 3. pag. 30. §. 1. V*Eram Felicitatem & Beatitudinem uniuſcujuſque in ſola boni fruitione conſiſtere, non vero ea gloria, quod ſolus ſcilicet, & reliquis excluſis, bono fruatur.* Omni dubio caret. Et tantum abeſt, ex ea gloria felicitatem augeri: ut ex eo quod alios boni fruitione videamus excluſos, per compaſſionem & miſericordiam potius diminueretur noſtra glorioſa boni fruitio. Niſi in illa excluſione juſtiſſima, meridiana luce clarius eluceret eminentiſſima divinæ Juſtitiæ Sanctitatiſque gloria. Nec *malo animo* caret, aut *veram felicitatem & beatitudinem cognoſcit, qui ſe propterea beatiorem æſtimat, quod ipſi ſoli, cæteris non item, bene ſit.* Nam ipſum noſtrum bene eſſe: non vero aliorum male eſſe; noſtra beatitudo eſt. An autem omne noſtrum bene eſſe, *in ſola Sapientia & veri cognitione* conſiſtat; ut videtur innuere Anonymus (quamvis id negemus, cum etiam, & præcipue, in voluntatis acquieſcentia & complacentia conſiſtere, exiſtimemus) hic præter ſcopum diſputare non propoſuimus. Non etiam niſi animo depravatus, ſibi placet in alterius malo qua tali. Non quidem hæc eſt *invidia.* Quippe quæ circa bonum alterius, quo cenſetur indignus, verſatur: ſed tamen vitium non minus malum eſt. Cum alios, ſe non deteriores, dignos cenſeat illo malo, & ſe præ aliis dignum bono. Ita ut ad injuſtam Superbiam potius, quam ad Invidiam accedat. Sed tamen, ſi ex multis æque malis, & bono æque indignis, quibuſdam concedatur fruitio boni; recte, ad illuſtrandam & patefaciendam boni gloriam, inſtituitur illa comparatio boni cum aliorum malis; quamvis boni fruitio inde non augeatur. Et hoc unicum eſt, quod in Scriptura fit, cum Iſraelitæ ad obedientiam & gratitudinem Deo præſtandam excitantur, illuſtrata gratiæ acceptæ gloria, per modos loquendi, quibus Deus dicitur *eos præ cæteris nationibus ſibi elegiſſe Deut.* 10: 15. *ipſis propinquum eſſe, aliis non item Deut.* 4: 4. 7. *iis tantum leges juſtas præſcripſiſſe Deut.* 4: 8. *ipſis denique tantum innotuiſſe ibid. com.* 32. Atque adeo nullo modo dici poteſt *Scripturam in iis loqui ad captum eorum qui*
pag. 31. *veram beatitudinem non noverant.* Nam ad obtinendum propoſitum, etiam iis, qui veram beatitudinem optime noverant, ſic loqui tenebatur. Non diffitemur, quoſdam inter Iſraelitas veram beatitudinem ignoraſſe; & eo ſuperbiæ deveniſſe. Quamvis id minime pateat ex adducto loco *Deut.* 9: 6. 7. Sed Scripturam in eorum gratiam ſic locutam fuiſſe, nullibi patet; & Anonymi ſomnium eſt. Aliam enim dedimus rationem, cur omnibus, etiam veram beatitudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tudinem recte cognoſcentibus, ſic loqui debuerit. Non quidem hæc omnia dona *minus fuiſſent* in Iſraelitis, ſi ſimul cum iis *etiam aliis nationibus contigiſſent.* Sed ſine tali comparatione, eorum gloria non adeo emicuiſſet, & eos ad confuſionem, de ingratitudine convincere non potuiſſet. Et in tantum concedi poſſet, Scripturam ſe accommodaſſe ad captum eorum quibus loquebatur. Nullo modo vero, quod ad erroneam quorundam Iſraelitarum opinionem tantum dixerit, eos præ cæteris electos eſſe, cum id revera non contigiſſet. Sic enim erraſſet cum errantibus, & eos in errore confirmaſſet. Cum etiam 1 *Reg.* 3: 12. *Deus* in Scriptura dicit *Salomoni*, *neminem poſt eum æque Sapientem ac ipſum futurum*: non niſi Salomonis excellentiam in Sapientia ſignificare voluit. Et hac unica de cauſa comparationem inſtituit cum aliorum Sapientia minore. Ut ita ſimul per eam comparationem patefacta Sapientiæ Salomonis dignitate, ipſe ad agendas Deo gratias magis excitaretur. Ab ipſa Sapientiæ excellentia deſumpta ratione: nullo modo vero ab aliorum in Sapientia defectu. Verumenimvero, non obſtante jam confutata Anonymi abſurditate, de Moſis locutione ad Hebræorum captum facta, non negat, *quod Deus ipſis ſolis leges illas Pentateuchi præſcripſerit. Quod tantum iis locutus fuerit. Quod tot miranda viderint, qualia nulli alii nationi contigerunt. Sed*, ut inquit, *id tantum volumus, Moſen tali modo, iiſque præcipue rationibus Hebræos monere voluiſſe, ut eos ex ipſorum puerili captu ad Dei cultum magis devinciret.* Quod totum concedi poteſt. Si cum grano ſalis accipiatur. Nam neceſſario talibus rationibus (ſemper veris, nunquam erroneis aut falſis) uti debuit, quæ maxime convincerent Iſraelitas. Et inter eas non infima fuit illa comparatio cum aliis nationibus, quibus ipſi per ſe nullo modo meliores aut magis digni erant, ea, qua gaudebant gratia. Quod tamen non ſupponit eos putaſſe; vel Moſen ſic locutum fuiſſe, quaſi cenſeret eos putaſſe; ſe minus beatos futuros fuiſſe, ſi omnibus eadem obtigiſſent dona. Nam eadem loquendi ratio quæ per ſe non niſi veritatem exprimit, fuiſſet utiliſſima, imo neceſſaria, ad eos convincendos, & obligandos ad cultum divinum, licet tam erroneam opinionem nunquam foviſſent Si modo homines fuerint, quemadmodum fuerunt, qui ex contrariis oppoſitis oppoſita clarius vident. *Deinde*, inquit, *oſtendere volumus Hebræos non ſcientia, neque pietate, ſed plane alia re cæteras nationes excelluiſſe: ſive (ut cum Scriptura ad eorum captum loquar) Hebræos non ad veram vitam, & ſublimes ſpeculationes, quanquam ſæpe monitos, ſed ad aliam plane rem electos à Deo præ reliquis fuiſſe. Quænam autem ea fuerit, ordine hic oſtendam.* Quid fiat, videbimus & examinabimus.

§. 2. Antequam rem ipſam aggrediatur, terminos aliquos explicat, in ſequentibus adhibendos. Primo, quid intelligat per *Dei directionem. Fixum illum* ſcilicet *& immutabilem naturæ ordinem, ſive rerum naturalium concatena-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pag. 32. *tionem.* Qua, ſi intelligat, ut in ſequentibus vult videri, fixum & immutabile Dei decretum, quo de ordine & connexione omnium quæ fiunt & futura ſunt, liberrime ſecum ab æterno ſumma cum ſapientia ſtatuit, rem ipſam non improbamus. Sed eam Dei Directionem dici, minus accuratum videtur. Nam potius eſt decretum de Directione quam Deus ex ſuo decreto habet. Non quidem hæc in Deo realiter diſtinguuntur, ſed tamen diſtinctis conceptibus & nominibus exprimi ſolent. Præterea, cur non potius dicit, eſſe fixum & immutabilem ordinem à Deo inter res creatas conſtitutum? quam ordinem naturæ, & rerum naturalium concatenationem, ſine ulla mentione procreantis & dirigentis cauſæ? Cur non explicatum quid intelligatur per res naturales; Spiritus, an Corpora? Niſi quod foveat Myſterium de mente à corpore, & Deo ab univerſo Corporeo, non diſtinctis. Deum æterna ſua voluntate, & fixo ac immutabili decreto, tam Spiritualia quam Corporea, & univerſim nullis exceptis ſine reſtrictione omnia ordinare, clare aſſerimus, & aſſertum accipimus. Sed omnia ſecundum leges naturæ fieri, ambiguum eſt, & obſcurum. Vel ſaltem eſſe poteſt. Ut jam demonſtratum. Quis vero ſit locus, ubi dicit ſe oſtendiſſe, *leges naturæ univerſales, ſecundum quas omnia fiunt & determinantur, nihil eſſe niſi Dei æterna decreta, quæ ſemper æternam veritatem & neceſſitatem involvunt*, fatemur nos ignorare. Nec videmus id longa probatione indigere: cum ex notione Dei immediate fluat; vel ex ea ſaltem innoteſcat proxime. Si modo in iis non ſtatuatur aliqua veritas aut Neceſſitas quæ Deo non ſubeſt, & ab eo non dependet. Secundo, eadem ratione dicit, ſe merito *Dei auxilium internum* vocare poſſe, *quicquid natura humana, ex ſola ſua potentia præſtare poteſt ad ſuum eſſe conſervandum.* Et *Dei auxilium externum, quicquid præterea ex potentia cauſarum externarum in ipſius utile cedit.* Quia ſcilicet, *Omnium rerum naturalium potentia, nihil eſt niſi ipſa Dei Potentia.* Et ipſe Deus non aliud quam naturalia. Sed ſc. tectum hoc eſſe voluit Anonymus. Huc tamen omnia redeunt; quamvis occulte. Ita ut omnia falſo nitantur hoc fundamento. Rerum naturalium potentia quidem Dei eſt; & iis à Deo conceſſa. Sed ut Deus Eſſentiam habet à rerum naturalium eſſentiis creatis realiter diverſam: ita & cum eſſentia identificatam habet potentiam; ſimiliter à communicata creaturis potentia realiter diſtinctam. Nec Anonymus hoc negare poteſt, niſi Deum cum rebus naturalibus abſurdiſſime confundat. Atque adeo, quicquid homo ſibi ſua potentia præſtat, quidem etiam à Deo ei præſtari dici poteſt, tum quatenus ejus potentia à Deo conceſſa & conſervata eſt, tum quatenus ea potentia nihil fieri poteſt, niſi concurrente & præcurrente Deo: quod idem etiam dicendum de cauſis externis. Sed tamen ideo non poteſt hoc dici auxilium Dei internum vel externum: nam hæc naturalia ſunt, & ad auxilium Dei ſupponuntur & prærequiruntur. Si vero dixerit eſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſe auxilium naturale. Ineptam quæſtionem de nomine facit. Nam auxilium divinum, quaſi liberale, ad naturam à Deo conſtitutam, augmentum & acceſſio eſt. Verum cum Anonymus cenſeat rerum naturalium potentiam nil niſi Dei potentiam eſſe. Et conſequenter Deum non alium à rebus naturalibus. Auxilium Dei internum & externum, imo & ipſe Deus, non niſi nomina ſunt, rebus naturalibus ab eo applicata. Sub quibus latens, pudendum fovet Atheiſmum. Tertio ex eodem fundamento atheiſtico, per *Electionem Dei*, intelligit, hunc ad hoc opus, vel ad hanc vivendi rationem ſingulari Dei vocatione præ aliis eligi, *ſi ex prædeterminato naturæ ordine ſibi aliquam vivendi rationem eligat, vel aliquid efficiat.* Nam cum Deus ei natura ſit; non niſi ordo naturæ poteſt dici Dei Electio. Quarto per *Fortunam* nihil aliud intelligit, quam *Dei directionem, quatenus per cauſas externas & inopinatas, res humanas dirigit.* Sed quæ res inopinatæ dici poſſunt, cum univerſales naturæ leges, ſecundum quas omnia fiunt, æternam veritatem & neceſſitatem involvanti; & fixus ac immutabilis ſit ordo naturæ, & rerum naturalium concatenatio. Nec hoc hominem fugiat. Multa præter hominum opinionem fieri, non negamus. Sed inde Fortunam fabricare, eſt error Gentilium, talem æternam veritatem & neceſſitatem fatalem qualem alii cum Anonymo noſtro aſſeruerunt, vel ignorantium, vel negantium. Non autem eorum qui aſſerunt Deum perfectiſſimum, à corpore diverſum, à quo dependent omnia.

§. 3. His prælibatis, tranſit ad intentum. Demonſtraturus, *Quid id fuerit propter quod Hebræa natio dicta fuerit à Deo præ reliquis electa.* Sic autem procedit. *Omnia, quæ honeſte cupimus*, ſeu ad quæ, ut ſecundum Anonymum loquar, à Deo ſingulari vocatione eligimur, *ad tria potiſſimum referuntur. Nempe* I *Res per primas cauſas intelligere.* II *Paſſiones domare.* III *Secure & ſano corpore vivere. Media quæ ad primum & ſecundum directe inſerviunt, & quæ tanquam cauſæ proximæ & efficientes conſiderari poſſunt, in ipſa humana natura continentur; ita ut eorum acquiſitio à ſola noſtra potentia, ſive à ſolis humanæ naturæ legibus præcipue pendeat: & hac de cauſa omnino ſtatuendum eſt, hæc dona nulli nationi peculiaria, ſed toti humano generi communia ſemper fuiſſe; niſi ſomniare velimus, naturam olim diverſa hominum genera procreaviſſe.* Fateor, naturam olim non diverſa procreaviſſe hominum genera: ſed Deum ex uno ſanguine omne genus hominum feciſſe Act. 17:26. Et idcirco naturales facultates, tum res per primas cauſas intelligendi, & naturalem earum comparandi cognitionem; tum paſſiones domandi, & virtutis habitum aliquem acquirendi, omnibus adeſſe; & nulli nationi peculiares eſſe. Sed cum etiam ipſæ facultates illæ & omnis earum uſus dependeant à Deo, puto abſurde dici; quod eorum à ſola noſtra potentia pendeant. Verum qui cum Anonymo, Deum à creatura, & illius potentiam ab hujus non diſtinguit, aliter loqui non poteſt.

pag. 33.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

poteſt. Et præterea non omnibus adeſt æqualis gratia facultatibus illis recte utendi. Alios enim Deus iis plurimum abuti permittit. Alios à tali abuſu multis modis retinet. Alios tanta donat perfectione ut iis admodum perfecte utantur. Et hæc dona non ſunt humano generi communia: ſed ſingulis hominibus, & nationibus, ſi Deus voluerit, peculiaria. Nec ad ea requiritur ſomniari, Deum, quem Anonymus naturam dicit, diverſa hominum genera procreaviſſe. Sed concedendum, quod Anonymus nulla ratione poterit negare, Deum diverſis ejuſdem naturæ hominibus, diſtincta conceſſiſſe dona. *At media, quæ ad ſecure vivendum & corpus conſervandum inſerviunt, in rebus externis præcipue ſita eſſe; atque ideo dona fortunæ vocari, quia nimirum maxime à directione cauſarum externarum, quam ignoramus, pendent*; quamvis *humana directio & vigilantia* circa illa *multum juvare poſſit*. Et *rationem ac experientiam nullum certius medium docere, quam Societatem certis legibus formare.* Sano ſenſu concedimus. Si modo nulla ſtatuatur cauſarum externarum directio, quæ non dependeat à Deo. *Securiorem* etiam, & *magis conſtantem, ac Fortunæ minus obnoxiam Societatem*, ſi non Deum, ſed res humanas reſpiciamus, *quæ maxime ab hominibus prudentibus & vigilantibus fundatur & dirigitur*, concedimus. Sed ſi Deum & non res humanas aſpiciamus; etiam quæ à prudentiſſimis & vigilantiſſimis conſtituta ſunt, evaneſcunt & peſſime ſuccedunt. Cum, quantacunque fuerit, finita tantum ſit humana Sapientia. Et Deus ſæpius hominum Sapientia, pro arbitrio ſuo, præter eorum opinionem utatur, eamque dirigat in finem hominibus nullo modo prævisum aut propoſitum. Ut & ab altera parte, *Societas, quæ ex hominibus rudis ingenii conſtat*, ſæpe magis conſtans eſt, quam quæ ex Sapientiſſimis. Deus enim eſt, qui dominium tenet in hominum imperia; & ea concedit cui voluerit Dan. 4: 25. 32. Quique non minus hominum ſapientia quam ruditate poteſt uti pro arbitrio ſuo, tam ad deſtruendam, quam ſtabiliendam Societatem aliquam. Quocirca ſæpe non minus mirandum, Deum alicui ſocietati per ſapientes interitum, quam per rudiores ſalutem & conſtantiam largiri. Solus enim Deus eſt, qui in omnibus operatur omnia; & à quo procedit omne bonum, licet vel ex peſſimo malo, ſapientiſſima ejus directione fluat, iis quibus deſtinavit.

§. 4. Atque adeo non eſt neceſſarium, omnem *diſtinctionem nationum ab invicem ratione ſocietatis tantum eſſe.* Poteſt enim Deus alicui nationi, ut diximus, talia dare gratiæ dona, quibus intellectu ſuo, præ aliis recte utatur; quibus etiam ſuis paſſionibus rectius imperet; & perfectiorem acquirat virtutis habitum; ac univerſim libera ſua voluntate minus abutatur. Qua ratione Deus ſolos Hebræos habet pro populo aliquo, gentes autem quia ignorantes & ἀσυνέτοι inſipientes, pro iis qui populus non ſunt, ut patet Deut. 32: 21. coll. Rom. 10: 19. Quique idcirco non ſola ratione ſocietatis diſtinguuntur.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Et in ſpecie *Nationem Hebræam non ratione intellectus, neque animi tranquillitatis præ cæteris electam fuiſſe.* Falſiſſimum exiſtimanus. Deus enim copioſiſſimis & clariſſimis ſuis revelationibus, quibus eam divina gratia ſua fidem habere fecit, ante omnes alias nationes non modo præſervavit, ne cum illis in ſuis cupiditatibus & vanis ratiociniis evaneſcerent; quamvis Hebræorum multi duriore corde ſe diverſimode obfirmaverunt adverſus Deum, & ea gratia reddiderint indignos; ſed etiam tales præſcripſit leges, quibus ſi ſe obedientes præſtarent, multo rectius uterentur ſua ratione, quam ulla natio totius univerſi, ut patet Deut. 4: 6. 8. ubi Moſes prædicit, omnes qui audiverint Hebræorum leges, dicturos, *illum tantum populum Sapientem & Intelligentem eſſe.* Confer Job 12: 1. 2. Cum gentes Jerem. 16: 19. dicantur cum Patribus ſuis poſſediſſe *falſitatem* & *vanitatem quæ utilis non eſt.* Et Deut. 32: 21. *Inſipiens populus non-populus.* Poteſt etiam *ratione tranquillitatis animi electa dici.* Quia Deus ipſi talia patefecit tranquillitatis media, quæ nulli nationi aut ex natura, aut revelatione unquam innotuerunt, aut innoteſcere poſſent ſine tali electione. Multi ex ipſis hæc ſæpius quidem rejecerunt: ſed tamen ideo non minus dici poteſt Deum illam gentem elegiſſe. Nam malos multis modis ſapientiſſime correxit & punivit, & bonos incomprehenſibili cura & gratia conſervavit Ex Scriptura quidem clariſſime conſtat, *Hebræos cæteras nationes excelluiſſe* ratione Societatis, *quod res ſuas feliciter geſſerint, magnaque pericula exſuperaverint*, &c. Deus enim eam immediata revelatione per ſuos miniſtros collegerat & inſtituerat, & pro arbitrio ſuo maxime rationaliter ordinaverat, eique ſpeciali gratia & auxilio aderat. Cum gentium ſocietates, non niſi ex obtenebrata ratione abſque tam copioſa Sapientia & Intelligentia conſtitutæ & initæ, tanta firmitudine & proſperitate caruerint, & gaudere non potuerint. Sed nullibi in Scriptura patet, Hebræos poſt tot revelationes divinas, tam exilem & depravatam habuiſſe de Deo notitiam, ut nihil *ſani de eo intellexerint*, quemadmodum Anonymus loquitur Cap. 2. pag. 27. aut, ut hic dicit, nullas habuerint *de Deo cogitationes*, quarum reſpectu à Deo *præ cæteris nationibus* (quæ ambularunt in vanitate mentis ſuæ; obtenebratum habentes intellectum, & alienatæ à vita Dei, per ignorantiam & cordis obdurationem Eph. 4: 16. 17. Deum non glorificarunt, aut ei gratias egerunt: ſed *pag.* evanuerunt in ratiocinationibus ſuis; & dicentes ſe eſſe Sapientes, ſtultæ fa- 34. ctæ ſunt, & mutarunt gloriam incorruptibilis Dei, &c. ac idcirco per Deum traditæ fuerunt deſideriis cordium ad impuritatem, atque ita veritatem Dei in mendacium commutaverunt, Rom. 1: 21. 22. 23.) *electi* dici potuerint. Imo contrarium liquet in loco jam adducto Deut. 4: 6. 8. Nec ullibi patet, quod *Gentibus æquales fuerint ratione virtutis & veræ vitæ.* Sæpius quidem graviſſime peccarunt, & defecerunt: ſed etiam per pœnitentiam ad Deum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſuum redierunt, poſt pœnas & Prophetarum admonitiones. Quales cum Deus ipſis, & non aliis nationibus concederet: merito dicitur, Deum eos præ aliis, ratione virtutis & veræ vitæ, ad quæ hæc erant utiliſſima media, elegiſſe. Fateor non niſi paucos veræ virtuti operam dediſſe. Verum tamen ut cum Apoſtolo loquar Rom. 9: 6. *non omnes Iſrael, qui ſunt ex Iſraele.* Et *non qui in propatulo eſt, Judæus eſt, ſed qui in occulto* Rom. 2: 28. 29. Quare cum Deus huic nationi præ cæteris tantam largitus fuerit exercendæ virtutis occaſionem; tot præſcripſerit mandata juſtiſſima, cæteris per mentis tenebras incognita; tamque gratioſe patefecerit omnibus naturaliter imperveſtigabilem ſalutis viam; aliaque plurima eo ſpectantia. Abſurdiſſimus eſt Anonymus, cum dicit, *Deum cæteris nationibus ratione intellectus & virtutis ac veræ vitæ æque propitium fuiſſe.* Et quod conſequenter *Hebræorum electio & vocatio in ſola imperii temporanea felicitate & commodis conſiſtat.* An æqualis omnibus eſt Deus, ſi huic dederit optimam, ſapientiſſimamque virtutis & veræ vitæ regulam: illos vero ſuis cupiditatibus tradiderit & reliquerit? Si hunc plurimis donaverit veræ virtutis mediis & auxiliis; cæteros vero in tenebris deſeruerit? Si hos & ſua voce, plurimiſque miraculis & miniſtris ad ſe vocaverit: cæteros autem, alienatos à vita Dei, non item? Si his revelaverit ſua Gratiæ conſilia; cæteris imperveſtigabilia. Si his patefecerit & conceſſerit aditum ad ſe, quem cum cæteri ſibi præcluſerant? Si ex his ſibi naſci voluerit eum ſine quo nulli ſalus obtingere potuit; non autem ex illis? Si huic nationi ſua crediderit oracula, non alteri cuidam? *Jacobo indicaverit verba ſua, ſtatuta & jura Iſraeli: nec ita fecerit ulli genti*, quæ ideo *jura iſta non noverunt* Pſalm 147: 19. 20. An hæc reſpiciunt felicitatem imperii & temporanea commoda? Non autem virtutem? non veram vitam? non intellectum? Nullus intellectu præditus hoc admiſerit. Et ſi cui hæc non ſuffecerint Hebræorum præ cæteris nationibus privilegia, Paulum adeat Rom. 9: 4. 5. 6. Et plurima videbit enumerata ſimilia. Eorum enim eſt *Adoptio*, *Gloria*, *Teſtamenta*, *Legiſlatio*, *Cultus*, *Promiſſiones*, *Patres*, *Chriſtus quod ad carnem.* Conferatur & totum Caput undecimum: ut & quintum decimum commate octavo. Et tandem, cum etiam aliæ nationes, præter Hebræos, maximis commodis gaviſæ fuerunt, & minoribus ſæpius incommodis externaque miſeria ſubjectæ; non niſi Anonymi præjudicium eſt; Hebræorum electionem & vocationem in ſola imperii temporanea felicitate & commodis conſiſtere.

§. 5. Ut autem tantam abſurditatem aliqua probationis ſpecie, licet mendaci, muniret, dicit, ſe *non videre, Deum Patriarchis, aut eorum ſucceſſoribus, aliud præter hoc promiſiſſe.* Verum id ſuis præjudiciis & erroribus imputet. Nam cuique non præjudicato, vel ex unico capite undecimo Epiſt. ad Hebræos, manifeſtiſſimum eſt. Quis enim non videat Deum Abrahamo præter

im-

imperii commoda, felicitatemque temporaneam, æterna promiſiſſe beneficia, cum ſponderet Gen. 17:7. *ſe fore ipſi in Deum, & ſemini ejus poſt eum.* Nam in Deum alicui non eſt, niſi qui ex amplitudine nominis talia præſtat beneficia, quæ nemo niſi Deus præſtare poteſt, immortalia ſcilicet & æterna. Quæ expectavit Abraham Hebr. 11:10. 14. Quæ data docet Chriſtus Matt. 22: 31. 32. ut & Apoſtolus Jacobus 2: 23. Eadem promiſſio poſt Abrahamum in Iſaacum devoluta fuit. Dicit enim Deus, *præſtabo juramentum illud, quod juravi Abrahamo patri tuo* Gen. 26: 3. 4. Iſaac autem interveniente ſingulari Dei conſilio eadem benedictione benedixit Jacobum, dicens, *Det tibi Jehova benedictionem Abrahami* Gen. 28: 3. 4. Duodecim autem filios paternæ benedictionis participes fecit Jacobus: ſed ita ut præcipua pars illius hæreditatis Judæ fuerit aſſignata, cui principatus & veri Principis Meſſiæ nativitas ex ſemine Judaico promittitur Gen. 49: 10. Et per hos duodecim Patriarchas eadem promiſſio ad poſteros propagata per Ægyptum, & poſt exitum à Moſe ſæpius repetita confirmataque fuit. Hæc enim erat *illa remuneratio* quam Moſes aſpiciebat, cum *improperium Chriſti Ægypti theſauris majores divitias* æſtimabat Heb. 11: 26. Hac unica de cauſa *multi Prophetæ, Reges & Juſti deſiderarunt videre & audire*, quæ poſtea præſtitis promiſſis audiebant & videbant Apoſtoli Matt. 13: 17. Hæc eſt ea *vita æterna*, quæ *ante tempora ſæcularia promiſſa* fuit, & *ſuo tempore manifeſtata & præconiata* Tit. 1: 2. Hæc *civitas illa quæ fundamenta habet*, quam cum Abrahamo exſpectavit Iſaacus Heb. 11: 9. Hæc *ſalus* quam exſpectabat Jacobus Gen. 49. 18. Hæc *gloria* in quam eos ut *filios* ſuos introduxit *Princeps ſalutis* eorum Hebr. 2: 10. Ad quos tanquam *ſpiritus juſtorum conſummatorum* accedunt omnes N. T. fideles Hebr. 12: 23. Cum quibus poſtea *multi venturi ab oriente & occidente accubituri* dicuntur *in regno cœlorum* Matt. 8: 11. Cæcus ſit oportet, qui hic non niſi temporaneam felicitatem & imperii commoda promiſſa videat. Sed & ſecundum addit argumentum. *In lege pro obedientia nihil aliud promitti, quam imperii continuam felicitatem, & reliqua hujus vitæ commoda, & contra pro contumacia pactique ruptione, imperii ruinam, maximaque incommoda.* Quod vel ex ipſa fœderis & legis formula manifeſte falſitatis convincitur. Sic enim ſemper pepigit Deus cum populo ſuo, *Ego vobis ero in Deum, & vos eritis mihi in populum* Gen. 17: 7. Exod. 6: 6. & 19. 5. 6. Lev. 26: 12. quibus verbis & vitam, & ſalutem, & omnem ſummam beatitudinis comprehendi, tota teſtatur Scriptura. Quare Paulus eandem formulam N. T. ampliſſimis promiſſis applicavit 2 Cor. 6: 16—18. David beatum pronunciat populum cujus Dominus Deus eſt Pſalm 33: 12. & 144. 15. Beatam gentem, quam in hæreditatem ſibi elegit. Tu Deus noſter, non moriemur, inquit Propheta Habac. cap. 1. com. 12. Dominus Rex noſter, Legiſlator noſter, ipſe ſalvabit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nos Joſ. 33: 22. non terrena ſolum felicitate: ſed æterna miſericordia. Nam ſi terrena reſpicias, talis injuncta fuit divinitus primis Patribus vivendi conditio, quæ aſſiduum erat exercitium quo admonerentur ſe omnium eſſe miſerrimos, ſi in hac modo vita felices eſſent 1 Cor. 15: 19. Hoſpites ſe & inquilinos eſſe faſſi fuerunt in Terra, teſtantes ſe patriam quærere cœleſtem. Unde *Deus non erubuit vocari eorum Deus* Heb. 11: 13—16. Ita ut manifeſtiſſimum ſit, longius ſpectare promiſſam à Domino hæreditatem, quam externam hanc felicitatem & terræ poſſeſſionem; in qua pedem non acquiſiverunt niſi in ſepulchrum; quo teſtabantur ſe ſperare fructum promiſſionis non niſi poſt mortem percepturos. Præterea quid illa Legi annexa ſententia, *Qui fecerit illa vivet in iis.* Et *maledictus omnis, qui non manet in omnibus* Lev. 18: 5. Deut. 27: 26. ſi non æternam vitam ſignificet? Qui dubitat, ipſum Chriſtum interpretem audiat Marc. 10: 17—20. & Luc. 10: 25—28. Imo Evangelium, quod hominum corda non in præſentis vitæ lætitia detinet, ſed ad ſpem immortalitatis evehit: nec homines terrenis deliciis affigit, ſed ſpem in cœlo repoſitam annuncians, illuc quodammodo tranſportat, nullam docet hominis juſtitiam, niſi quæ teſtimonium habet à lege & prophetis, ut Paulus teſtatur Rom. 3: 21. Et finis legis eſt Chriſtus ad juſtitiam omni credenti Rom. 10: 4. Sed cum hinc ſatis pateat falſitas ejus argumenti, quod profert Anonymus, non eſt quod hæc latius proſequamur. Tertium addit à Societatis & imperii fine deſumptum, quem *vitæ ſecuritatem & commoda* dicit, & inde concludit, *Hebræorum Societati nihil aliud pro conſtanti legum obſervatione promitti potuiſſe.* Quod ſua ſponte ruit, quoniam in eo confunditur finis Dei Societatem erigentis inter homines, & ipſius humanæ ſocietatis. Humanus & corporea commoda ſpectans ſit finis humanæ Societatis; quamvis etiam alium indicet recta ratio. Altior tamen eſt finis electionis divinæ, qua populum hunc elegit ſibi proprium; ſeque Deum illius præ aliis pronunciavit.

§. 6. *Leges veteris Teſtamenti Judæis tantum revelatas & præſcriptas fuiſſe*, concedit. Negare quippe non poteſt. Sed ut altera manu tollat, quod conceſſerat; non tantum non obſervat, leges illas, præ omnibus gentilium legibus, quas corrupta ſua ratiocinatione ſibi formarunt & præſcripſerunt, longe juſtiſſimas & ſapientiſſimas fuiſſe: ſed contra dicit, *Sibi non ſatis conſtare, An aliis etiam nationibus Deus leges peculiares præſcripſerit, & earum Legiſlatoribus ſeſe Prophetice revelaverit, nempe ſub iis attributis quibus Deum imaginari ſolebant.* Quod idem eſt, ac ſi dixerit, ſe ignorare. An non omnes abſurdæ gentilium ratiocinationes, & errores graviſſimi, divinæ fuerint revelationes. Quod refutatione dignum non eſt. Nec aliud aſſeri potuit ab homine, qui omnia cenſet fieri fixa rerum naturalium concatenatione: qua Deus non minus mali quam boni auctor ſtatuitur; ſi ex illa hypotheſi diſcrimen mali

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& boni admitti poſſit. Sed quicquid ſit: non ſufficit hoc Anonymo non ſatis conſtare. Nam id ſi conſtaret, forte patefieret cæteras nationes præ Judæis electas fuiſſe. Præcipue cum putet *ex Scriptura patere, alias etiam nationes ex Dei directione externa, imperium legeſque ſingulares habuiſſe.* Omnia fieri ex directione Dei, negari non poteſt. Nec tamen recte conceditur ab Anonymo, cum per eam directionem non niſi fixam intelligat rerum naturalium concatenationem. Sed directione Dei, cæteras gentes, quæ pro inſipienti populo non-populo habentur Deut. 32. 21. & ambularunt in vanitate mentis ſuæ, & obtenebratum habentes intellectum, evanuerunt in ſuis ratiociniis, ac ſtultæ factæ ſunt; Deique veritatem commutaverunt in mendacium, non habuiſſe leges tam juſtas & ſapientes ac Judæi, Moſes expreſſe teſtatur Deut. 4: 6. ubi prædicit gentes ipſas teſtaturas, Hebræum tantum populum gentem ſapientem & intelligentem eſſe. Singularem autem gentium malitiam à Deo directam eſſe, quis negaverit? Sed an ideo donis & gratia Judæis non ſunt poſtponendæ? Quis ferat tantam ineptiam? Ex duobus Scripturæ locis, quæ profert, prior eſt Gen. 14: 18. 19. 20. ubi *de Melchiſedecho* agitur. De cujus perſona ſi quid ſtatuendum ſit, quod tamen admodum difficile, ut patet Heb. 7: 1. 2. 3. &c. cenſendum videtur fuiſſe virum pium, inter Canaanitas admodum corruptos, à Deo, ſpeciali fine & directione ex prima Patrum Eccleſia, reſervatum, ut fieret Chriſti typus, quod apparet ex collatione totius capitis ſeptimi ad Hebræos. *Rex* erat & Sacerdos, quem *Pontificem* dicit Anonymus. Rex Salem. Sacerdos; quippe qui per preces & oblationes ad Deum accedebat. Tale regnum autem & pontificatum omnibus nationibus patuiſſe concedimus. Hic *Abrahamo benedixit*, non tamen ex jure pontificis ut vult Anonymus *Num.* 6: 23. dato, quippe multis imo ultra 400 annis hoc facto poſteriore. Sed tanquam Rex pius, ac probus; & gratus Deo Sacerdos. Nec *decimam dedit Abrahamus* ex lege poſtea lata. Sed ut præfiguraret Chriſtum ibi ſe oblaturum, & ſpirituale ſuum regnum inchoaturum Zach. 9: 9. Joh. 12: 12—15. Eſa. 2: 3. Act. 2. &c. *Quæ omnia* quidem *ſatis oſtendunt; Deum* divina ſua directione, & fixo ac immutabili voluntatis decreto *feciſſe, ut, antequam gentem Iſraeliticam* in Ægypto *condiderit, in Hieroſolyma fuerint reges & pontifices*, ut plurimum idololatrici. Inter quos tamen ſpeciali gratia fuit unus Dei Sacerdos ab iis plane diverſus, Melchiſedech, Rex Salem, cui nullus præter Chriſtum ſimilis. *Jiſque ritus & leges fuiſſe.* Quod proculdubio etiam aliis nationibus contigit, licet in denſiſſimis mentis tenebris, & ſummis vanitatibus à Deo remotæ vixerint. Sed nullo modo oſtendunt; Deum aliquam elegiſſe nationem, cui ſe, ut Judæis patefaceret, & tot præſcriberet leges juſtiſſimas, tanquam optima media, ſuo intellectu & voluntate, recte, ſeu ex Dei mandato utendi; ut & revelaret tam glorioſæ, certæ & immutabilis, compa-

pag. 35.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

randæ tranquillitatis internæ vias. Imo contrarium manifeſte patet Pſalm 147: 19. 20. ubi *Jacobo* dicitur *annunciaſſe verba ſua, ſtatuta & judicia Iſraeli; Et ſic non feciſſe omni genti.* Et Act. 14: 16. ubi *præteritis ætatibus* dicitur *omnes gentes permiſiſſe proprias vias ingredi.* Non dubito, *Abrahamus*, dum inter Canaanitas ageret, ſi non alias fecerit pacis & confœderationis conditiones, quantum recta ratio & divina mandata permittebant, *ſecundum illorum leges vixiſſe.* Et ſi ultra proceſſerit, erraſſe. Ita ut Anonymus hinc nullum habeat argumentum pro Canaaniticarum legum & rituum divinitate. Abrahamum alios plane ritus circa cultum divinum, tum à parentibus, tum ab ipſo Deo edoctum fuiſſe, & adhibuiſſe, quam idololatrici Canaanitæ obſervarunt, plane probabile fiet, ſi modo reſpiciamus præſcriptam circumciſionem, filii mactationem & peregrinationes varias. Nec eſt quod dubitemus, eum circa ritus in cultu obſervandos & admittendos, ſua ratione minus recte, quam circa cultum ipſum uſum fuiſſe. Quare nulla ratione probabit Anonymus *Gen.* 26: 5. intelligi Canaanitarum idololatricas & erroneas leges; aut per Melchiſedechum iis divino inſtinctu revelatas, præſcriptas & obſervatas. Nam ibi expreſſe reſpicitur obedientia legum & mandatorum quæ Deus ipſi Abrahamo privative dederat. Unde & ipſe *Pater fidelium* dictus fuit Rom. 4: 11. & *Amicus Dei* Jac. 2: 23. Poſterior Scripturæ locus eſt *Malach.* 1: 10. 11. Ubi Propheta demonſtrans Judæorum contemptum nominis Dei in ſacrificiis; provocat audaciam efferentium, & aſſerit eos rectius templum claudere; ut & neque Deo placere, neque Deum munus ex eorum manu acceptare velle, dicens. *Quis* eſt *inter vos, & claudat valvas: & ne accendatis* ignem *altaris mei fruſtra. Non eſt mihi voluptas in vobis*, &c. Ejuſque rationem redditurus addit com. 11. *Nam ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus, magnum* eſt *nomen meum in gentibus, & in omni loco hoſtia offertur nomini meo & munus purum. Nam magnum* eſt *nomen meum in gentibus: dixit Jehova* Deus *exercituum.* Quaſi diceret, non vos; ſed gentes placent; & rectius quam vos me colunt. Unde concludit Anonymus *Judæos illo tempore Deo non magis dilectos fuiße, quam alias nationes.* Sed quis ignorat, quod Prophetarum mos ſit, futura, propter certitudinem, narrare tanquam præſentia. Præcipue ſi fuerint adeo propinqua vel brevi futura. *Venit hora, imo jam eſt*, inquit Chriſtus Joh. 4: 23. 24. Et omnes ſolemus, quæ imminent, jam fieri, dicere. Præterea in textu Hebræo non legitur verbum *eſt.* Quare ἔλλειψις non minus per *erit* quam per *eſt* ſuppleri poteſt. Sunt autem N. T. oblationes & ſacrificia preces, eleemoſynæ Heb. 13: 15. 16. & alia quæ Rom. 12: 1. & 15. 16. & alibi, in doctrina Apoſtolica ſacrificii nomine veniunt. Quare hinc nullo modo concludi poteſt, Judæos illo tempore Deo non magis dilectos fuiſſe, quam alias nationes. Sed tantum, ſub inſtanti tempore novi Teſtamenti, omnibus

gen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

gentibus aditum ad Deum gratioſe patefieri, & à fidelibus gentibus pura magis offerri ſacrificia, quam tunc à Judæis offerebantur. Quippe *fide purificatis eorum cordibus* Act. 15: 8.9. & *purgato corde per aſperſionem aquæ mundæ*, id eſt ſanguinis Chriſti Heb. 10: 19—22. Nihil hic occurrit, de *pluribus miraculis aliarum nationum* quam Judæorum. Multo minus narrantur *ritus & ceremoniæ aliarum nationum, quibus Deo acceptæ erant.* Et idcirco ab Anonymo hinc abſurde aſſeruntur. Verum cum hæc miſſa faciat, tanquam ad ſcopum minus ſpectantia, nos etiam ad ſequentia tranſituri ſumus. Cum ex dictis ſatis pateat, vanas gentilium ratiocinationes & vias, ac ſtultas leges, cum Hebræorum ſapientiſſimis, comparari non poſſe. Nec quicquam in ſcriptura dici unde conſtet Gentes etiam imperium, non aliter quam Judæi, à Deo, & ſingulares divinas leges, habuiſſe.

§. 7. Jam Scripturam aggreditur; tum ut quicquid in ea de Judæorum electione dicitur, ad ſuam temporaneam corporis felicitatem flectat & torqueat; tum ut corradat omnia quæ pro gentium æqualitate cum Judæis aliquo modo facere videntur. Locum *Deut.*4: 6—8. ſibi maxime adverſum, ineptæ ſuæ ſententiæ ſimpliciter tantum applicat, nulla reddita ratione. Eum autem nihil pro Anonymo facere, patet quia Moſes ibidem clare dicit, Deum Ju- *pag.*
dæis ante omnes nationes admodum propinquum eſſe; non *ratione imperii* *36.*
tantum, aut illo *ſolo tempore, quo tot contigerunt miracula:* ſed ratione Doctrinæ, ſeu legis & viæ ſalutaris ad vitam; atque ita *ratione intellectus*, iis, ut ſupra dictum, præbens gratioſam occaſionem ſuum intellectum ante omnes alias nationes perficiedi. Et *ratione virtutis ſeu beatitudinis*, patefaciens tutiſſimam viam æternæ ſalutis & multis modis, ante nationes alias, ad eam Judæos invitans & compellens: Idque tamdiu, quam ea doctrina ſalutaris, tot miraculis confirmata, inter eos propter defectus eorum inveniri potuit, & inventa fuit. Nec quicquam Anonymo præſidii eſt in iis, quæ adducit pro ſua ſententia, Scripturæ locis. Nam non dicitur *Deum omnibus nationibus ratione beatitudinis æque propitium eſſe:* ſed tantum vere fidelibus, & vera fide eum colentibus. Nam ſine fide Deo placere impoſſibile eſt Heb. 11: 6. Et *propinquus eſt Deus omnibus, qui eum* vere ſeu *in veritate* & fide *invocant*, dicit David *Pſalm* 145. 18. Nam qui Deum invocat vel ſine fide, vel ex opinione falſa, is Deum non honorat. Cum eum vocet ad miniſterium ſuarum cupiditatum; aut teſtimonium vanæ Sapientiæ & falſæ juſtitiæ, ſuperſtitionis, idololatriæ, blaſphemiæ, injuſtitiæ, &c. Gentibus autem patefacta non fuit via ſalutis Pſalm 147: 19.20. Nec adeſt Deus fide deſtitutis, nec audit eos, ut patet Pſalm 18: 42. Magnitudo bonitatis & gratiæ divinæ ſine diſtinctione ex amplitudine ſubjecti celebratur in *Pſalm* 145: 9. ubi *miſericordia Domini* dicitur eſſe *ſuper omnia ejus opera.* Et in regno Chriſti, nec eſt Judæus, nec Græcus, nec

Barba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Barbarus, nec Scyta Col. 3: 11. 1 Cor. 7: 19. Gal. 5: 6. Et Dominus *omnibus bonus eſt.* Ne quidem exceptis iis, quos in viis ſuis incedere permittit. Ut docet Paulus Act. 14: 16. 17. collat. Matt. 5: 45. Sed hinc nullo modo concludi poteſt, eum omnibus æque propitium eſſe. Sunt enim gradus divinæ bonitatis. *Pariter* dicitur Deus *Pſalm* 33: 15. *formare cor omnium* hominum; quia nullus ſuis cogitationibus & eſſentia non dependet à Deo. Non vero quod omnibus paria dederit intellectus & intelligendi dona, ut omnibus notiſſimum eſt. Par quidem intellectus in omnibus eſt: Sed non par uſus ejus in omnibus; nec paria eo utendi dona. Dicitur quidem *Job.* 28: 28. in quo conſiſtat vera hominis Sapientia: Sed nihil minus, quam eam omnibus æqualiter conceſſam eſſe. Et quamvis in primo parente conceſſa fuerit, poſt corruptionem tamen non omnibus adeſt: ſed multis modis obruta, ſpeciali gratia Dei, in aliis magis aut minus excitatur. Jobum autem fuiſſe virum probum, pium, & acceptum Deo, patet Job 2: 3. Sed cum ille ſpeciali Dei gratia forte etiam ante legem Hebræis à Deo datam ſuſcitatus fuerit in Idumæa, parte Arabiæ, uti Jethro inter Midianitas, & poſt legem inter Jebuſæos Arauna, Naaman inter Syrios, aliique, ut eſſent typi futuræ vocationis gentium, Judæorum præ cæteris nationibus electio, inde magis confirmatur: quam deſtruitur. *Jonæ* 4: 2. tantum patet, Deum etiam à gentibus retinuiſſe plagas, ſi moniti abſtinerent à peccatis. Quod omni dubio caret. Sed Anonymo nihil prodeſt. Nam hinc nullo modo evertitur ſpecialis gratia; qua Deus electo populo Judaico multo plura converſionis media conceſſit, quam ulli nationi. *Concludimus* itaque *Hebræos*, *ſupra nationes alias*, non tantum *ratione imperii & ſocietatis*: ſed præcipue *ratione donorum intellectus*, *virtutis & beatitudinis electos fuiſſe.* Et *quemvis Judæum*, etiam *extra ſocietatem* conſideratum *à gentili plurimum diſtare.* Cum huic talia conceſſa non fuerint ſalutis media, ac illi. Quamvis ille ea ſæpe rejecerint, & ſua culpa neglexerit. Conſequenter aperte falſum eſt, & hactenus ab Anonymo non ptobatum, *Deum omnibus æque benignum eſſe.*

§. 8. Pergit tamen Anonymus, & ex abſurda ſua ſententia deducit. *Omnes nationes Prophetas habuiſſe. Et donum Propheticum Judæis peculiare non fuiſſe.*
Pag. 37. Negari non poteſt, Prophetas Hebræorum, gentibus; & de iis, multa prophetaſſe. Id patet in *Ezechiele*, qui libri ſui Capp. 26—39. de variis gentibus plurima prophetavit. In *Jona*, qui Ninivitis prædicavit. *Eſaia*, qui gentium calamitates deplorat cap. 16. com. 9. 10. eaſque prædicit Ægyptiis cap. 19. com. 19—25. addens etiam futuram vocationem ad Eccleſiam; & multa promittens, poſt plurimos annos obtinenda. *Jeremias populorum Propheta* dicitur à Deo Jerem. 1: 5. Et cap. 48. 31. 36. &c. Moabitarum calamitates & vocationem ad Chriſtum prædicit. *Obadias* autem, quem prædictis annume-

rat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rat Anonymus, non tam *Idumæis* quam ſub Edomi nomine Judæis, Eſavi filiis in profanitate ſimilibus vel Idumæis permixtis vel iis ſubjectis vel inſtar eorum fratres proſequentibus, prophetavit. Quam recte *Noach*, *Chanoch*, *Abimelech*, *Bileam*, inter V. T. prophetas numerentur, non examinabo. Fateor etiam eos qui alieni ſunt à vera religione, & extra Dei populum, vaticinandi dono præditos eſſe poſſe; eoſque ab ipſo Deo ſe iis revelante, oracula accepiſſe. Nam ut gentes magis redderentur inexcuſabiles, Deus interdum inter eos, quoſdam ex ipſis ſuſcitavit Prophetas. Sed tantam putamus fuiſſe diſcrepantiam inter gentium & Judæorum Prophetas, ut illi non niſi admodum æquivoce Prophetæ dici poſſint. Nam eorum Vocatio adeo certa non fuit ac horum; tot, & tam illuſtribus miraculis confirmata. Nec eorum vaticinia tam univerſalia fuerunt, ac horum. Non niſi in particularibus quibuſdam factis & occaſionibus Deus ſe illis revelavit; his in omnis generis. Illi nuda duntaxat vaticinia protulerunt; Hi plurimum condita ſalutari doctrina. In illis vaticinandi donum ſanctificationis ſpiritu deſtitutum fuit, multiſque vitiis & ſuperſtitionibus commaculatum; in his autem comitem habuit ſincerum Dei cultum & pietatem ſingularem. Quæ omnia patent in *Bilhamo*, de quo *unico Scriptura mentionem facit*, ut fatetur Anonymus. Hic non tantum Num. 24: 3. 4. 15. 16. ſibi tribuit titulos, quibus Prophetæ à Deo inſigniuntur: ſed etiam 2 Pet. 2: 16. Propheta denominatur. Verum de nulla ejus Prophetia legitur ante eam quam occaſione conſultationis Balaci factam invenimus. Dicit quidem Balac Num. 22: 6. *Scio*, *cui benedicis*, *benedictum* &c. abutens verbis, *Pag.*
quibus Deus ad Abrahamum uſus fuit Gen. 12: 3. Sed hæc non niſi impudens 38.
aſſentatio eſt; ut hominem impium in ſui favorem moveat & ad ſcopum ſuum alliciat. Ipſe Bileam etiam Num. 24: 3. 4. 15. ſe gerit, quaſi ſæpius plurima relata recepiſſet. Sed inanis ejus eſt ſuperbia, qua ſibi fidem parare conabatur. Videtur quidem in maledicendo exercitatus fuiſſe: nam ideo conducebatur. Sed veram à Deo factam ei revelationem ante hanc nullibi patet. Eum non habuiſſe *animum ad ſolum æquum & bonum inclinatum*, patet ex eo quod inhiabat præmio injuſtitiæ, ut dicitur 2 Pet. 2: 15. Ut & quod ſeductionem quæſivit, Judæ com. 11. Nec non ad maledicendum ſe conduci paſſus erat & ibat. Proteſtatur quidem *Num.* 22: 18. ſe nihil niſi quod Deus dicit acturum & dicturum. Sed non acquieſcens in prima Dei revelatione, quæ prohibebat ire, prædam captans, iterum rogat: & Deo in ira concedente, pergit; magis ex ſua quam Dei voluntate, ut patet ex Num. 22: 22. Ita ut ea fuerit facto contraria proteſtatio. Fateor, *Deus Moſi Exod.* 4: 24. etiam *in itinere iratus occurrit*. Sed huic Deus non iraſcitur, ideo quod contra voluntatem ejus iter ſuſceperit: Verum ob ſpeciale delictum; negligentiam ſcilicet circumciſionis in filio Eliezaro. Atque adeo hæc reſiſtentia nihil pro Bileamo. De Saule

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſe quidem legitur 1 *Sam.* 9: 2. 8. Quod *Samuelem Prophetam* aditurus, quæſiverit & tandem invenerit munus; ſive ut eo, non ſatis attendens ad diſcrimen inter Prophetam & Ariolum, ſibi conciliaret ejus favorem; ſive ne, quemadmodum de Deo prohibebat lex, præcipuo ejus miniſtro, ſe ſiſteret vacuus. Sed Samuelem accepiſſe, non legitur. Saulem contra ſplendido convivio exceptum narratur. Et facito dediſſe. Unde conſtabit in uſum Prophetæ & non in fabricam Sanctuarii, aliumve ſanctum uſum collatum fuiſſe? Et ſibi habuerit Propheta. Quis enim Prophetæ cenſeat illicitum aliquid accipere? Jeremias quotidie tortam panis accepit à Rege. Elizæus etiam ab offerentibus accecepit viginti panes: Et conſtructum ei fuit cœnaculum, cum lecto & candelabro. Quis enim militat ſuis ſtipendiis? quis obturat os bovi trituranti? Nullibi patet tam avarus ejus animus & prædæ cupidus, ac Bileami. Nullibi patet eum nummis conductum fuiſſe ad maledicendum. Ut de Bileamo dicitur Deut. 23: 6. Nehem. 13. 2. Hoc autem eſt de quo Mich. 3: 11. Culpantur *Prophetæ qui pro argento vaticinantur.* Hoc unicum evitavit Elizæus cum recuſavit Naamani Syri munera. Quæ Gehazi accepit & lepra percuſſus eſt. Ita ut nec hoc Samuelis exemplum quicquam faciat pro Bileamo, & ejus patrono Anonymo. Nec tam repetitur Deut. 23: 6. Joſ. 24: 10. Nehem. 13: 2. hoc crimen Bileami, ut quemadmodum vult Anonymus demonſtretur ejus *orationes multum apud Deum valuiſſe*; & *magnam Dei erga Iſraelitas miſericordiam* fuiſſe, *quod Bileami*, tanquam viri gratiſſimi, *maledictionem noluerit audire*; quam ut pateat iniqua Bileami proſecutio Iſraelitarum, ut & ſtudium Judæos delendi; nec non illuſtris Dei miſericordia & potentia, tam in deſtruendo falſi Prophetæ ſtudio, quam in benedictiones vertendis ejus maledictis. Ita ut hinc minime pateat eum fuiſſe *Deo acceptiſſimum*: Sed avarum, impium, injuſtum & iniquum Prophetam. Qui ſua iniquitate & injuſtitia Balacum, hoſtem Dei, adjuvare conabatur. Et in quo Deus præter impii hominis opinionem, gloriam ſuæ potentiæ, veracitatis, juſtitiæ & miſericordiæ clariſſime patefacere voluit. Vere tamen à Deo hæc ei patefacta fuiſſe, non negamus. Nam ipſe Deus dicitur ejus maledictionem convertiſſe Deut. 23: 5. Joſ. 24: 10.
pag. Sed an ideo *verus Propheta* dici poſſit, admodum dubitamus. Nam non habuit
39. animum ad juſtum & æquum inclinatum: ſed ad avaritiam. Nec ullam, quod patet, antea veram habuit Prophetiam. Nec ſignum dedit confirmans. Quare cum hic Bileam dicatur *Augur* ſive *divinus* *Joſ.* 13: 22. magis ex eo confirmatur, eum non verum, ſed falſum fuiſſe Prophetam (utpote qui cum ipſis eodem inſignitur nomine in Scriptura) quam quod *gentilium augures veri* fuerint *Prophetæ*. Nam inde concludi non poſſet illos ultra hunc veros fuiſſe. Imo ne hoc quidem ſequeretur: nam ex eo quod aliquis verus Propheta dicatur Augur, non ſequitur, omnes qui augures dicuntur, veros fuiſſe Prophetas.

Nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Nomen illud aliquando ſumatur in bonam partem, non ideo ſemper ſic ſumitur. Epimenides Poëta, qui Tit. 1: 12. *Propheta* dicitur, huic Anonymo proculdubio verus & divinus erit Propheta. Scriptura enim illum non accuſat: ſed citat, & probat in eo quod citat. Quare concludimus *Donum Propheticum* in *Iſraelitis* adeo excelluiſſe; & aliis nationibus tam parce communicatum fuiſſe, ut jure merito iis *peculiare* dici debeat & poſſit.

§. 9. Sed videamus quid reſpondeat ad Scripturæ loca, probantia donum hoc divinum, prædicto modo, Judæis peculiare fuiſſe. Primus, quem proferri dicit, eſt *Exod.* 33: 16. Vult *Moſen* ibi non aliter *de Hebræorum electione* agere, quam ratione *felicitatis corporeæ, & imperii temporanei.* Sed ſi locus inſpiciatur; manifeſtum fiet; Moſem externam Dei præſentiam deſideraſſe; tum ut Iſraelitæ ad obedientiam omnium mandatorum divinorum, ſupra nationes alias à Deo iis præſcriptorum, tam de colendo Deo, quam de adminiſtrando imperio, inſtigarentur, & obſtinatum eorum cor emolliretur, ut patet Exod. 34:9. tum ut ex ea præſentia, & illorum obedientia, cunctis gentibus patefieret quantum Deus Hebræos cæteris terræ nationibus præferret. Nec ſolum *externum petit auxilium*: ſed etiam interne patefactam cognitionem viarum Dei Exod. 33: 13. quam ſe miraculis adeo confirmaturum promittit Deus Exod. 34: 10. ut in tota terra ſimilia facta non fuerint, & omnes populi de Hebræorum ſupra cæteras nationes electione plane convincerentur. Ita ut nugatorium ſit, quod Anonymus hic habet, de *Moſis invidia*; & abſurdum quod de ſolo *auxilio externo* dicit. Secundus locus Scripturæ eſt *Rom.* 3: 2. Ubi dicit *Pauli doctrinam, quam præcipue docet*, *pag.* 40.
eandem eſſe, cum ea quam ipſe *hic tradit*; *Deum* ſcilicet *omnibus nationibus æque propitium eſſe.* Quia nempe com. 29. Deum etiam *gentium Deum* dicit. Et *cap.* 2. 25. 26. *Circumciſionem* ſine lege *præputium fore.* Et *cap.* 1. 9. *Judæos & Gentes ſub peccato fuiſſe.* Et cap. 2. 14. 15. *Legem omnibus abſolute revelatam fuiſſe.* Sed ineptæ fallaciæ ſunt. Nam gentium Deus non eſt, niſi poſt Hebræos, & in iis; ſecundum promiſſionem Abrahamo factam, *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ* Gen. 12: 3. & 18. 18. & 22. 18. cujus explicationem & applicationem habemus Act. 3: 25. Gal. 3: 8. Deinde circumciſio ſine legis obſervantia præputium fit, quia non alio loco quam præputiati apud Deum ſunt, qui in veſtigiis fidei Abrahami cui primo data eſt circumciſio, non ambulant: nam illis non eſt ſignum fœderis, ſed character tranſgreſſionis & infidelitatis, & inſtrumentum blaſphemationis. Contra ſi præputiatus imitetur fidem Abrahami, & integer ſit cum Deo, & coram ipſo ambulet, qualis gratia gentibus poſt Hebræos promiſſa, ſuo tempore præſtita fuit à Deo, præputium ejus circumciſio reputatur, id eſt, non minus Dei amicus eſt, quam circumciſus Hebræus cui hæc gratia diu ante gentes obtigit. Præterea quamvis Judæi multum in multis haberent præ gentibus, non ideo minus ſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mul cum iis erant ſub peccato, id eſt non tantum adjacens ſibi peccatum habebant 1 Joh. 1: 8. 9. ſed etiam erant *obnoxii judicio*, ut loquitur Paulus Rom. 3: 19. Omnibus legem naturaliter revelatam fuiſſe, certum eſt. Sed inter Judæos per revelationem ex plurimis tenebris, quibus inter gentes erat & manebat involuta, fuit eruta, & omnibus propoſita. Et præter legem etiam Gratia Judæis patefacta fuit, cæteris gentibus illo tempore incognita. Ita ut in hac tota Pauli doctrina nihil occurrat quod pro & cum Anonymo obſtet plurimis Judæorum prærogativis. Sed expreſſe ea afferuntur cum dicit τὸ περισσὸν *Judæorum & utilitatem circumciſionis*, ſupra gentes alias, *multum eſſe per omnem modum. Et primo quidem*, initialiter unum aliquod indicans, ac innuens præter illud alia plurima dari, de quibus Rom. 4: 11. & 9. 4. 5. 6. & cap. 11. & 15. 8. *quod credita iis ſunt eloquia Dei.* Quo nomine hic exprimuntur ea quæ Pſam 147. 19. 20. dicuntur, *Sermones, definitiones & judicia Dei* gentibus denegata. Seu omnia quæ Deus iis ad ſalutem habuit dicenda: nam hæc eloquia poſſunt *hominem ſapientem reddere ad ſalutem*, ut Paulus loquitur 2 Tim. 3: 15. Hæc autem Judæi non dicuntur tantum audiviſſe: neque tantum accepiſſe mandatum ea conſervandi Deut. 31: 10—13. 26. Pſalm 78: 5. Sed etiam dicitur Deum voluiſſe eorum opera ſua oracula in mundo conſervare, Deut. 4: 6. 8. & 31. 18. 19. 20. Gen. 49: 10. Eſa. 2: 3. Zach. 8: 23. Ex Juda prodit Silo, & omnes populi obediunt. Mons domini in capite montium collocatur, & elevatur præ collibus, & confluunt ad eum omnes gentes. Ac ſecundum Zachariæ Prophetiam omnium linguarum & gentium homines Judæos accedunt & dicunt, ibimus vobiſcum, quia audivimus Deum vobiſcum. Unde manifeſte patet quam magnum hoc ſit Judæorum privilegium ſupra gentes cæteras; quod omnes ſolo eorum miniſterio habeant oracula Dei in mundo; quæ omni tempore fidem merentur; habentque auctoritatem oraculorum Dei. Ita ut non niſi abſurda & præjudicata Anonymi detorſio ſit, cum dicit hoc vel *intelligendum, quod* Judæis *tantum leges ſcripto, reliquis autem gentibus ſola tantum revelatione & conceptu concreditæ fuerunt. Vel dicendum Paulum ex captu & ſecundum opiniones Judæorum, tum temporis receptas reſpondere.* Nam præterquam quod non probaverit gentes abſurdas ſuas leges nunquam ſcripſiſſe; & contrarium verum ſit; nulla ratione probat, hic tantum reſpici ſcriptionem legum Judæis traditorum. Nihil enim Paulus de ſcriptione: Sed de loquela, ſeu revelatione abſolute loquitur. Nec ad Judæorum captum id ait: Sed ipſe ſuam exponit ſententiam adverſus vulgarem Judæorum objectionem. Nam plurimum gloriabantur in circumciſione; cui gloriæ opponebat ſuam doctrinam eam corrigens, & docebat, præcipuum in quo eorum gloria ſita erat, eſſe quod concredita iis fuerint eloquia Dei. Atque ita evaneſcunt omnes Anonymi corruptiones hujus textus & doctrinæ Paulinæ; & Anonymo adverſa doctrina Pauli manet inconcuſſa..

§. 10. Tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 10. Tandem examinemus, quid reſpondeat Anonymus ad Probationes & Scripturas probantes Æternam Judæorum Electionem. Duo tantum profert Scripturæ loca. Quamvis extent alia plurima non minus efficacia. Quæ paſſim aſſignantur ab iis qui de futura converſione Judæorum agunt. Prior quem adducit, eſt *Jerem.* 31: 36. *Ubi Propheta ſemen Iſraelis in æternum gentem Dei manſuram teſtatur, comparando nimirum eos cum fixo cœlorum & naturæ ordine.* Poſterior eſt *Ezech.* 20: 32. *Ubi videtur velle*, inquit, *quod Deus Judæos ex omnibus regionibus, in quibus diſperſi erant, recolliget*, &c. His *levi negotio* ſe reſponderi dicit, *poſtquam ex ipſa Scriptura oſtenderit, Deum Hebræos tantum elegiſſe eadem conditione qua ante Canaanitas elegerit, qui, ut ſupra oſtendimus*, inquit, *Pontifices habuerunt, & Deum religioſe colebant.* Sed quam falſum hoc ſit, nos ſupra §. 6 & 8 demonſtrvimus. Hos itaque Deus *rejecerit propter luxum & ſocordiam & malum cultum*, non ideo Judæos. Quod autem *Moſes Lev.* 18: 27. 28. *moneat Iſraelitas, ne inceſtis polluantur, veluti Canaanitæ, ut ipſos terra evomat, ſicuti evomuit illas gentes.* Optime cum Hebræorum electione cohæret, & manifeſtus ejus effectus eſt. Nam electi erant ad bona, non mala opera. Et non niſi ex gratia proponitur hæc exemplaris malitiæ pœna, ut ab ea præſerventur. Non enim Deus impunitos volebat dimittere Judæos, quia erant electi: Sed multis modis à peccatis retinere. Et inſtar patris tanquam filios, vel aliorum malis docere, vel etiam promerita pœna punire, ſed interim pro filiis habere; ſemper recordaturus fœderis ſui, & ex eo nunquam eos totaliter & finaliter rejecturus & perditurus. Eadem eſt ratio pœnæ comminatæ *Deut.* 8: 19. 20. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ inquit Paulus Rom. 11: 29. Et ſemper fuerunt Hebræi ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας, com. 28. *Alia vero* quæ dicit Anonymus *in lege* reperiri, *indicantia, Deum non abſolute, neque in æternum Hebræam nationem elegiſſe*, demonſtrare & proferre debuiſſet. Fateor Ezech. 20: 37. 38. à Propheta prædici *Deum* Iſraelitas in Chriſto promiſſæ gratiæ participes futuros, *ſub virga traducturum*, id eſt inſtar boni paſtoris numeraturum & curaturum Joh. 10: 14. Et *eos adducturum in vinculum fœderis*, id eſt per fidem ſecum uniturum, ut habeant fœdus & amicitiam cum Deo, & ipſius populus ſint; atque in eo fœdere ſint colligati inter ſe vinculo indiſſolubili Spiritus & Charitatis. *Separaturum* etiam *rebelles & deficientes*, ac neminem eorum participes futuros & conſortes regni Dei, & Chriſti, & Eccleſiæ in gentibus, ſed inſtar maledictorum in mundo extra ſocietatem ſanctorum victuros. Certum enim eſt, Deum non niſi *retentos Iſraelis* reducere & convertere Eſa. 49: 6. Neque *ſemen Abrahami ſunt, omnes filii; hoc eſt, non filii carnis hi filii Dei: Sed filii promiſſionis reputantur in ſemen* Rom. 9: 7. 8. Concedo etiam piis Judæis hanc gratiam non obtingere gentibus *cæteris excluſis.* Sed cum non niſi in Abrahami ſemine benedictæ ſint Gentes Gen. 12: 3. Et Deus filium ſuum Jeſum,

pag. 41.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

non tantum ex Judæis naſci voluerit, ſed etiam primo ad eos miſerit, Act. 3: 26. Ut & verbum ſalutis abſolute ipſis miſſum dicatur Act. 13: 26. Nec ad Gentes predicatum fuerit verbum Dei, niſi poſtquam a Judæis, qui quidem ex Iſraele, ſed non Iſrael: & in propatulo ac in carne Judæi erant, non in ſpiritu, rejectum fuerat Act. 13: 46. Et Chriſtus ſuos diſpulos amandaverit πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα ad oves perditas domus Iſrael, prohibens in gentium vias abire, aut ullam intrare civitatem Samaritanorum Matt. 10: 5. 6. Nihil hic occurrit contra Judæorum electionem præ cæteris gentibus; aut pro harum æqualitate cum illis; ac certo manet futurum quod Deus promiſit Ezech. 20: 32. *Se in Judæis regnum habiturum manu valida & brachio extenſo*, & ſic illos *educturum ex populis & collecturum ex terris in quas diſperſi erant.* Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ nam *fieri non poteſt, quod exciderit verbum Dei* ut multis argumentis, huc plurimum facientibus, probat Paulus Rom. 9: 6. Cum quibus conferri poteſt ejuſdem Epiſtolæ Caput tertium. Quod autem hic addit Anonymus

pag. 42. de *Gentilium veris Prophetis*, quales dicit (ſed falſo, ut ſupra demonſtratum) *omnes nationes habuiſſe*, eos ſcil. eandem ſalutem & *electionem* divinam *etiam ſuarum Nationum fidelibus promiſiſſe, eoſque eadem ſolatos fuiſſe.* Non niſi cerebrinum Anonymi figmentum eſt, nullo fundamento nitens. Nec quicquam pro Anonymo facit Gentium converſio promiſſa *Zoph.* 3: 10. 11. Nam ea non obſtante, plurima ſupra deſignavimus & probavimus Judæorum ſupra gentes privilegia. Et ſi quis illuſtriſſimam ejus probationem deſideret, Paulus eam dedit in Epiſt: Ad Romanos Cap. 11. com. 13—36. Quam hic pro ſuo merito deducere, locus non permittit. Gentes enim aſſumptas tantum fuiſſe dicit, occaſione lapſus quorundam Judæorum juſtitiam ex opere quærentium, & non obtinentium; qua ratione non eſt conſecutus Iſrael quod quæſivit. Sed tamen non ita offenderunt ut caderent, & nulla ſupereſſet aſſumptionis ſpes. Nam ſunt pars maſſæ ſanctæ & rami arboris ſanctæ; & conſequenter ſancti propter primitias & radicem. Cum Gentes eſſent oleaſter, arbor ſilveſtris; nullius divinæ benedictionis ſeu pinguedinis particeps; ſine Deo & gratioſa cura divina in mundo; inſitus poſtea in ramis arboris Iſraeliticæ, & particeps radicis & pinguedinis illius oleæ divinæ; cui nullo modo gloriandum contra ramos, quaſi vel propria ſapientia, vel propriis viribus & juſtitia, Judæis meliores vel ad ſummum, pares forent; Nam non ille radicem, ſed radix illum portat: id eſt ab illo non pendet Abraham & ſemen ejus, ſed à benedictione Abrahami omnis hujus fides & ſalus. Ex Hieroſolyma exire debuit lex. Iſraelitarum eſt hæreditas. Et ſi ramus ex oleaſtro naturali exciſus, præter naturam in bonam oleam inſertus ſit, quanto magis ii, qui ſecundum naturam ſunt, inſerentur ſuæ oleæ. Imo myſterium hoc, quod obduratio ex parte contigit Iſraeli, uſque quo plenitudo gentium intraret; & ſic omnis Iſrael ſervabitur;

que-

quemadmodum ſcriptum eſt, *veniet ex Sion qui eripiet & evertet impietates à Jacob.* Ex quibus aliiſque plurimis apud Apoſtolum Paulum prædicto loco videndis, manifeſte patet, Gentium converſionem eas nullo modo Judæos pares conſtituere; & ea non obſtante, multiplex eſſe προτέρημα Judæorum, quo cæteris gentibus potiores ſunt; ut & de Judæorum promiſſa converſione quod ad *reliquias* exiſtentes *ſecundum electionem gratiæ*, ut Paulus loquitur Rom. 11: 5. nullo modo dubitandum eſſe. Quod autem nos non ſine ſpeciali Dei Providentia contingere cenſemus, *Judæos* ſcil. *Per tot annos diſperſos abſque imperio perſtitiſſe*, *quod nulli alii nationi contigit*; id totum Annonymus *minimo mirum* dicit, & tribuit ſoli *odio aliarum nationum in ſe converſo* per *ſeparationem* ab iis; Et *ritus externos*, *ritibus cæterarum nationum contrarios*; Et *ſignum circumciſionis quod religioſiſſime ſervant.* Verum odium illud magis in eorum interitum & ruinam quam conſervationem tendere debuiſſe videretur: quum gentes in totalem Judæorum extirpationem armaſſet, quam obtinere facile potuiſſent, poſt Judæorum diſperſionem. Præterea quoſdam habuerint ritus, quibuſdam gentibus contrarios; Non haberunt omnibus contrarios, nec omnes. Quis autem facile demonſtret gentes in omnibus ritibus, & cum omnibus, conſpirantes? Et tamen in aliis non occurrit illud odium. Judæi etiam ſæpe per defectiones aliarum nationum ritus imitati fuere: Et aliæ nationes Judæorum multos ritus aſſumpſere. Sed non ideo vel illi his, vel hæ illis magis gratæ extiterunt. Tandem & Circumciſionem, & quoſvis alios ritus, à Deo præ- *pag.*
ſcriptos habuerunt; cum interim gentes non niſi malis & depravatis ſuis ratioci- 43.
nationibus inventos & excogitatos, ac idcirco plurimum diſtinctos & diverſos obſervaverint. Atque adeo non niſi Deus eſt, qui Judæos illis voluit diſcernere, & diſcretos ſervare ab omnibus aliis nationibus, quibus talem gratiam & ſui communicationem non conceſſerat. Alias Nationes, ut *Chinenſes*, ſimiliter ſubſtitiſſe, nihil arguit: Niſi Politica eorum ad ſubſiſtendum inventa, eadem ratione pro divinis mandatis habeantur. A Deo quidem ſunt & reguntur: Sed non aliter quam hominum omnia licet peſſima cogitata. Verum & ipſum factum ex Hiſtoria Chinenſium latius deducere jam non vacat. Plurimas putem poſſe demonſtrari diverſitates, huc facientes, inter Judæos & illos. Concludit itaque Anonymus, ſe non repugnante, *Judæos hac*, *vel alia de cauſa*, *à Deo in æternum electos* dici poſſe, *modo ſtatuatur electionem eam non reſpicere niſi imperium & corporis commoditates.* Sed quam ineptum hoc eſt? Nam ſi hac ratione fuerint in æternum electi: quodnam jam eſt eorum imperium, quæ corporis commoditates? Qua ratione probabitur Apoſtolus, qui dicit quod ἡ κλῆσις ἢ τὰ χαρίσματα τῦ Θεῦ ſint ἀμεταμέλητα. Rom. 11: 29? & quod fieri non poſſit, ut exciderit verbum Dei Rom. 9: 6. Multo rectius ergo concludimus ex dictis, & per Scripturam probatis, eos non *ſola ratione imperii & commodita-*

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tum corporis : ſed etiam *ratione intellectus* , *virtutis*, *& tranquillitatis animi electos eſſe*. Quatenus ſcilicet Deus ipſis præ aliis nationibus dedit leges juſtiſſimas & ſapientiſſimas, atque adeo commodiſſimam occaſionem intellectu ſuo recte utendi, & Deum ad voluntatem ſuam colendi. Quatenus eos ad virtutem ante nationes alias gratioſe multis modis inſtigavit. Quatenus illuſtriſſimas iis dedit cœleſtium bonorum promiſſiones. Et quatenus iis veram, unicam, ac certiſſimam patefecit viam perveniendi ad ſummam animi tranquillitatem, per Chriſtum ex iis oriturum obtinendam. Aliaque plurima conceſſit per totum hoc Caput à nobis probata. Atque adeo concidunt, omnia quæ hoc capite adſtruere conabatur Anonymus.

CAPUT NONUM.

De Lege Divina.

Anonym. cap. 4. *pag.* 43. §. I. LEgem Anonymus prius *Abſolute*; Deinde *Particularius* conſiderat. Et eam Abſolute conſideratam dicit vel *à neceſſitate naturæ*: vel *ab hominum placito dependere. Legis nomen abſolute ſumptum*, inquit, *ſignificat id, ſecundum quod unumquodque individuum, vel omnia, vel aliquot ejuſdem ſpeciei una eademque certa ac determinata ratione agunt.* Quæ ſcrupuloſius non excutiemus: quamvis curæ ſatis in iis deſideremus. *Lex quæ à neceſſitate naturæ pendet, illa eſt*, inquit, *quæ ex ipſa rei natura, ſive definitione neceſſario ſequitur.* Quod ſano ſenſu admitti poteſt; ſi non alia ſcilicet ſtatuatur naturæ neceſſitas, quam ipſe Deus in natura conſtituit. Omnem rerum naturam à Deo libere, ſapientiſſimeque conſtitutam eſſe, tum ex ſupra dictis, tum ex ipſa Dei notione manifeſtiſſimum eſt. Sed hic ſenſus cum Anonymi ſententia quam in præcedente Capite § 2. & alibi confutavimus, parum convenit. Aliam enim,
pag. 44. ut mox patebit, ſtatuit naturæ neceſſitatem: Sed perquam abſurdam. *Ab hominum placito autem, & quæ magis proprie Jus* ut inquit, *appellatur, eſt ea, quam homines ad tutius & commodius vivendum, vel ob alias cauſas, ſibi & aliis præſcribunt.* De nomine Juris, ut inutiles difficultates evitemus, jam non diſputabimus, majora ſectantes. Quantum ad rem ipſam, videns Anonymus, has leges non facile convenire, cum ea quam ſtatuit omnium rerum naturali neceſſitate & immutabili concatenatione; duas reddit rationes, *Cur* cum cenſeat, *omnia ex legibus univerſalibus naturæ* quam nullibi aliam ab univerſo videtur agnoſcere, diſtinctam, *determinari ad exiſtendum & operandum, dicat tamen has leges ex placito hominum pendere.* Nam revera id tantum *dicit*: Cum hominum libertas & arbitrium eorum, ipſi non niſi purum nomen ſit. Nullum enim placitum eſſe poteſt, ſi omnia fiant naturali neceſſitate, & ex ipſa rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rerum natura neceſſario ſequantur. Imo nulla ratio, nec ullus intellectus aut voluntas, niſi ſolo nomine tenus, ſeu, ut loquuntur, ſecundum dici. Prior ratio quam reddit hæc eſt. *Quia homo, quatenus pars eſt naturæ, eatenus partem potentiæ naturæ conſtituit.* Sed quid hic Anonymus vult per *Naturam* cujus partem aſſerit hominem eſſe? Si rerum corporearum univerſitatem velit, & hominem non niſi ejus partem dicat; hæc ratio nulla eſt: Nam ſic homo non magis quam ulla res corporea operabitur ex placito. Ea enim non minus quam homo, eſt pars naturæ & eatenus partem potentiæ naturæ conſtituit. Si vero rerum creatarum univerſitatem ſeu quicquid creatum eſt, intelligat; Fateor hominem eſſe partem ejus, & cum omnibus aliis ab immutabili & liberrima Dei voluntate determinari ad exiſtendum & operandum; ſed non niſi ad operandum per intrinſecam libertatem, cujus quiſque ſibi intime conſcius eſt. Quare dici non poteſt, ejus operationes ulla naturali neceſſitate fieri, ſeu ex ipſa natura neceſſario ſequi. Sed cum Anonymus nihil de Creatione, quod memini, muſſet: quippe qui totius univerſitatis, ſeu rerum omnium ut videtur, æternam ſomniat Exiſtentiam, nullo modo videtur hoc voluiſſe. Si ergo conferamus ea quæ dicit Cap. 1. pag. 14. & Cap. 6. pag. 69. & Cap. 3. pag. 32. Videbimus eum per naturam intelligere Deum identificatum, ſeu non diverſum ab univerſitate rerum corporearum. Quod eſt abſurdiſſimum illud fundamentum cui totus hic tractatus innititur. Dicit enim pag. 69. *Quod potentia Naturæ,* quam *infinitam eſſe* ſtatuit, *ſit ipſa divina potentia & virtus: Divina autem potentia ſit ipſiſſima Dei Eſſentia. Per hanc potentiam* autem *omnia facta* dicit pag. 14. Hujus *naturæ partem* dicit *eſſe Hominem* pag. 32. qui *eatenus* etiam *partem potentiæ naturæ conſtituit*, ut hic pag. 44. loquitur & conſequenter etiam partem Dei, ita ut, quicquid homo *ſola ſua potentia ſibi præſtare poteſt, id*, ſecundum Anonymum, *ſit internum Dei auxilium* pag. 32. Atque adeo homo ſibi Deus ſuus. Verum in hac natura, cujus potentia eſt ipſiſſima Dei eſſentia, putat *omnia fieri ex univerſalibus legibus naturæ*, ſeu *fixo & immutabili ordine naturæ* ſive *rerum concatenatione* pag. 31. quam dicit *Dei directionem.* Eaſque leges pag. 69. dicit *ſequi ex neceſſitate & perfectione naturæ divinæ.* Unde manifeſtum exiſtimo rerum corporearum univerſitatem, a qua nunquam diſtinguit res alterius, ſeu rationalis naturæ, Anonymo ipſum Deum eſſe, & ejus univerſitatis æterna ac naturali neceſſitate omnia fieri. Eumque hac ratione hic pag. 44. dicere legem *optime poſſe dici ex hominum placito pendere, quia, licet ex neceſſitate naturæ humanæ, hoc eſt ex natura ipſa, quatenus eam per naturam humanam determinatam concipimus, neceſſario fluat, tamen ab humana potentia ſequitur.* Et *præcipue quia ita pendet à potentia mentis humanæ, ut mens nihilominus, quatenus res ſub ratione veri & falſi percipit, ſine hiſce legibus clariſſime concipi poſſit, at non ſine lege neceſſaria.* Quæ non niſi inanes verbo-

 rum

rum tinnitus ſunt. Nam ſi ex humana potentia neceſſitate naturæ neceſſario ſequantur; quale poteſt hic concipi placitum? aut quid hic profert Anonymus præter nudum placiti nomen, certæ cuidam neceſſitati, ab univerſali omnium neceſſitate dependenti, impoſitum? Quis non videret & fateretur abſurdiſſimum eſſe, motum vel quietem in aliquo particulari corpore, ſine quo corpus illud clariſſime concipi poteſt, ab alterius impingentis vel ſiſtentis corporis placito dici dependere, ex hac ratione; quod corpus ſiſtens vel impingens in aliud, quatenus eſt pars naturæ, partem potentiæ naturæ conſtituit; & quod quamvis motus vel quies ita dependeant à corpore impingente vel ſiſtente, ut ex neceſſitate naturæ illius corporis, hoc eſt ex natura ipſa quatenus eam per hujus corporis naturam determinatam concipimus, neceſſario ſequantur, tamen ex placito corporis impingentis vel ſiſtentis moveri vel quieſcere dicatur, quia ad ejus impulſum vel reſiſtentiam movetur aut quieſcit; aut præcipue quia illud corpus impingens aut reſiſtens, quatenus eſt hoc corpus, clariſſime concipi poteſt ſine tali impulſu aut reſiſtentia, qua corpus aliud vel movetur vel quieſcit. Quis ferat tam abſurda ratiocinia? imo hæc non potius irrationales motus & impetus, quam rationalem diſcurſum dicat? Nam homo ſecundum Anonymum non magis ex placito legem fert, aut quicquam agit, quam unum corpus ad alterius placitum movetur. Nullam ad ſuum placitum requirit conſcientiam; nullam complacentiam; imo nihil quod in corpore reperiri non poteſt. Quod eſt omnem revera tollere libertatem & rationalitatem, ac ſubſtituere brutos & irrationales motus, quibus placiti nomen falſo tribuitur. Hic genuinus fructus eſt abſurdiſſimæ confuſionis illius qua Mentem pro corpore, & Deum pro univerſitate corporea ſumit. Poſterior ratio, cur leges arbitrarias ex hominum placito dicat pendere, ejuſdem ordinis eſt. *Quia* ſcilicet, *res per proximas ſuas cauſas definire & explicare debemus.* Sed an ideo proximis illis cauſis placitum competit? *Et illa univerſalis conſideratio*, qua ſpectatur univerſa natura & ejus potentia, quam dicit eſſe potentiam Dei, quæ eſt ipſiſſima Dei eſſentia, & quam hic dicit eſſe conſiderationem *de Fato & concatenatione cauſarum*, quæ revera deſtruit omnem libertatem, cujus ſibi quiſque conſcius eſt, *minime nobis inſervire poteſt, ad noſtras cogitationes circa res particulares formandas atque ordinandas.* Verum nec hæc ratio quicquam valet. Nam ex ea tantum patet, quod leges illæ pendeant ab homine, & ut tales ſint conſiderandæ: minime vero quod ex *placito* hominis, aut ut tales conſiderari debeant. Unum enim corpus moveri vel quieſcere, dependet etiam ab alio impingente vel ſiſtente: ſed ideo non ex ejus *placito.* Atque adeo iterum patet, Anonymum, aſſumentem univerſum pro Deo, non niſi rerum corporearum fatum, & concatenationem natura neceſſariam introducere, ablata omni mentis libertate, & ſolo admiſſo nomine *placiti* ſine re.

Quod

Quod autem addit *ad uſum vitæ melius, imo neceſſe* eſſe, *res ut poſſibiles conſiderare*, quia *nos ipſam rerum coordinationem & concatenationem, hoc eſt, quomodo res revera ordinatæ, & concatenatæ ſunt, plane ignoramus.* Aperte patefacit, eum non niſi nomine tenus placitum & libertatem in natura concedere. Nam omnia ei ex immutabili fato neceſſaria ſunt, & quædam eorum, ſine ulla libertate aut placito, niſi nomine tenus, admiſſo, tantum ut poſſibilia conſiderat, ad uſum vitæ ſcilicet: in qua tamen revera cenſet omnia neceſſario fieri. Ita ut ea tantum poſſibilia dicat, ne manifeſte pateat abſurditas illius quod fovet Myſterii de Deo corporeo & fatali omnium rerum concatenatione per naturam neceſſaria. Et ne videatur diſſentire ab omnibus, negando libertatem, cujus quiſque ſibi probe conſcius eſt.

§. 2. Hinc tranſit ad Legem *particularius* conſiderandam; & eam definit, *Rationem vivendi, quam homo ſibi vel aliis ob aliquem finem præſcribit.* Quod accipimus. Si modo vera concedatur homini libertas & complacentia qua hoc agat: non vero ſolum nomen libertatis; & omnia non ſubjiciantur fato & naturaliter neceſſariæ cauſarum concatenationi. Non etiam negandum, rationem vivendi quam Deus homini præſcribit, legem eſſe. Quippe qui non minus quam homo alicui rationem vivendi præſcribere poteſt. Sed cur Anonymus id propter ſuum Myſterium prætereat, mox videbimus. Ut autem quis ex ratione ſecundum legem vivat, nullo modo requiritur ut *cognoſcat finem* ob quem Legiſlator talem dedit; ſed tantum ut cognoſcat legem & rationem cur legiſlatori ſecundum eam obedire teneatur. Atque adeo finis illius ignorantia, quemadmodum vult Anonymus, non eſt cauſa, cur legibus adjiciantur pœnæ: Sed negligentia ſeu culpabilis ignorantia rationum cur iis legibus ſubeſſe debeat. Cum autem homo rationes obedientiæ Deo præſtandæ, licet perfectiſſimus fuerit, negligere poſſit, & ſic violare legem: nec ullus eas ſemper ſibi habeat prompte præſentes; & plurimi negligant propria malitia rationes obedientiæ tam Deo, quam hominibus, imo & à ſe ſibi præſcriptis legibus, præſtandæ, nulla poteſt concipi lex, cui non neceſſario adjiciatur pœna, quæ tanquam ſecundaria, ſed notiſſima ratio obedientiæ, cuique facillime præſens ſit, & ad obedientiam moveat, ac hominem excitet ad inquirendas & ſibi prompte præſentes reddendas primarias obedientiæ rationes, & ſic ſe legi ſumma cum ratione & libertate ſubjiciendum. Ita ut præmium & pœna nullo modo conſiderari debeant tanquam finis legis, ut inepte vult Anonymus, ſed velut ſecundariæ rationes & cauſæ ſubditos ad obedientiam permoventes, & iis continuo ac facile præſentes. Quare non magis hominem ad obedientiam conſtringunt, ſi ſcilicet rationaliter agat, quam rationes primariæ, quales ſunt omnes rationes ſubjectionis erga legiſlatorem, niſi quatenus facilius & promptius præſentes occurrunt. Sed ſi homo irrationaliter

Pag. 45.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

vivat, inſtar brutorum, quæ cibo & potu, tanquam præmiis, & verberibus ut pœnis, à rationali domino reguntur; fateor hæc ei tanquam frænum eſſe, quo *inſtar æqui & muli*, ut loquitur David Pſalm 32:9. *conſtringatur.* Et ideo concedo eum qui hoc modo legibus obtemperat, *juſtum vocari non poſſe*, quia non niſi irrationali impetu fertur. Sed ſi quis legem cognoſcens, & conſiderans ei à legiſlatore, cui jure tenetur ſubeſſe, talem annexam eſſe pœnam & tale præmium, cum ratione metuat pœnam & intendat præmium, atque ex eo *metu ſuum cuique tribuat & legibus obtemperet*, nullam video rationem, cur *juſtus vocari nequeat.* Nam pœna ſecundaria ratio eſt ad obedientiam movens, & idcirco ſecundario ſpectanda. Et qui hac ratione metuit, non tam cum ſervitute fugit pœnam & ſectatur præmium, quam amat juſtitiam, & ex recta ratione ſe cum libertate filiali ſubjicit legi quæ talem habet annexam pœnam & præmium. Imo non niſi ex conſtanti amore boni, & firmo decreto illud perſequendi, tantus hic mali metus oritur, & certum fit decretum vitandi pœnæ malum. *Servite Domino in timore, & gaudete in tremore*, inquit Pſalmiſta Pſalm 2:11. Et hic ſervitus vera libertas eſt. *Veritas* enim nos *liberos reddit*, ut ait ipſe Chriſtus Joh. 8:32. Et *lex perfecta, eſt* lex τῆς ἐλευθερίας *libertatis*, inquit Apoſtolus Jac. 1:25. Μόνοι, ἃ δεῖ βούλεσθαι, μαθόντες, ὡς βούλονται, ζῶσι. *Soli qui didicerunt, quæ velle oporteat, vivunt ut volunt*, ait Plutarchus. Nec *Paulus* Act. 13:39. coll. Gal. 3:11. Heb. 10:1.2.3. Rom. 8:3.4. aut ullo alio loco, dicens *eos qui ſub lege vivebant per legem juſtificari non potuiſſe*, docet, eos qui prædicta ratione legem obſervant juſtos vocari non poſſe. Sed tantum vel legem juſtificare non poſſe hominem, per peccatum carnem factum, ſeu à vita Dei & Spiritu ejus alienatum, qui idcirco legem obſervare non poteſt, Rom. 8:3. vel legem tantum umbram habuiſſe rerum futurarum Heb. 10:1. & nihil complete: ſed tantum manuductionem ad meliorem ſpem, per quam ad Deum accedimus & juſti evadimus Heb. 7:19. Quare annihilata dicitur ob imbecillitatem & inutilitatem Heb. 7:18. Atque adeo juſtitiam ſecundum illam legem, dogmatum ſcilicet, veram & ſalutarem non eſſe, ſed umbratilem. Minime vero, nullam eſſe juſtitiam legis, aut legem obſervantes juſtos vocari non poſſe. Fateor, definitur *Juſtitia, conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Sed quidni ea reperiatur in illo qui cum ratione metuit malum & intendit bonum, à legiſlatore (cui ſe jure ſubjectum agnoſcit) annexum legi, ſecundum quam ſuum cuique tribuit? Doceat etiam Salomon *Prov.* 21:12. *Juſtum lætari cum ſit Judicium, iniquos autem pavere.* Quis non videat, id magis Anonymo quam nobis adverſum eſſe? Cur enim lætantur Juſti, quam vel quia pœnas iniquorum evitarunt, vel quia non minus à juſtitia legiſlatoris expectant bonum, quam his obtingit malum; & in utroque vident ſupremi legiſlatoris gloriam? Metuunt autem iniqui, quia ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſibi non niſi ſimile malum à tam juſto legiſlatore expectandum eſſe vident. Unde manifeſtiſſimum eſt, Juſtos ſecundum Salomonem etiam evitare malum & intendere bonum legi annexum. Imo ſi ipſa Salomonis verba cum attentione legantur, patebit eum docere, juſtos ad majorem juſtitiam & innocentiam vitæ ex improborum pœna proficere. Ita ut ineptum plane ſit, quod Anonymus hic de legis obſervantia tam ſpecioſe voluit adſtruere. Hinc tamen diſtinguit Legem in *Humanam* & *Divinam*. Per *illam* intelligit *rationem vivendi quæ ad tutandam vitam & rempublicam tantum inſervit.* Per *hanc*, *quæ ſolum ſummum bonum, hoc eſt Dei veram cognitionem & amorem ſpectat.* Quæ diſtinctio ex fine & ſcopo legis, deſumpta videtur, cum alioquin fieri ſoleat ex cauſa præſcribente. Quod non potuit Anonymus, cum cenſeat omnia determinari ad operandum & exiſtendum per univerſales leges naturæ, ex ipſa rei natura neceſſario ſequentes. Verum ſi Deus per revelationem præſcribat leges inſervientes ad tutandam vitam & rempublicam, divinas eſſe negari non poteſt. Et omnes quas homines præſcribunt, ad promovendam veram Dei cognitionem & amorem, humanæ leges ſunt & manent. Quamvis & hæ divinæ dici poſſint; tum quatenus homines eas præſcribentes à Deo dependent; tum quatenus id quod Deum ſpectat præſcribunt: & illæ humanæ; cum circa hominis ſalutem verſentur. Sed non eſt quod diſputemus de nomine. *Ratio cur hanc legem voco divinam*, inquit, *eſt propter ſummi boni naturam quam hic paucis & quam clare potero, jam oſtendam.* Nos ſequemur, & errores detegemus ac deſtruemus.

§. 3. *Summum noſtrum bonum*, ſi ut in nobis conſideretur, *conſiſtere in perfectione melioris partis noſtri*, non eſt quod dubitetur. Sed hinc putamus illud in corpore reperiri non poſſe, ſed in mente quippe noſtri parte longe perfectiore. Quam tamen Anonymus à corpore nunquam ſatis diſtinguit. Verum cum Mens humana, quamcunque perfecto gaudeat intellectu, ſi ſua voluntate ſecundum eum non utatur, errores evitare nequeat; imo tanto magis culpabilis ſit; & contra quamcunque finita ſit intellectus perfectio, homo liber ſit ab errore, ſi modo voluntatem intra terminos intellectus ſui contineat, proculdubio multo magis perficitur voluntatis perfectione & recto uſu, quam Jntellectus. Et conſequenter non tam in *Intellectus perfectione* quam in recto noſtræ voluntatis uſu ſecundum Intellectum quantum fieri poteſt perfectum, *ſummum noſtrum*, quod in nobis obtinere poſſumus, *bonum conſiſtit.* Cum autem ad noſtræ voluntatis rectum uſum requiratur etiam cognitio ejus ſecundum quod noſtra voluntate uti tenemur, lux quæ præſcribit rationem, veram Dei cognitionem & amorem comparandi, ſeu Deum amandi ex vera cognitione, recte divina dici poteſt. Verum cum ignoremus, quantæ perfectionis cognitio ad Dei amorem requiratur; & ſciamus Deum omni noſtra voluntate

& viribus omnibus, ſeu ex toto corde amandum eſſe; ſic tenemur noſtra voluntate uti, ut quantum poſſumus proficiamus in cognoſcendo Deum, & eum nunquam non omnibus viribus amemus. *Omnem noſtram cognitionem & certitudinem à ſola Dei cognitione dependere*, extra dubium exiſtimamus. Si per Deum non univerſum corporeum: ſed ens ſummæ perfectionis, & idcirco à corpore realiter diverſum, intelligatur. Per conſequens fatemur etiam *in nobis ſummum noſtrum bonum* non dari abſque *cognitione Dei*; & concedimus illud eatenus ab hac *dependere*. Sed *ſummum noſtrum bonum omnino conſiſtere in ea cognitione Dei*, & non potius in uſu voluntatis noſtræ ſecundum eam cognitionem, nunquam probabit Anonymus. Qui ſummam habet Dei cognitionem, & ex ea ſuam voluntatem & omnes actiones regit, ſummo bono quidem perfectiſſime gaudet. Sed tamen qui pro ſua cognitione Dei, vera quidem, ſed abſque ſua culpa minus perfecta, omnes ſuas actiones & judicia regit, eodem etiam ſummo bono gaudere poteſt & gaudet. Quamvis forte non tanto perfectionis gradu. Quare cognitionis perfectio in intellectu, nec ſolitarie, nec præcipue ſummum hominis bonum eſt: ſed uſus voluntatis ex recta Dei cognitione; quantacunque ea fuerit. Verum ſi hanc Anonymi ſententiam penitius inſpiciamus, iterum levi opera patefiet, impurum ejus Myſterium de Deo corporeo, ſecundum quod hæc omnia, quæ de ſummo bono & cognitione Dei dicit, diriguntur. Nam, ut inquit, *omnia quæ in natura ſunt, Dei conceptum, pro ratione ſuæ eſſentiæ ſuæque perfectionis involvunt atque exprimunt; ac proinde nos, quo magis res naturales cognoſcimus, eo majorem, & perfectiorem Dei cognitionem acquirimus, vel eo Dei eſſentiam perfectius cognoſcimus.* Ita ut res naturales cognoſcere, ei ſit Deum cognoſcere; & hæc cognitio ſummum noſtrum bonum; de quo *maxime participat, qui intellectualem omnium quæ in natura ſunt, ſeu Dei cognitionem ſupra omnia amat, eademque maxime delectatur.* Quorum abſurditas adeo manifeſta eſt, ut in ea detegenda confutandaque fruſtra tempus conſumamus. Quis enim non videat, aliud eſſe Deum, aliud Creaturas cognoſcere? Quis ignoret inutilem eſſe cognitionem omnium, ſi cognoſcens omnes ſuas actiones voluntarias ſecundum eam non regat? Quis non multo majus bonum exiſtimet, Deum quam creaturas cognoſcere & amare? Quis non beatius cenſeat, Deum cognoſcere & amare, quam Dei cognitionem intellectualem? præcipue cum ex Anonymo non pateat eam illi aliquid à corpore vel corporeo motu diſtinctam eſſe. Huc ſcilicet redit omnis Anonymi beatitudo, in cognitionem Dei, ſeu omnium rerum naturalium, & illius cognitionis amorem ſupra omnia. Et cum eam cognitionem à corpore non diſtinguat, ac conſequenter nec amorem; Omnis ejus Beatitudo nihil poterit eſſe, quam certa quædam humani cerebri conſtitutio, & determinatio motus in eo exiſtentis, quibus nomen cognitionis & amoris imponit.

pag. 46.

ponit. *Media* vero, *quæ hic finis exigit*, quæque ſecundum Anonymi principia ſunt leges & regulæ motus, *juſſa Dei*, dicit, *quia quaſi ab ipſo Deo, quatenus in noſtra mente exiſtit*, id eſt vel quatenus nos aliquid Dei ſumus, vel quatenus in nobis ea datur cerebri conſtitutio, quam Dei cognitionem vocat Anonymus, *nobis præſcribuntur*, id eſt in nobis reperiuntur. Et hoc reſpectu, *ratio vivendi*, inquit, *quæ hunc finem ſpectat, lex divina optime vocatur*, ideſt omnis motus determinatio quæ tendit in eam cerebri diſpoſitionem, quam Beatitudinem dicit, Lex divina eſt. Nam omnia cenſet ex legibus univerſalibus naturæ determinari ad exiſtendum & operandum, & nullibi mentem à corpore vel Deum ab univerſo realiter diſtinguit. *Quænam autem hæc media ſint; & quænam ratio vivendi quam hic finis exigit; & quomodo hunc optimæ reipublicæ fundamenta ſequantur: & ratio vivendi inter homines; ad univerſalem Ethicam*, inquit, *pertinet*. Eam ſi videre liceret, totum patefieret hoc myſterium: nam pro rectæ rationis dictatis, & intelligentis ac liberæ creaturæ cum ratione vitam agendi regulis à Deo libere præſcriptis, non niſi æternas, motus & quietis leges & regulas tradere poſſet; quibus ipſe Deus, utpote realiter ab univerſo non diſtinctus, ſubeſſet; & omni libertate à Deo, & natura ſublata non niſi irrationalis & bruta ſubſtitueretur neceſſitas; & fatum quam maxime fatuum, quippe ratione plane deſtitutum. Cui fundamentali abſurditati pœne totus hic Anonymi tractatus innititur. Sed videamus quid jam in ſpecie de lege divina dicat.

§. 4. Repetitis iis quæ hactenus de lege naturali divina dixerat, quatuor ejus proponit quaſi Proprietates I. *Eam eſſe univerſalem, ſive omnibus hominibus communem*. Quod concedimus. Nam omnium eſt eadem univerſalis humana natura. Sed qua ratione fieri poſſit, ut quis hominum ab hac lege deficiat, *pag. 47.* & peccet, ex Anonymi ſententia non videmus. Nam poſita fatali neceſſitate naturæ, nihil ab ea deficere poteſt. Plurimos tamen contra naturam peccaſſe teſtatum Paulus in primo capite Epiſtolæ ſuæ ad Romanos. II. *Eam non exigere fidem hiſtoriarum*. Quod etiam concedimus. Nam innoteſcit ex ſola conſideratione naturæ Divinæ & Humanæ. Nec *fidem Hiſtoriarum, quantumvis certa, Dei cognitionem*, primam ſcilicet, *nobis dare poteſt*: nam abſque omni Dei cognitione, nulla poteſt dari fides hiſtoriarum: quippe quæ eam ſemper ſupponit. Poteſt tamen hiſtoriarum fide comparari cognitio Dei revelata; qua Deus cuidam homini de ſe tale quid patefacit, quod *ex ſola conſideratione naturæ humanæ, & communibus notionibus per ſe certis & notis*, ſine alia revelatione innoteſcere non poterat. Ut latius probatum Cap. 4. §. 2. Sed Anonymus, qui, ut demonſtravimus ſupra Capite Sexto, enervavit omnem cognitionem revelatam, talem Dei revelationem admittere non poteſt. Ex ea *Dei cognitione naturali* etiam *in nobis oriri Amorem Dei*, quis negaverit? Sed in immenſum creſcit & augetur

amor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

amor ille per cognitionem gratioſe revelatæ Miſericordiæ, Benevolentiæ, & promiſſionum divinarum. Et eo reſpectu negari nequit, ex Hiſtoriarum fide, etiam in nobis oriri & augeri poſſe noſtrum Dei amorem. Et cum naturalis noſtra cognitio Dei, multis tenebris involuta ſit & obruta; ac conſequenter admodum diminutus ſit Dei amor naturalis; noſque, licet continuis ſtudiis multum proficiamus, naturalibus mediis ad beatitudinem ſeu cognitionis & amoris perfectionem aſcendere non poſſimus; ut probatum Cap. 3: §. 11. ſemperque nos condemnet Dei vicem gerens naturalis noſtra conſcientia & ea acquieſcere non poſſit abſque medio, quo ſatisfiat divinæ Juſtitiæ, ex nullis notionibus communibus innoteſcente, *fides hiſtoriarum*, *ut ad ſummum noſtrum bonum perveniamus*, plane *neceſſarium requiſitum eſt*. Nam ea ſola cognoſcitur, quid Deus de ſe, ſua voluntate, & perfectam beatitudinem acquirendi via, patefecerit, & credentibus promiſerit. Ita ut plane abſurdus ſit Anonymus, cum aſſerit *fidem Hiſtoriarum* etiam poſt peccatum, non ad beatitudinem & ſummum noſtrum bonum obtinendum, ſed *tantum ratione civilis vitæ perutilem eſſe*. Sic enim omnia per gratiam comparandæ ſalutis dogmata ſimul abjicit & abnegat; imo veram beatitudinem adeundi viam præcludit. Nam ſine fide nulla ſalus. III. *Legem divinam naturalem non exigere ceremonias*, fatemur. Nam omnes ceremoniæ natura ſunt arbitrariæ, & non niſi ex inſtituto certæ. Requiritur quidem, ut homines in ſocietate viventes, nonnunquam inter ſe quaſdam obſervent, ſed nullam exigit lex naturalis. Non ergo ſunt ceremoniæ per ſe bonæ, ſed ex inſtituto. Nec per ſe ſignificant & umbræ ſunt, ſed ex inſtituto. Nec ſunt fructus intellectus humani, ſed inſtituta voluntatis divinæ. IV. *Summum Legis præmium eſſe*, *ipſam legem*, *nempe Deum cognoſcere*, *eumque ex vera libertate*, *& animo integro & conſtante amare*, *pœnam autem*, *horum privationem & carnis ſervitutem*, *ſive animum inconſtantem & fluctuantem*. Sano ſenſu concedi etiam poteſt: nam beatos per Chriſtum, Deum cognoſcere & integro animo amare, non eſt quod dubitetur. Sed tamen hinc profluens immenſum illud bonum, *quod oculus non vidit*, *nec auris audivit*, *nec in mentem hominis venit*, eſt proprie præmium quod *Deus præparavit iis à quibus ipſe diligitur* 1 Cor. 2: 9. Eſa. 64: 4. Pſalm 31: 19. 20. Horum privationem etiam & carnis ſervitutem, eſſe pœnam, dubitari non poteſt. Sed aliud præterea voluit Scriptura cum paſſim loquitur de *Inferno*, *Igne*, *verme non moriente*, &c. Marc. 9: 44. Eſa. 66: 24. Verum hæc non videtur Anonymus agnoſcere, cum nihil dicat de præmio & pœna poſt hanc vitam & utriuſque duratione.

pag. 48.

§: 5. Præmiſſis quatuor his naturalis legis divinæ proprietatibus, alia quatuor proponit inquirenda: Eorumque duo priora, hoc; poſteriora, ſequente capite examinat. Illorum prius eſt, *Num lumine naturali concipere poſſimus*,

Dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Deum veluti Legiſlatorem aut Principem leges hominibus præſcribentem? Poſterius. *Quid ſacra Scriptura de lumine & lege hac naturali doceat?* Utrumque videamus. *Quid circa Primum ſtatuendum ſit, facile*, inquit, *deducitur ex natura voluntatis Dei, quæ à Dei Intellectu non niſi reſpectu noſtræ rationis diſtinguitur; hoc eſt Dei voluntas & Dei Intellectus in ſe revera unum & idem ſunt.* Rem ipſam concedimus. Deus enim ſimpliciſſimus eſt. Et ne quidem in homine realiter diſtinguitur Intellectus à voluntate. Multo minus in Deo. Sed peſſimum exiſtimamus errorem, quem hinc adſtruere conatur Anonymus; ſublata ſcilicet à Deo & Creaturis omni libertate, & introducta neceſſitate, nullas dari aut naturali lumine cognoſci præſcriptas hominibus à Deo leges, quas premium aut pœna ſequatur ex ſolo lubitu aut abſoluto imperio Dei: Deumque non niſi propter defectum cognitionis in homine Legiſlatorem eſſe. Quod ut pateat, inſpiciatur exemplum in quo conatur demonſtrare, Dei voluntatem ab Intellectu, non niſi reſpectu noſtrarum cogitationum, quas de Dei Intellectu formamus, diſtingui. *Cum ad hoc tantum attendimus*, inquit, *quod natura Trianguli in natura divina ab æterno continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus Deum trianguli ideam habere, ſive nataram trianguli intelligere.* Verum eſt. Sed cum ea veritas non niſi ſola æterna Dei complacentia talis ſit; & nulla alia neceſſitate, quam perfectiſſimæ illius complacentiæ divinæ, ab æterno in natura divina contineatur, tanquam æterna veritas a prima & eſſentiali Dei veritate pro ejus arbitrio profluens; non niſi ſua complacentia in ſe habet ideas omnium quæ præter ſe intelligit in ſe. Cum autem hæc complacentia non pertineat ad formalem conceptum Intellectus, dicimus Deum aliquid intelligere, quando eum per mentis abſtractionem non attendendo ad hanc complacentiam, ſine qua nihil præter eum eſſe vel cognoſci poteſt, conſideramus ſibi ſui & omnium præter ſe conſcium: dicimus autem eum aliquid velle, cum eundem Deum conſideramus cum conſcientia & ſumma cum complacentia a ſolo ſe ipſo actuoſum. Atque ita Voluntatem in Deo ab Intellectu, diſtinguimus ſola ratione noſtrarum cogitationum, quas de Deo, non autem *de Dei intellectu*, ut vult Anonymus, formamus. Ita ut abſurde dicat, *Id ipſum, quod Dei Intellectum vocavimus, Dei voluntatem ſive decretum appellamus, cum ad hoc tantum attendimus, quod natura trianguli ſic in natura divina continetur, ex ſola neceſſitate divinæ naturæ, & non ex neceſſitate eſſentiæ & naturæ trianguli, imo quod neceſſitas eſſentiæ & proprietatum trianguli, quatenus etiam ut æternæ veritates concipiuntur, à ſola neceſſitate naturæ divinæ & intellectus pendeat, & uon ex natura trianguli.* Nam ſic aufert omnem à Deo libertatem & complacentiam; & uti convenienter abſurdiſſimis ſuis principiis debet, Deum facit ens, ab æterno ſola neceſſitate actum, ſolo nomine intelligens & volens. Si enim trianguli, & omnium aliarum rerum naturæ,

pag. 49.

ſola ipſius divinæ naturæ neceſſitate in eadem natura divina continerentur, & à ſola neceſſitate naturæ divinæ penderent, nihil in Deo libertatis reperiretur, & omnia cum Deo forent ejuſdem neceſſitatis. Æterna quidem eſt decretorum divinorum complacentia: ſed tamen ideo non minus libera. Nam libertas æternæ & perfectiſſimæ eſſentiæ inſeparabilis proprietas & perfectio eſt. Infallibiliter etiam fit, quicquid Deus æterna ſua complacentia voluit. Sed tamen ideo dici nequit, quicquid fit, ex ſola neceſſitate naturæ divinæ ſuam habere neceſſitatem eſſentiæ: verum ex æterna & perfectiſſima neceſſariæ eſſentiæ divinæ complacentia; qua ſola ſunt & poſſunt eſſe omnia, quæ præter Deum ſunt, aut eſſe poſſunt. Nam abſque Dei complacentia nihilà Deo ſuam veritatem aut eſſentiam obtinere poteſt. *Reſpectu Dei* quidem, ſeu in ipſo Deo revera unum & idem ſunt Intellectus & voluntas; nam attributa Dei, nec inter ſe, nec ab eſſentia divina realiter diverſa ſunt. Sed tamen ideo nos non *unum & idem affirmamus, cum dicimus Deum ab æterno quid decreviſſe & voluiſſe, vel Deum hoc ipſum intellexiſſe.* Nam unum ab alio per præciſionem abſtractivam ſeparamus; & unum conſideramus non conſiderato alio; quamvis concipere non poſſimus, unum abſque alio eſſe, aut eſſe poſſe. Nihil concipimus Deum præter ſe intellexiſſe, quod non concipiamus eum voluiſſe; & nihil voluiſſe, quod non intellexiſſe: nam Deus & in intelligendo & in volendo, aliquo à ſe diverſo objecto, non ab objecto ſed à ſe ipſo ſumma cum complacentia & libertate id determinate intelligere, concipi debet. Ita ut *æterna neceſſitas ſeu veritas*, quam *involvunt Dei affirmationes & negationes* de tali objecto, etiam profluat ex immutabilis & æternæ voluntatis divinæ complacentia perfectiſſima. Cum autem Deus nobis revelat, quid velit aut non: ex iis quæ decrevit non plura revelat, quam revelare placet; cætera ſibi reſervat, nobis abſcondita. Quare ſi ea quæramus, aſcendimus in abſcondita Dei. Quod quam deteſtabile peccatum ſit, non eſt quod probemus *Cum itaque, exempli gratia, Deus Adamo dixit ſe nolle ut de arbore cognitionis boni & mali comederet.* Adamo nihil de ſuo decreto & voluntate patefecit, quam quod decreverit & voluerit prohibere eſum de arbore cognitionis boni & mali: nullo modo vero, quod decreverit, eum non eſurum de illo arbore. Decreverat enim eum eſum prohibere, & illum tamen, ex hominis malitia, contra prohibitionem illam, futurum. Sed cum hoc de ſuo decreto Deus Adamo non revelaverit niſi per eventum, ante eundem is in illud inquirere nec potuit, nec debuit. Atque deo hic nulla *contradictio*, ſi dicatur, *Adamum de illa arbore edere poſſe*, de qua Deus patefecit ſe nolle, ſeu prohibere quod edat. Nam ſic non habet potentiam adverſus Dei voluntatem ſeu decretum agendi: ſed adverſus mandatum quod Deus voluit & decrevit ei præſcribere. Et per conſequens non *impoſſibile eſt, ut Adomus de ea comederet:* Nam quamvis id contra Dei

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

præceptum & mandatum, non tamen contra decretum ejus ageret: quod cum occultum eſſe Deus voluerit, homini non poteſt eſſe regula ſuarum actionum. Quare cum *Scriptura narrat Deum id Adamo præcepiſſe*, *& nihilominus Adamum de eadem ediſſe*, *neceſſario dicendum eſt*, *Deum Adamo* non *tantum revelaſſe malum quod* eſum de arbore *neceſſario ſequeretur:* ſed etiam revelaſſe quid mandare & prohibere voluerit, quam vitæ regulam Adamo præſcribere placuerit; & quænam ex Dei voluntate futura foret inobedientiæ pœna, neceſſario perferenda, ut juſtitiæ divinæ ſatisfiat. Hinc Adamus, non ultra de Dei voluntate & æterna ac neceſſaria veritate judicans, quam ei revelabatur, percepit Deum hoc velle mandare & talem adjicere pœnam: idque pro *æterna veritate* habuit quamdiu in primæva perfectione permanſit nihil dubitans de *neceſſitate conſecutionis illius mali*, ſeu pœnæ, ſi peccaret. Quid autem Deus decreverit futurum ab iis quibus mandatum illud erat præſcriptum, cum non revelaretur, ignoravit, & inquirere nec debuit nec potuit: ſed ſuum tantum officium præſtare, ſeu quantum in ſe eſt, ſecundum mandatum Dei vivere. Ita ut *ignorantia neceſſariæ conſecutionis mali pœnæ* ad peccatum in Adamo non fuerit. Et ignorantia ejus quod Deus revelare noluit, & Adamus idcirco ſcire non potuit, hanc revelationum non fecerit *Adamo legem eſſe*, & *Deum Legiſlatorem* ac *Principem* Adami: ſed ipſa Dei voluntas, qua voluit hanc ei præſcribere regulam actionem ſub tali pœnâ obſervandam: & ipſe Deus, quia Deus, Adami ſummus *Dominus* fuerit, *Princeps*, *Legiſlator*, vel quocunque nomine eum denominare volueris. Sic *& Hebræis Decalogus* non *ob defectum cognitionis:* ſed quod eum ſub pœnis & præmiis à Deo revelatum & præſcriptum cognoſcebant, *lex fuit*. Quod enim *Dei exiſtentiam & æternam veritatem ignoraverint*, nunquam probabit Anonymus. Imo hoc aſſerens ſibi manifeſte contradicit: nam aperte repugnat, ipſis à Deo in decalogo revelatum innoteſcere quod Deus exiſtat, ſi naturaliter exiſtentiam Dei & æternam veritatem ignorent. Falſum etiam Deum *mediis corporeis adhibitis* nihil tanquam legem patefacere poſſe. Nam contrarium manifeſte patet Rom. 1:18—21. ut & cap. 2. com. 14. 15. Poteſt etiam idem tanquam *Lex* & tanquam *æterna veritas* percipi, ut in omnibus legibus naturalibus patet. Idem quod de *Iſraelitis & Adamo* demonſtravimus, *de omnibus etiam Prophetis* dicendum, & in ſpecie *de Moſe*; eum ex revelatione percepiſſe, quæ voluerit Deus præſcribere officia ſub præmiis & pœnis certo ſecuturis: quid autem futurum decreverit Deus eum ignoraſſe, & inquirere non debuiſſe, quia non revelaverat Deus: & idcirco non hanc ignorantiam facere ut Dei dictatâ ſint homini leges, ſed ipſam Dei Eminentiam & Omniſufficientiam divinam. Atque adeo cognoſcendo *Deum eſſe Rectorem*, *Legiſlatorem*, *Regem*, *Miſericordem*, *Juſtum*, eum cognovit, non ut fingebat aut *imaginabatur*, ſed ut erat revera. Nam hæc non *pag. 50.*

S 2 ſunt

ſunt *humanæ naturæ attributa*, *à Deo removenda*: ſed perfectiones, quæ in Deo reperiuntur abſque omni imperfectione, iis in hominibus adhærente. A cæteris Prophetis excipit *Chriſtum*, & inquit, *quamvis is etiam videatur leges Dei nomine ſcripſiſſe*, *ſentiendum tamen eſt*, *eum res vere & adæquate percepiſſe.* Has ſcilicet, quod Deus id quod præſcripſit decreverit ſub tali præmio & pœna præſcribere; idque ideo ſit æterna veritas; quas cum ignorarent alii Prophetæ, ex ea ignorantia illud habuerunt pro lege fluente ex lubitu & abſoluto imperio alicujus principis. Sed plane aberrat, nam Adamo & Prophetis ignotum eſſe non potuit, æternam eſſe veritatem, Deum hoc ſub tali præmio vel pœna præſcripſiſſe; quamvis ignoraverint, quia non revelabatur, quid, ab iis quibus illud à Deo præſcriptum erat, ſecundum vel contra illud decretum & præſcriptum à Deo mandatum, futurum eſſet. Præterea nihil repugnat æternam aliquam veritatem circa creaturas à Deo libere productas, ex lubitu & abſoluto Dei imperio talem eſſe: nam Deus totam naturam æterna, liberrima, immutabili & efficaciſſima voluntate creavit & ordinavit. Sed cum Anonymus à creaturis Deum non diſtinguat, fatalemque neceſſitatem introducat, non niſi in ficta & imaginaria hac ignorantia, naturam legis, fictam & imaginariam omnino invenire potuit. Et à tali ignorantia tamen Chriſtum excipere videri voluit, ipſe non niſi nomine tenus Chriſtum agnoſcens, ut patet, tum ex dictis cap. 6. §. 15. 16. tum ex rationibus quibus hic utitur utriſque. *Nam Chriſtus*, inquit, *non tam Propheta*, *quam os Dei fuit. Deus enim per mentem Chriſti* (*ut in Cap.* 1. *oſtendimus*) *ſicuti ante per Angelos*, *nempe per vocem creatam*, *viſiones*, &c. (hi ſcilicet Anonymo ſunt Angeli, & ut Deus per hæc, ita per mentem Chriſti, qui Dei os erat) *quædam humano generi revelavit. Quapropter æque à ratione alienum eſſet*, *ſtatuere*, *Deum ſuas revelationes opinionibus Chriſti accommodaviſſe*, *ac quod Deus antea ſuas revelationes opinionibus Angelorum*, *hoc eſt vocis creatæ & viſionum accommodaverit*, *ut res revelandas Prophetis communicaret*, *quo quidem nihil abſurdius ſtatui poſſet.* Unde manifeſte patet, Chriſtum Anonymo non niſi creatum aliquod organum eſſe proculdubio plane corporeum, quo mediante Deus Apoſtolis quædam revelavit, ſicuti antea per vocem creatam & viſiones, quas Angelos dicit, quædam patefecit Prophetis. Et conſequenter Chriſti perceptiones rerum revelatarum in eo non aliud fuiſſe, quam id quod alias & alias facit voces, motus ſcilicet & quies. Atque ideo æque à ratione alienum eſſe, *Deum ſuas revelationes opinionibus Chriſti accommodaviſſe*, ac quod Deus eas antea *opinionibus Angelorum*, *hoc eſt*, ut inquit, *vocis creatæ & viſionum accommodaverit.* Quorum omnium immanis abſurditas à nobis ſupra Cap. 6. §. 15. 16. late fuit detecta & confutata. Sed *præſertim*, inquit, à ratione alienum ſcilicet fuiſſet, Deum ſuas revelationes opinionibus Chriſti accommodaviſſe, unde etiam, ut putat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Chriſto leges fuiſſent, *cum non ad ſolos Judæos, ſed totum humanum genus docendum miſſus fuerit, adeoque non ſatis erat ut mentem opinionibus Judæorum tantum accommodatam haberet*, id eſt motus haberet convenientes motibus Judæorum tantum, *ſed opinionibus & documentis humano generi univerſalibus*, id eſt motibus in omni homine, ex univerſalibus legibus naturæ humanæ, repertis, quos habet pro *notionibus communibus & veris.* Unde patet, quam procul abſint à veritate quæ hic ſuo modo de Chriſto dicit. Et quam nihil ſit, ex ejus ſententia, *Chriſtum pura mente extra verba & imagines res revelatas vere & adæquate percipere.* Nam Chriſtus ei os Dei eſt, & Deus per eum, ut olim per vocem creatam, aliquid revelat. Sed cum hæc prædicto loco latius examinaverimus, non eſt quod iterum iis inhæreamus. Cætera quæ hic addit, *pag.* *res revelatas à Chriſto* nunquam *tanquam leges præſcriptas*, niſi *propter populi* 51. *ignorantiam & pertinaciam*; & Chriſtum *ſine dubio eos, quibus datum erat myſteria cœlorum noſcere, res ut æternas veritates docuiſſe, non vero ut leges præſcripſiſſe*, ex jam dictis aperte concidunt. Nam æterna veritas etiam legis rationem habere poteſt. Ut exempli gratia, Amandum eſſe Deum, & lex & æterna veritas eſt: etiam in iis qui habent accuratam ejus notitiam. Fruſtra tempus etiam impenderemus diſcutiendis iis, quæ hic inſerit de *Paulo humano more loquente*, cum Deo *juſtitiam, miſericordiam, gratiam*, &c. tribuit, tum quod cuique primo intuitu innoteſcant abſurdiſſimæ quas habet Scripturæ detorſiones, tum quod de his prolixius & ex profeſſo dixerimus Cap. 7. §. 6. 7. 8. Ex quibus omnibus apertiſſimum eſt, quod hic jam tandem poſt tam longas tædioſas & intricatas ambages, ineptiſſime concludat, *Deum non niſi ex captu vulgi, & ex ſolo defectu cogitationis*, putem *cognitionis* legendum eſſe, *tanquam legiſlatorem, aut Principem deſcribi, & juſtum, miſericordem*, &c. *vocari.* Cum & natura pateant nobis inditæ, & à Deo, totam naturam efficaciſſima ſua voluntate libera creante & ordinante, ſub præmio & pœnis præſcriptæ cognoſcantur leges plurimæ, quæ ſunt etiam æternæ veritates, à perfectiſſima Dei voluntate in natura conſtitutæ, & ex, & in ea notæ. Nec minus abſurdum quod addit, *Deum revera ex ſolius ſuæ naturæ & perfectionis neceſſitate agere & omnia dirigere.* Nam libertas inſeparabilis eſſentiæ divinæ proprietas & perfectio eſt. Nec fieri poteſt, ens perfectiſſimum aliter quam ſumma cum libertate agere & dirigere omnia quæ ejus virtute creata ſunt & exiſtunt. Profluit quidem ex perfectione divinæ naturæ, Deum volendi actu nunquam omnino deſtitui, ita ut non ſit actu volens. Imo repugnat etiam eum non unico æterno & ſimpliciſſimo volendi actu omnia velle, ſicut unico intuitu omnia cognoſcit & intelligit. Sed tamen ideo non agit ex neceſſitate naturæ; nam abſolute ſe ipſo ſolo agit quicquid placet; quæ ſumma libertas eſt; ſine qua perfectiſſimum ens abſque contradictione concipi ne quidem poteſt. Ita ut Deus non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Deus ſit ſi ex ſolius naturæ neceſſitate agat: nec agat, ſed agatur & neceſſitetur. Quod eſt illud ubique rediens Anonymi noſtri Myſterium, de Deo, qui eſt ipſa corporum univerſitas, & neceſſitati fatali ſubjicitur. Omnia *Dei decreta & volitiones æternas eſſe veritates, ſemperque neceſſitatem involvere*, facile ſecundum ſupradicta à nobis concedimus, *Nota* enim *ſunt Deo à ſæculo omnia opera ipſius* Act. 15: 18. & *Conſilium Domini ſtabit*, inquit Salomon Prov. 19: 21. Sed cum Deus etiam *omnia quæ vult faciat in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſſis* Pſalm 135: 6. imo *omne ſuum bene placitum faciat* Eſa. 46: 10. Hæc neceſſitas Dei libertatem nullo modo tollit, ſed inſeparabilis divinæ voluntatis liberrimæ perfectio eſt; multo minus omnia duro fato conſtringit, ſed omnis libertatis in rebus unicum principium & immutabilis fons eſt. Quod cum lumine naturali omnibus innoteſcat, manifeſtum eſt, Deum naturali lumine concipi poſſe, tanquam ſummum & liberrimum legislatorem, dominum & principem hominibus leges præſcribentem. Directe contra id quod tanto molimine, ſed adeo debili firmitate ad fovendum ſuum iniquitatis Myſterium hactenus adſtruere conatus fuit Anonymus. Quem licet conſtrictius refutare potuiſſemus, hucuſque tamen per omnes anfractus ſequi maluimus, ne quid alicubi tam abſurdi figmenti hæreret.

§. 6. Poſterius, quod hoc capite tractandum propoſuit, eſt, *Quid ſacra* *pag. 52.* *Scriptura de lumine & lege hac naturali divina doceat?* Et concludit. *Quod ea hanc abſolute commendet.* Non repugnamus. Sed quod ad *veram beatitudinem* & *animi tranquillitatem* unica ſufficiat, ut innuit Anonymus, nullo nititur fundamento, & falſiſſimum eſt. Recta & lata via procurrit hic homo ad Gentiliſmum, & ex ineptiſſima ſua naturali morum doctrina, quæ abſque Atheiſmo admitti non poteſt, & fatali neceſſitati ſubeſt, miſer veram pollicetur beatitudinem & animi tranquillitatem. In Scriptura *primum quod nobis occurrit*, inquit, *eſt ipſa primi hominis Hiſtoria.* Ubi conſiderat *Deum Adamo præcepiſſe, ne comederet de fructu arboris cognitionis boni & mali*, quod dicit *videri ſignificare Deum Adamo præcepiſſe bonum agere & quærere ſub ratione boni, & non quatenus contrarium eſt malo.* Quod *unicum*, inquit, *totam legem divinam naturalem comprehendit.* Ita ut Deus in Adamo ad veram beatitudinem nil niſi legem naturalem divinam requirere videatur. Sed cum ipſe fateatur, *ſe certum eſſe non poſſe*, *num hæc* divini præcepti Adamo præſcripti *explicatio*, *cum Scriptoris mente*, & conſequenter cum veritate *conveniat*; *& plerique hanc non parabolam, ſed veram hiſtoriam & narrationem ſtatuant*, quod nobis multis de cauſis omni dubio caret, & ipſe ideo huic probationi confidere non audeat, non eſt quod inhæreamus huic abſurditati confutandæ: nam profecto admodum ineptum & abſurdum ſit oportet, quod huic homini non probatur. *Præſtabilius erit*, inquit, *alia Scripturæ loca in medium adferre,* *præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

præſertim à Salomone dictata, quem ſtatuit *ex* ſola *vi luminis naturalis* locutum; cum Scriptura teſtetur eum à gratia Dei ſuam expectaſſe ſapientiam & acquiſiviſſe 1 Reg. 3:9. & 4. 29. Primus, quem profert locus eſt *Prov.* 16:22. ubi dicit, *Fons vitæ intellectus ſui domini*, vel poſſeſſoris, *& ſupplicium* aut eruditio *ſtultorum eſt ſtultitia*, id eſt intellectus, iis qui ejus domini ſunt; illudque poſſident; ac rectum ejus habent uſum, ſine quo non ſunt ejus domini; eſt fons vitæ, ſeu inſtar fontis, omnis generis doctrinas, admonitiones, conſolationes, &c. ad veram vitam utiliſſimas, ebullit. Conferatur Prov. 10: 11. & 13. 14. & 14. 27. Sed hic nullo modo dicitur ſolum intellectum humanum ad veram beatitudinem ſufficere. Nec Salomon *fructum intellectus in ſola vera vita conſtituit, & ſupplicium in ſola ejus privatione*, ut fingit Anonymus. Sed hominis vere ſapientis & pii ac fidelis pretium hac Metaphora proponit & exornat: nam inſtar fontis in omni occaſione omnibus ſuam communicat intelligentiam ſalutarem ad veram vitam. Conf. Joh. 7: 38. & 4. 14. Opponens ſtultorum ſtultitiam etiam cum erudiunt, ſeu ſuppliciis ad ſapientiam informare volunt. Ita ut illorum Sapientia in omnibus, horum autem ſtultitia, etiam cum maxime ſapere videri volunt, appareat. Unde nihil hic pro Anonymo. Secundus *Pag.*
locus quem adducit eſt *Prov.* 13: 14. ubi, cum pro vero Sapiente non habea- *53.*
tur, niſi qui fide juſtificatus juſtitiam colit, nullo modo aſſeritur *intellectum ſolum* naturaliter *ſapientibus*, poſt humani generis corruptionem, ad ſalutem ſufficientes vitæ *leges præſcribere.* Et eadem eſt Sapientia de qua verba facit Salomon *Prov.* 3: 13. 16. 17. ut ex ejuſdem capitis initio manifeſtum eſt. Quem locum Tertio citat Anonymus. Idem dicendum de toto *Capite ſecundo Proverbiorum*; quod Quarto profert. Quare *fælicitas & tranquillitas ejus, qui natu- Pag.*
ralem intellectum colit, ex mente Salomonis, non, ut vult Anonymus, *à ſua in- 54.*
terna virtute maxime pendet, quia ſcilicet *vigilando, agendo, & bene conſulendo ſe maxime conſervat :* ſed à gratia divina, veram Sapientiam, naturam longe tranſcendentem, in eo operante. Omne figmentum cordis humani malum à pueritia; malum omni tempore Gen. 6. 5. & 8. 21. Omnis aptitudo noſtra bonum aliquod cogitandi à Deo eſt 2 Cor. 3: 5. Nemo poteſt dicere dominum Jeſum niſi ex Spiritu Sancto 1 Cor. 12: 3. Non enim niſi ſingulari Dei dono & gratia eſt, quod habeamus mentem ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum Deut. 29: 4. Novi Fœderis promiſſum eſt, quod legitur Ezech. 36: 27. Spiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis facientes ea. Nec regnum Dei poteſt intrare, niſi qui genitus eſt ex aqua & ſpiritu Joh. 3: 5. 6. Hinc Pauli ſermo & prædicatio non in perſuaſoriis humanæ Sapientiæ verbis fuit, ſed in demonſtratione Spiritus & Potentiæ, ut fides audientium non eſſet in Sapientia hominum ſed in potentia Dei 1 Cor. 2: 4. 5. Gratia ſalva-

mur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mur per fidem, & hoc non ex nobis, Dei donum eſt Eph. 2: 8. Ad Patrem nemo venit, niſi pater eum traxerit, inquit ipſa veritas, Joh. 6: 44. Quibus, & infinitis aliis Scripturæ locis aperte docemur veram fælicitatem & animi tranquillitatem non à ſola natura duce, & interna creaturæ virtute, ſed ſingulari & gratioſa Dei operatione pendere, producente in nobis eam Sapientiam quam adeo extollit Salomon, & veræ felicitatis frugiferam deprædicat. Paulus etiam Rom. 1: 20. naturæ legem, & innatam Dei cognitionem manifeſte probat, ac gentes inexcuſabiles reddere docet: ſed nullo modo aſſerit eam ad ſalutem veram plane ſufficere. Indicat etiam comm. 24. eos ob hujus neglectum à Deo concupiſcentiis traditos eſſe, id eſt à Deo deſertos in ſuis malis ratiocinationibus, non tam ut ignorantiæ, quam malitiæ ſuæ pœnam ferrent. Atque adeo videmus & concedimus *Scripturam lumen & legem divinam naturalem probare & commendare.* Sed eam unice ad ſalutem ſufficere, ab Anonymo probari non potuit. Imo contrarium plurimis Scripturæ locis confirmatum reddidimus. Jam Cæremonias videamus.

CAPUT DECIMUM.

De ratione, cur Cæremoniæ inſtitutæ fuerint. Et de Fide Hiſtoriarum. Nempe qua ratione, & quibus ea neceſſaria ſit.

Anonym. C. 5. pag. 55. §. 1. Tertium, ex quatuor in ſuperiore capite propoſitis ad examinandum, eſt, *In quem finem cæremoniæ olim inſtitutæ fuerint.* Eas, *ſaltem quæ habentur in Vetere Teſtamento*, concludit, *ad legem divinam*, omnibus hominibus *univerſalem, & humanæ menti innatam ac inſcriptam non pertinere.* Quod præcedente capite §. 4. conceſſimus. Quamvis earum obſervantiam præſcribat lex naturalis ſimul ac à Deo præceptæ innoteſcunt. Quod autem addit, eas *adeoque nec etiam ad beatitudinem & virtutem aliquid facere*, plane inconſequens eſt. Nam in naturæ lege non comprehenditur, quicquid ad beatitudinem peccatoris requiritur, ut ſupra diverſis locis probavimus. Beatitudinem, fateor, non conferunt, ſed adumbrant. Deus ut prudens Paterfamilias in Eccleſia minorenne ſub hac quaſi pædagogia per figuras & umbras ſuos ſenſim ad majora perducere voluit. Heb. 9: 9. 10. 11. 23. & 10: 1. Gal. 3: 24. 25. Chriſtum referebant, qui omnium earum umbrarum corpus erat Col. 2. 17. Chriſtus finis earum fuit Rom. 10: 4. Mortis, omniumque Chriſti beneficiorum, Eccleſiæ præſtandorum imaginem gerebant Heb. 10: 1. Atque adeo tunc temporis plurimum ad beatitudinem faciebant. Ad virtutem eatenus faciebant, quod virtutis fuerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

eas obſervare cum Deus præſcripſerat. Eas *ſolos Hebræos* reſpicere; & *non niſi ſtante eorum imperio ullius uſus eſſe poſſe*, non oppugnamus, & patet ex coll. Gal. 4: 9. & 5: 3. 4. & Col. 2: 20. Sed *ſolam corporis temporaneam fœlicitatem & imperii tranquillitatem reſpicere*, omnino negamus. Nam quamvis, tanquam erecta *ſepe intermedia*, diſcernendis & diſterminandis Judæis à Gentibus etiam inſervierint, Eph. 2: 14. Non ideo minus tamen futurorum bonorum umbram continuerunt Heb. 10: 1. & 8: 5. &, quamvis obſcurius, veram patefecerunt ſalutis viam. Rationibus ſuis parum confidens, ad Scripturam confugit Anonymus, cauſans, *quod ratio, tametſi ſolidiſſima, apud communes Theologos non multum valet.* Proculdubio communes æſtimans Theologos, qui extremas has ineptias non habebunt pro ſolidiſſimis rationibus. Omnes inter ſe communes ſunt: nam donorum diverſitas & perfectionis gradus communionem non tollunt. Nec ſolidiſſimas rationes contemnit, qui non ſtatim pro ſolidiſſimis habet quæ pro talibus venditantur; aut rationi ſubjiciendum negat, quicquid eam longe tranſcendit. Primo probaturus, *Cæremonias ad legem naturæ non pertinere*, profert locum *Eſa. 1: 10.* ubi *nihil clarius* doceri, dicit, *quam quod lex divina abſolute ſumpta ſignificet illam legem univerſalem, quæ in vera vivendi ratione conſiſtit, non autem cæremonias.* Verum ſi Scripturas perluſtremus, plurimas obſervabimus ſignificationes vocis *Legis*, quas omnes hic enumerare nihil attinet. Eam ſignificationem quam Anonymus hic aſſumit, videmus Rom. 2: 13. 14. Sed nonnunquam omnem doctrinam à Deo profectam ſignificat & quocunque modo revelatam, ut Pſalm 37: 31. & 40: 9. Eſa. 51: 7. Alias etiam Dei verbo comprehenſam Pſalm 1: 2. & 19: 8. 9. & 119: 70. 72. 77. 92. Prov. 28: 9. Jerm. 8. 8. Mal. 2: 6. Imo aliquando ſolas cæremonias ſignificat, ut Luc. 2: 27. Joh. 11: 17. Act. 15: 24. & 21: 24. Heb. 7: 5. 12. 28. & 8. 4. & 9: 22. & 10: 1. 8. In adducto autem Eſaiæ loco non niſi ſpeciale mandatum à Deo per Prophetam Iſraëlitis patefactum & præſcriptum ſignificat. Quemadmodum Gal. 6: 2. Lex Chriſti nominatur mandatum charitatis à Chriſto ſingulariter diſcipulis præſcriptum Joh. 13: 34. 35. & 15: 12. Nullo modo vero legem univerſalem humanæ naturæ ſignificat. Omnia judæorum ſacrificia Propheta rejicit, ſpeciali Dei mandato correcturus errorem eorum, quærentium veram juſtitiam & ſalutem in ipſis umbris illis, & omnem animi puritatem negligentium. Non tam demonſtrans, cæremonias ad legem naturæ non pertinere, quam externam earum obſervantiam per ſe ſolitarie nihil facere ut ſint Deo grati, ſed eas obſervantes vera fide, fluente ex intima animi puritate, Deo placere poſſe. Nec *Pſalm.* 40: 9. ullo modo conducit Anonymi *pag.*
ſcopo. Nam ibi ipſe Chriſtus introducitur loquens, & narrans inefficaciam & *56.*
inutilitatem ſacrificiorum; ut & ſuam vigilantiam & complacentiam in præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſtanda patris voluntate & obſervanda tota lege. Ita ut lex ſignificet omne mandatum à Chriſto in hominum peccantium ſalutem obſervatum. Nullo modo vero ſolam legem naturæ. Non negamus tamen cæremonias ad legem naturaliter mentibus inſcriptam non pertinere. Sed exiſtimamus id adductis ab Anonymo Scripturæ locis minime probari. Nobis autem non eſt res tanti momenti ac Anonymo, qui beatitudinem per naturæ legem omnibus communem quærit, & Hebræos cæteris gentibus æquales exiſtimans, cæremonias à lege naturali ſcrupuloſius diſtinguere debuit.

§. 2. *Quod cæremoniæ nihil ad beatitudinem juvent, ſed quod tantum imperii temporaneam fœlicitatem reſpiciant, etiam ex ipſa Scriptura*, inquit, *conſtat.* Quippe *quæ*, ut ait, *pro cæremoniis nil niſi corporis commoda & delicias promittit, & pro ſola lege divina naturali & univerſali beatitudinem.* Hinc pergit enumerando Scripturæ partes, libros Moſis, Prophetas, Pſalmos & Proverbia Salomonis, ac Novum Teſtamentum, & ait, *in quinque libris qui Moſis vulgo*, & recte, ut infra probabimus, *dicuntur, nihil aliud promitti.* Verum pro cæremoniis per ſe conſideratis, & abſque fide præſtitis animo non ſatis puro, tantum abeſt corporis delicias & commoda promitti, ut iis Deus offendatur vehementiſſime, quod patet Prov. 15: 8. & 21. 27. Pſalm 50: 16. 17. &c. Eſa. 1: 11. 12. &c. & 66. 3. Amos 5: 21. 22. &c. Si vero cum fide præſtentur, animo erga Deum obediente, Deus non modo corporea commoda, ſed & ſe, & æternam promiſit ſalutem, ut patet Lev. 26: 12. Deut. 30: 6. aliiſque plurimis locis adductis ſupra Cap. 8. §.... Uſus quidem eſt Deus rerum temporalium promiſſis & pœnis: ſed ſub iis tanquam corticibus æternorum bonorum nuclei latuerunt. Quod manifeſtum fiet unicuique conferenti Hebr. 11: 9. 10. 15. 16. 26. & 12. 22. 23. 27. 28. Gal. 4: 25. 26. Apoc. 3: 12. & 21. 3. 10. Et ipſam terram Canaan Iſraelitis cœli pignus & typum fuiſſe, cæcus eſt, qui in Scriptura non videat. Externis his etiam voluit Deus Judæos ad obſervationem eorum quæ natura dictabat inſtigare. Quod gratiæ fuit. Cum id ipſum aliis gentibus, quas ſuis viis reliquit, non præſtiterit. Atque adeo *documenta moralia in Pentateucho* præſcripta, non ideo deſinunt eſſe moralia documenta, quia *tanquam mandata ad captum & ingenium ſolius Hebrææ nationis maxime accommodata proponuntur.* Nec ideo *ſolius imperii utilitatem ſpectant.* Nam modus ille proponendi non mutat naturam rerum. *Jubeat Moſes tanquam Legiſlator & Princeps* vel potius Dei miniſter & internuncius divina mandata proponens, *ne occidant, neque furentur:* non *doceat* tanquam *Doctor aut Propheta*, uti non potuit, cum tanquam à Deo revelata narraret: ſunt tamen ejus juſſa documenta moralia, & per conſequens non ad ſolam externam regiminis tranquillitatem, ſed & ad internam beatitudinem facientia. Quod autem per *juſſum* Dei à Moſe revelatum *de non committendo adulterio*,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

non tantum actio externa, ſed & *ipſus animi conſenſus damnatus fuerit*, quod Anonymus ad *documentum morale* requirit, patet Exod. 20: 14. 17. Deut. 5: 18. 21. coll. Rom. 7: 7. 8. 9. Pſalm 119: 37. Nec aliud à Moſe mandatum propoſuit Chriſtus *Matt.* 5: 28. ſed id ipſum à Phariſæorum corruptione, qui externam tantum pudicitiam ſectabantur, vindicavit. Nec aliud quam Mo- Pag.
ſes *præmium promiſit*, quamvis clarius, & non ſolis Judæis, vitam ſcilicet ve- 57.
ram. Nec tantum *novas leges in Rempublicam introducere noluit*: ſed & eadem *documenta moralia*, quæ Moſes propoſuerat Judæis, vindicare & omnibus inculcare voluit; idque propter Phariſæorum ignorantiam, qui ſemper in externis hærebant. A Moſe tranſit ad *Prophetas*, *inter quos nemo clarius quam Eſaias*, inquit, *hoc docuit cap.* 58. Verum ſi id ipſum recte perpendamus, apertiſſimum erit, ex com. 5. 13. Prophetam Judæis exprobrare omnem hypocriſin & præcipue circa jejunia & ſabbatha; eamque in iis damnare; ac pro vera eorum obſervantia, tam præſentia quam futura promittere bona. Quocirca non tantum Anonymo nihil eſt in illo præſidii, ſed id ipſum ei expreſſe adverſum eſt: nam pro vera harum cæremoniarum obſervantia præmium æternum promittitur, non autem *ſola imperii ſecuritas*, *proſperitas*, *& corporis felicitas*; Jacobi enim hæreditas, hic promiſſa, Deus ipſus eſt. A Prophetis pergit ad Pſalmos & dicit *in quinto decimo*, ac *quarto & vigeſimo*, *in quibus* ut inquit *de ſola beatitudine agitur nullam fieri mentionem cæremoniarum*, *ſed tantum documentorum moralium.* Quod concedimus. Nam cum hic eſſet proponendus χαρακτηρισμὸς hominis vere fidelis & regeniti, non potuerunt nominari circumciſio, ſacrificia, &c. quæ & in infidelibus & irregenitis reperiri poſſunt, ſed virtus & ſpiritus legis. Quemadmodum Chriſtus ait Matt. 5: 20. Niſi juſtitia veſtra amplior fuerit ea Phariſæorum & Scribarum, non poteſtis intrare regnum cœlorum. Non carnis & labiorum cultum exigit Deus in ſuis, ſed ſpiritus & veritatis. Verum nullo modo probabit Anonymus ibi non niſi naturalem & omnibus commmunem ac innatam legem intelligi. Multo minus externa tantum pro cæremoniis promitti. *Salomonis ſententiæ* quas *ſuperiore* Pag.
capite protulit ad probandam *beatitudinem pro ſolo cultu intellectus & ſapientiæ* 58.
promiſſam ibidem examinatæ fuerunt; & demonſtratum, iis beatitudinem non promitti, niſi vere fidelibus, cœleſti & ſupernaturali ſapientia præditis. Ita ut nihil omnino pro Anonymo faciant. Nec *Jerem.* 9: 23. 24. ullo modo patet, *Deum poſt urbis vaſtationem nihil ſingulare à Judæis exigere præter legem naturalem.* Sed expreſſe docetur, in ſummis miſeriis & plagis, nullis externis mediis innitendum eſſe, Deoque ſoli & promiſſionibus, quibus ſe dominum eorum in Chriſto futurum promiſerat, inhærendum eſſe; ut cuivis inſpicienti ad oculum patebit. *In N. T. tantum documenta moralia doceri*, univerſaliter verum non eſt. Nam in eo præſcribuntur & cœnæ & baptiſmi cære-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

moniæ: quamvis typicæ non ſint. Sed quid de iis ſentiat Anonymus infra videbimus ad pag. ejus 62. Verum licet concederemus non alia doceri in N. T. falſum foret, *pro iis ſolis regnum cæleſte promitti.* Nam abſque fide in Chriſtum, qui natura non innoteſcit, impoſſibile eſt placere Deo Heb. 11: 6. *Cæremonias abrogatas fuiſſe*, non negamus: nam accedente corpore, Chriſto, neceſſario evaneſcunt umbræ, Col. 2: 17. Heb. 10: 1. Abrogationem etiam docebat earum ipſa conditio & natura. Concedimus etiam *Phariſæos ſub N.T.* non niſi malo animo *retinuiſſe cæremonias. Patriarchas* vero *ſacrificaſſe, non ex jure aliquo divino imperante, vel ex univerſalibus fundamentis legis divinæ, ſed ex ſola illius temporis conſuetudine*, plane nugatorium eſt: nam ea conſuetudo vel ex natura, vel inſtituto, ſive divino, ſive humano, bona ratiocinatione profluere debuit. Nec dici poteſt illud *mandatum* fuiſſe *ex jure reipublicæ in qua vivebant:* Nam ante omnem reipublicæ conſtitutionem ſacrificarunt Cain & Abel Gen. 4: 3. 4. Quocirca nullo modo concludi poteſt, pro cæremoniis nil niſi corporis commoda promitti, & pro ſola lege naturali & univerſali beatitudinem.

pag. 59.

§. 3. Sententia ſua, ſic, ut putat, auctoritate Scripturæ confirmata, *ſupereſt jam*, inquit, *oſtendere, quomodo & qua ratione cæremoniæ inſerviebant ad imperium Hebræorum conſervandum & ſtabiliendum.* Ex *univerſalibus* ſocietatem ineundi *fundamentis* id deducere ſatagit. Quæ an undique probanda ſint, breviter videamus. Quantum ad ipſam theſin, fatemur cæremonias diſcernendis & diſterminandis Judæis à gentibus inſtitutas etiam fuiſſe, erecta quaſi *ſepe intermedia* Eph. 2: 14. quæ populorum *inimicitiam* fundabat ibid. com. 15. quam poſtea gentibus reconciliatis aboleri oportuit. Verum hunc unicum cæremoniarum finem fuiſſe, pernegamus. Nam & futura bona præmonſtrarunt Heb. 10: 1. & inſtar pædagogi Judæos ad Chriſtum duxerunt, ut per eum juſtificarentur Gal. 3: 24. 25. & execrationem nondum abolitam docuerunt Heb. 10: 3. Col. 2: 14. & præfigurarunt verum illum Sacerdotem, qui omnem Dei populum ex æquo ad Deum adduceret, & viam ad ſancta manifeſtaret Heb. 9: 8. *Societatem non tantum ad ſecure ab hoſtibus vivendum, ſed etiam ad multarum rerum compendium faciendum, perutilem eſſe, & maxime neceſſariam*, non gravatim concedimus. Sed quod, *ſi homines à natura ita eſſent conſtituti, ut nihil niſi id quod vera ratio indicat, cuperent, nullis legibus indigeret Societas, & abſolute ſufficeret, homines vera documenta moralia docere; ut ſponte integro & liberali animo, id quod vere utile eſt, agerent*, falſum eſt; niſi ambiguitatem habeat Anonymus in voce *Legis.* Legibus enim indigeret, ut homines ſuas cupiditates ex recta ratione dirigerent. Imo ipſa rectæ rationis dictata ſunt in homine leges naturales. Ita ut contradictorium ſit, homines in ſocietate nihil cupere niſi id quod vera ratio indicat, & eam Socie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tatem carere legibus. Nec ulla moralia documenta concipi poſſunt de inſtituendis actionibus, quæ non ſint leges. Nec Homo minus ſponte, integro, ac liberali animo agit quod utile eſt, cum id ſecundum, quam cum ſine naturali lege agit: nam recta ratio, ſeu lex non tollit libertatem, ſed eam regit & dirigit, imo conſervat. Præterea legibus indigent omnes qui ſuis cupiditatibus & actionibus deficere poſſunt, licet non deficiant. Imo ipſi beati, qui deficere nequeunt, quamdiu ratione utuntur, continuo perfectiſſime faciunt quod legis eſt. *Quod homines perplurimum ex ſola libidine & animi affectibus abrepti, res appetant, utileſque judicent, minime vero ex ſanæ rationis dictamine, & quod ideo nulla ſocietas poſſit ſubſiſtere abſque imperio, & vi, & legibus*, certum exiſtimamus. Sed aberrat Anonymus, ſi hinc credat imperium & leges ex ſanæ rationis dictamine non profluere. Nam non niſi ſanæ rationis dictamina ſunt, homines rationem deſerentes convincentia & condemnantia, vel probantia & abſolventia ſi rationi adhæreant. Fateor etiam *homines difficulter pati regimen & ſervitutem æqualium.* Verum & ille rectæ rationis defectus eſt. Nam cum Deus omnes natura conſtituerit æquales; & recta ratio doceat hominem extra ſocietatem cum tranquillitate & ſecuritate vitam agere non poſſe; & ſine imperio nulla poſſit concipi ſocietas; non niſi ab æquali, cui ſe ſubjicere tenetur, regi poteſt. Sed illud regimen minime ſervitus dici poteſt, cum ex ipſa recta ratione fluat; à qua deficit ſervitus, vel ſaltem ſine cujus defectu non datur ſervitus. *Difficile eſſe Libertatem ſemel conceſſam iterum adimere*, non repugnamus. Ex his fundamentis Anonymus primo concludit, *Quod vel tota ſocietas, ſi fieri poteſt, collegialiter imperium tenere debet, ut ſic omnes ſibi, & nemo ſuo æquali ſervire teneatur.* Quaſi non omnes ſic toti ſubeſſent Societati, & æqualiter ſe plurium votis ſubjicere tenerentur. *Vel ſi pauci, aut unus ſolus imperium teneat, is aliquid ſupra communem humanam naturam habere, vel ſaltem ſummis viribus conari debet vulgo id perſuadere.* Quaſi ſcilicet malum eſſet faciendum ut eveniret bonum. Vel quaſi ipſa recta ratio non ſufficeret ad conſtituendum Magiſtratum. Vel quaſi ordinis neceſſitas, ex qua Magiſtratus & imperium à Deo conſtituta dicuntur, iiſque competit poteſtas inobedientes pœnis, & obedientes præmiis alliciendi & abſterrendi à malo, divina non foret, & à ſola perſuaſione vulgi penderet. Secundo concludit, *leges ita inſtituendas, ut homines non tam metu, quam ſpe alicujus boni, quod maxime cupiunt retineantur.* Quaſi malum quis metuere poſſet, ſine ſpe boni: aut bonum ſperare ſine metu mali. Tertio concludit, *Obedientiam in ſocietate cujus imperium penes omnes eſt, nullum locum habere, quoniam obedientia in eo conſiſtit, quod aliquis mandata ex ſola imperantis authoritate exequatur, hic autem aliquis, non ex authoritate alterius, ſed ex proprio conſenſu agit.* Verum plane aberrat. Nam quiſque tenetur ad

pag. 60.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

obedientiam erga maximam Societatis partem, quæ pro tota debet haberi, ut maneat una ſocietas. Et per conſequens nullus non tenetur ad obedientiam Societatis, cujus ipſe membrum unicum tantum eſt. Nec aliud quid accidit *ubi unus imperium abſolute tenet:* nam communi conſenſu ejus voluntas pro Societatis voluntate habetur. His ſic univerſaliter conſideratis, deſcendit *ad Hebræorum Rempublicam*, cui hæc applicaturus, hunc in modum ineptit. *Cum primum Ægypto exiverunt* Hebræi, *nullo alterius nationis jure amplius tenebantur; adeoque iis licebat novas leges ad libitum ſancire, ſive nova jura con-*
pag. 61. *ſtituere. Attamen ad nihil minus erant apti, quam ad jura ſapienter conſtituendum, & imperium penes ſe collegialiter retinendum. Imperium igitur penes unum tantum manere debuit, qui cæteris imperaret, eoſque vi cogeret.* Verum quis neſcit etiam ineptiſſimos ſibi abundare ſua ſapientia? Quis ignorat, homines rudis ingenii, quamvis pro ſua ruditate, etiam imperare & obedire? Quis ruditatem dicat, judicare cæteris Sapientiſſimo concedendum imperium; eumque à cæteris diſcernere? Nonne potius rudis populus abjiceret & abnegaret omnem obedientiam, quam tam ſapienter inſtueret imperium? Sed pergamus. *Hoc autem imperium*, inquit, *Moſes facile retinere potuit, quia divina virtute ſupra cæteros excellebat, & ſe eam habere populo perſuaſit, multiſque teſtimoniis oſtendit.* Sed falſum eſt Moſen illud imperium tenuiſſe. Deus enim imperavit, & Moſes imperii divini miniſter fuit. Nec aliud multis teſtimoniis oſtendit, quam ſe conſtitutum à Deo divini imperii miniſtrum. Nec populi ruditate vel ſapientia Moſes illud obtinuit miniſterium, ſed ſola voluntate divina, eum mittente, ut patet Exod. Cap. tertio & quarto. Ita ut hoc purum Anonymi figmentum ſit, ut & omnia cætera iis ſic ſuperædificata, quaſi Moſes ſola ſua Sapientia naturali, abſque revelatione divina, totam hanc
pag. 62. rempublicam adminiſtraſſet & inſtituiſſet ac formaſſet. Ex quibus concludit, *Veteris Teſtamenti cæremonias ad beatitudinem nihil facere*, imo *totam legem Moſis nihil aliud quam Hebræorum imperium, & conſequenter nihil præter corporis commoda ſpectaviſſe.* De ejus concluſionis firmitudine, ex tali fundamento, jam quivis facile judicet.

§. 4. *Quod autem ad Chriſtianorum cæremonias attinet*, inquit, *nempe Baptiſmum, Cœnam dominicam, Feſta, Orationes externas, & ſi quæ adhuc aliæ, quæ toti Chriſtianiſmo communes ſunt, ſemperque fuernt, ſi eæ unquam à Chriſto aut ab Apoſtolis, inſtiutæ ſunt (quod adhuc mihi non ſatis conſtat) eæ non niſi ut univerſalis Eccleſiæ ſigna externa inſtitutæ ſunt, non autem ut res quæ ad beatitudinem aliquid faciunt, vel quæ aliquid ſanctimoniæ in ſe habeant: quare quamvis hæ cæremoniæ non ratione imperii, ratione tamen integræ ſocietatis inſtitutæ ſunt.* Verum Baptiſmi inſtitutionem habemus manifeſtam Matt. 28: 19. & ejus praxin Joh. 3: 22. & 4. 1. Act. 2: 38. 41. &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

10.48. & 8. 12. 13. & 22. 16. Nec obſcurior eſt inſtitutio Cœnæ Luc. 22. 19. 1 Cor. 11 : 23. &c. cujus praxis etiam patet Act. 2: 42. 46. Eaque plus quam externa univerſalis Eccleſiæ ſigna eſſe, patet ex iis quæ paſſim in Scriptura dicuntur, Marc. 1: 4. & 16. 17. Act. 2: 38. 39. & 12. 16 Rom. 6: 3. 4. 1 Cor. 12: 13. Gal. 3: 27. 1 Pet. 3: 21. Matt. 26 : 26. 27. 28. Luc. 22: 20. 1 Cor. 10: 16. Orationes Chriſtus & Apoſtoli plurimis ſuis exemplis comprobarunt Joh. 4: 22. 23. Act. 1: 42. 46. 1 Tim. 2: 1. 2. 8. De Feſtis nihil dicimus, cum tantum ordinis rationem habeant, non vero inſtituti neceſſarii. Quis autem negaverit & Sacramenta ſanctimoniæ quid habere, & ad beatitudinem aliquid facere, quæ, ut prædictis locis patet, nobis obſignant, fovent, nutriunt, & augent gratiam Dei, noſque certos reddunt de peccatorum remiſſione in Chriſti ſanguine? Quod cum in ſingulis, qui iis modo recte utuntur faciant, ſinguli iis indigent. Quamvis vere fideles, ſi ſigna ſine ſua culpa, obtinere non poſſint, tamen ideo de re ſignificata participant; quippe quæ non abſolute dependet à ſignis, ſed tantum iis cum contemptu rejectis, diſperditur & rejicitur. Exemplum *Belgarum in regno Japonenſium habitantium, & ex mandato ſocietatis Indiæ Orientalis ab omni externo cultu abſtinentium*, nihil probat, cum hic nihil valeat auctoritas humana, aut praxis forte non undiquaque laudanda. Non quid fiat, ſed quid fieri debeat, hic ſpectandum eſt, & quam recte fiat quod fit. Sed hæc miſſa facit, *quia*, inquit, *ad alia feſtinat animus.* Poſterius, hoc capite demonſtrandum, ex ſupra propoſitis numero quartum, eſt, *Quibus, & qua ratione fides hiſtoriarum in ſacris contentarum neceſſaria ſit?* idque *lumine naturali inveſtigare* conatur. Quomodo id præſtet, videamus.

§. 5. *Hominem, quicquid aliis perſuadere conatur, quod non eſt per ſe notum, vel experientia vel ratione convincere teneri*, concedimus. Nec negamus *experientiam non ſatis clare & diſtincte perceptam, intellectum non æque afficere, ejuſque nebulas diſſipare, ac cum res docenda ex ſolis axiomatis intellectualibus ordine deducitur.* Sed eam tunc tamen *hominem convincere, præſertim ſi quæſtio ſit de re ſpirituali, quæ ſub ſenſus nullo modo cadit* plane falſum exiſtimamus, nam de iis nulla poteſt eſſe ſenſuum experientia. Fatemur tamen *homines ab experientia doceri malle, quam ex ſolis notionibus intellectualibus*, tum quod id minoris ſit laboris & difficultatis, tum quod cum eorum præjudiciis, & judicandi ab infantia adhibita conſuetudine, maxime conveniat. Hinc fatemur *doctrinam aliquam ab integra quadam natione facilius admitti ſi ſola experientia confirmetur, & ad captum plebis maxime accommodetur, quam ſi concatenate ex primis principiis deducatur.* Sed eam ideo non minus intelligi & percipi, ac cum ratione recipi, plane negamus. Quamvis tamen melius ſit, hoc quam nullo modo, eam recipi. Hac de cauſa etiam *totam Scripturam,*

pag. 63.

in

in uſum integræ nationis primum, & tandem univerſi humani generis revelatam, ad captum plebis etiam maxime accomodatam, & plurimis experientiis comprobatam fuiſſe, modo nobis ſupra explicato, concedimus. Ea vero *quæ ſolam Speculationem ſpectant* nempe *Dari Deum, qui omnia fecit, dirigit, ſuſtentat*, &c. non ita per experientiam probat Scriptura quaſi ex natura nota non forent; ſed ita, ut ea à natura nota, & ab hominibus variis modis neglecta, experientia convincerentur; atque ita duobus modis perſuaderentur, & rationis ac naturæ conformitas cum experientia pateret. *Non* enim *experientia claram harum rerum notitiam dare poteſt*, niſi iis quibus innata fuit idea Dei, ſine qua nullis mediis externis ad ullam Dei notitiam perveniri poteſt, nec per conſequens *ad talem quæ ſufficit ad obedientiam & devotionem eorum animis*
pag. 64. *imprimendum*, nam qualem obedientiam & devotionem quis haberet erga Deum quem non cognovit, aſt nullam ejus poteſt habere notitiam per experientiam, niſi præcedat innata entis perfectiſſimi idea. Atque ita concedimus *fidem hiſtoriarum in ſacris contentarum neceſſariam eſſe*, iis in quibus innata Dei notitia multis modis obruta eſt & ſuffocata pœne, ad excitandam eam, & vivide accendendam, atque ita per eam ingenerandam obedientiam & devotionem, *non vero ad imprimendam Dei notitiam iis quorum ingenium ad res clare & diſtincte percipiendum non valet.* Nam nullum externum ei ſufficit ſi non præcedat internum principium. Quamvis etiam alia de cauſa neceſſariam cenſeamus Hiſtoriarum fidem, ſcilicet ut per eas pateant Patribus factæ promiſſiones ſalutis & in Chriſto repletæ, quæ ex natura nulla ratione patent. *Impium eſſe, qui negat has* Deum probantes hiſtorias, quia *ſimul Deum negat* facile concedimus, nam negata Dei Providentia Deus abnegatur. Contra *eum qui eas ignorat, & nihilominus lumine naturali novit Deum eſſe, & deinde veram vivendi rationem habet, beatum omnino eſſe, imo vulgo beatiorem, quia clarum inſuper habet conceptum*, concedimus, ſi nunquam peccaverit, aut in peccatis natus aut conceptus non fuerit, nam is in perfectiſſimo primorum parentum ſtatu conſtitutus foret, qui tamen an adhuc beatus omnino dici poſſit, dubio non caret, cum ex eo poſſet excidere, uti primus homo. Sed ubi jam poſt primum humani generis peccatum talem inveniet hominem. *Hominem* vero *qui Hiſtorias ſcripturæ ignorat, nec lumine naturali aliquid novit*, & *impium*, & *contumacem*, & *inhumanum* exiſtimamus. Sed talem nullibi dari cenſemus, cum omnibus innatam exiſtimenus Dei notitiam. Imo ſi recte attendamus, Anonymus eum non poteſt dicere impium, contumacem, inhumanum, &c. quia habet omnia quæ ſecundum ipſum in homine requiruntur, & pietatis nullo modo capax eſt, cum ſine notitia innata Deum cognoſcere non poſſit. Verum limitat *Hiſtorias* quas cenſet *neceſſarias, ad præcipuas, & quæ doctrinam evidentiùs oſtendunt, hominumque animos maxime*

movere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

movere poſſunt. Sed nulla datur quæ doctrinam non oſtendant aliquam, & hominum animos movere non poſſit, & idcirco nullam dari exiſtimamus abſque utilitate, quamvis etiam nolimus omnes æque neceſſarias & utiles. *At ipſum vulgus non ſatis aptum eſſe ad faciendum de iis judicium, Atque adeo præter* pag.
lectionem hiſtoriarum Paſtoribus ſive Eccleſiæ miniſtris inſuper indigere ſine 65.
difficultate concedimus, quamvis cenſeamus nullum inter vulgum adeo ſtupidum, qui ex ſeria & attenta lectione & auditione Hiſtoriarum, non multa obſervare poſſit utilia licet plura, ſi deducta ad captum eorum proponantur ab aliquo docente. Verum ad propoſitum redit concluſurus, *Fidem hiſtoriarum, quæcunque demum eæ ſint, ad legem divinam non pertinere, nec homines per ſe beatos reddere neque ullam utilitatem niſi ratione doctrinæ habere.* Quaſi id quod docet quomodo ſint actiones noſtræ inſtituendæ nullam haberet utilitatem niſi ratione doctrinæ. Hiſtorias ad legem pertinere, quis dixerit? fidem tamen hiſtoriarum divinarum lex mandat, ubi fidei virtutem præſcribit. *Narrationes igitur in V. & N. T. contentas, reliquis profanis, & inter ſe præſtantiores eſſe, pro ratione ſalutarium opinionum quæ ex iis ſequuntur,* & ſequi natæ ſunt, ac præcipue ratione ſalutarium promiſſionum fidelibus factarum, facile concedimus. *Quare is qui Hiſtorias Sacræ Scripturæ legerit, eique fidem habuerit in omnibus, nec tamen ad doctrinam quam ipſa iiſdem docere intendit, attenderit, nec vitam emendaverit, perinde ipſi eſt ac ſi Alcoranum, &c.* ſcilicet ratione utilitatis, nam alioquin in Alcorano narrantur incredibilia. Sed contra quod *is qui eas plane ignorat, & nihilominus ſalutares habet opiniones, veramque vivendi rationem, abſolute beatus ſit, & revera Chriſti Spiritum in ſe habeat*, falſiſſimum eſt, nam Spiritus Chriſti eſt fidei Spiritus, qui obtineri nequit ab illo qui V. & N. T. Hiſtorias plane ignorat, nam ſine iis nullæ cognoſcuntur promiſſiones ſalutares, quibus ſalutari fide credendum eſt. Nec tamen etiam ab altera parte probamus eam quam refert tanquam Judæorum ſententiam, *veras*, ſcilicet, *Opiniones, veramque vivendi rationem nihil prodeſſe ad beatitudinem, quamdiu homines eas ex ſolo lumine naturali amplectuntur, & non ut documenta Moſi Prophetice revelata:* Nam quamvis non ſufficiant ad beatitudinem, nec eam nobis cauſant in futurum poſt mortem, hic tamen ſunt ſummum quod naturaliter obtineri poteſt; nec contemnendæ quia non ex revelatione innoteſcunt, nam modus cognoſcendi non mutat naturam cognitorum. Rejicimus etiam eos qui ſtatuunt *lu-* pag.
men naturale nihil ſani de iis, quæ ad veram ſalutem ſpectant, docere poſſe, hoc 66.
enim ipſi, qui nullam ſanam rationem ſibi concedunt, nulla etiam ratione probare poſſunt. Nam ſic nulla ſupereſſet ratio, nulla rationalitas, lumen nullum. Concedimus tamen lumen naturale nullum ſanum medium noſtræ reconciliationis cum Deo invenire poſſe, & ſic certiſſimum eſt lumen natura-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

le nil ſani de iis quæ ad veram ſalutem ſpectant, docere poſſe. Quod procul-dubio non vult Anonymus ſed abſurdiſſime. *Quicquid* extra Scripturam *ſupra rationem venditatur*, *figmentum eſſe* concedimus. Sed quod Scriptura præter rationem docet, non rectæ rationi, ſed Anonymi abſurdo cerebro figmentum eſt. Sed hic aperte loqui non audet. Verum eſt nos neminem niſi ex operibus cognoſcere poſſe, ſed aliquem iis ſine fide in Chriſtum, & Chriſto beatum omnino eſſe falſiſſimum eſt. Atque ita patet univerſa Anonymi ſententia de lege, quod nihil ſit niſi ordo naturæ, & in quo tales ordine naturæ corporeæ ſunt operationes quibus tribuitur virtutum denominatio, eum Beatum dicit.

CAPUT UNDECIMUM.

De Miraculis.

Anonym. cap. 6. pag. 67. §. 1. Hic primo, antequam rem aggreditur, quaſi *vulgi de Natura & Miraculis opiniones & præjudicia ſatis prolixe enarrat*. Plurimas iis annumerans certiſſimas veritates, quas videt repugnare abſurdiſſimo ſuo Myſterio, de Deo à Corpore non diſtincto, quod hoc capite inter cætera præcipue adſtruit. Vulgi præjudiciis & erroribus nullum patrocinium præſtamus. Sed veritates hac ſpecie deſtructas & oppugnatas defendere propoſuimus. Atque adeo cenſemus *quod opus*, *cujus cauſa*, non tantum vulgo *ignoratur*, ſed poſt legitimam & diſtinctam inquiſitionem cognoſcitur, ab homine cognoſci non poſſe & à ſola libera Dei voluntate, quæ non innoteſcit niſi reveletur homini, pendere, merito *vocetur Dei opus*. Non quaſi Deus non omnia operaretur, ſed quod Deus hoc immediate per nullam operetur creaturam. Fateor hic prudentiam requiri, ne decepti pro miraculis habeamus, quæ per cauſas naturales fiunt; Sed Deum nil niſi per cauſas naturales poſſe, ſecundum ordinarium naturæ curſum, exiſtimamus Deo indignum eſſe. Putamus etiam *Dei potentiam & Providentiam clare conſtare ex iis quæ Deus præter* ordinarium à Deo conſtitutum & nobis ex natura poſt legitimum ſtudium cognitum *ordinem non vero tantum contra opinionem*, *quam quis vulgo ex conſuetudine de natura habet*, *fieri nonnunquam vult*: nam iis manifeſte patefacit ſe Dominum eſſe naturæ, à creatis omnibus diſtinctum, & in ac de iis facere quicquid fit, ac ipſe pro ſua complacentia voluerit. Quod idem fatemur etiam patere ex conſtantiſſimo ordine naturæ à Deo conſtituo; ſed cum is à plurimis, quamvis peſſime, negligatur; & ab aliis, nihilo melius, quaſi à Deo non dependens conſideretur; his operibus extraordinariis etiam confirmatur illum eſſe divinum,

&

& homines etiam ex illo convincit de Dei potentia & Providentia, ita ut hæc ab illis operibus diſtingui nullo modo debeant. Quare cenſemus etiam *eos, qui hæc extraordinaria Dei opera*, quæ poſt legitimam inquiſitionem innoteſcunt eſſe talia, *per cauſas naturales explicant*, *aut intelligere ſtudent*, plurimum aberrare; nam exiſtimant ſe cauſas reddere, cum non reddant, & pateat reddi non poſſe; vel ſi reddant patefaciunt factam non fuiſſe ſatis legitimam inquiſitionem, quod requirebamus; & ex eo quod ſtudeant omnia per cauſas naturales intelligere patefaciunt, ſibi certum eſſe, nullum, niſi nomine tenus dari Deum ſupra cauſas naturales, earumque concatenationem æternam, fatalem & immutabilem, qui eas regat & determinet ſua potentia & providentia, ſine quibus Deus concipi nequit. Atque ita manifeſte docent ſe nec Deum nec Providentiam admittere divinam. Non exiſtimamus *Deum nihil agere, quamdiu natura ſolito ordine agit*, novimus enim Deum in omnibus omnia agere, & nil quicquam agere ſine Deo: nec *otioſas cenſemus cauſas naturales & naturæ potentiam*, *quamdiu Deus agit*; agnoſcimus enim Deum in & per illas agere, quamvis extraordinario modo. *Nec magis duas numero ab invicem diſtinctas imaginamur potentias*, quam Deum & res naturales duo eſſe diſtincta manifeſtis rationibus evinci exiſtimamus. Nec *rerum naturalium potentiam* minus *à Deo creatam* exiſtimamus, quam ipſæ res naturales à Deo creatæ ſunt.

§. 2. *Nec ignoramus*, ut fingit, *quid per Deum & naturam intelligamus*, *& utriuſque potentiam:* Sed horum diſtinctos formamus conceptus, ut ſuo loco patebit. Nec *ex devotione aut cupiditate adverſandi iis qui ſcientias naturales coluit rerum cauſas naturales neſcire cupimus*, *& ea geſtimus audire quæ maxime ignoramus*; ſed eas ſummo ſtudio & omnibus viribus ſectamur & quærimus, exultantes ubi rerum cauſas genuinas invenerimus. Sed tamen non ideo minus admiramur etiam ea quæ Deus ſola ſua voluntate in & circa res creatas præter conſtitutum in natura ordinem facit, & ſic ab eo fieri à nobis manifeſte obſervantur. Non quaſi *nulla alia ratione*, *niſi cauſas naturales tollendo*, *reſque extra naturæ ordinem imaginando*, *Deum adorare*, *omniaque ad ejus imperium & voluntatem referre poſſemus*, *nec Dei potentiam magis admirari*, *niſi dum potentiam Naturæ à Deo quaſi ſubactam imaginamur.* Novimus enim etiam omnes cauſas naturales & univerſum naturæ ordinem ab imperio & voluntate divina pendere. Nec ulla poteſt hic concipi naturæ ſubactio à Deo, cum tota dependeat à Deo, & per Deum ſit id quod eſt. Nec quicquam fit à Deo, quod admirandam ejus potentiam non patefaciat; quamvis unum ordinario, aliud extraordinatio modo. Nec hæc dogmata noſtra ulla ſpecie deduci poſſunt à *primis Judæis* ex imitatione *Ethnicorum*, cum non imnus quam cœlum à terra diſtent ab iis. Si quæ vulgus hic abſurda foveat præjudicia, vel *pag.* 68.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

errores nullo modo admittendos, eis nullo modo patrocinamur. Sed etiam ab altera parte multo minus admittimus deteſtabiles Anonymi errores, ſub prætextu confutationis præjudiciorum vulgi ſubſtitutos, ad quos jam tranſit.

§. 2. *Quatuor ſe oſtenſurum* in hoc capite promittit, *quæ ad intentum totius hujus operis*, propagandum ſcilicet Atheiſmum, & Myſterium illud de Deo ab univerſo non diſtincto *non parum inſervire exiſtimat.* Horum *Primum* eſt. *Nihil contra naturam contingere, ſed ipſam æternum, fixum, & immutabilem ordinem ſervare, & ſimul quid per miraculum intelligendum ſit.* Hocque probare conatur, ex eo quod cap. 4. pag. 49. ut putat, demonſtraverat, *omne id quod Deus vult ſive determinat, æternam neceſſitatem & veritatem involvere*, quod conceſſimus, ſi non alia quam divinæ complacentiæ neceſſitas intelligatur, negavimus vero ſi neceſſitatem à Dei complacentia non dependentem voluerit. *Deum intelligere quicquid vult, & nihil invite ſeu præter voluntatem intelligere*, non repugnamus. Sed *nos* tamen *ideo non idem affirmamus cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus Deum id ipſum intelligere.* Nam illud Dei liberrimam complacentiam, hoc ſolam perceptionem ejus in quo ſibi complacet, in noſtro conceptu involvit. Nec recte dicitur, *Deum ex natura & perfectione divina, neceſſario, rem aliquam, ut eſt, intelligere, & eandem ut eſt velle.* Nam contra res eſt ut Deus eam intelligenter pro ſua libertate vult, & pro complacentia ſua intelligit; nam omne rerum eſſe à divina voluntate dependet; quæ cum neceſſario ſit liberrima, ſeu cum ſumma complacentia agens utpote perfectiſſima, nulli neceſſitati ſubeſſe poteſt: nam neceſſario liberrime ex ſe ſibi vult & intelligit quicquid à ſe & præter ſe eſſe vult & intelligit. Ita ut totum hoc fundamentum cui Anonymus adeo mirabilia ſuperſtruere conatur, imo cui totus fere nititur ejus tractatus, non niſi in captione quadam conſiſtat, vel potius confuſione qua voluntatem cum intellectu divino ita confundit, ut omnem tollat libertatem, quæ ei unice obeſt in adſtruendo atheiſtico ejus myſterio de Deo ab univerſo non diſtincto, præter quod nihil intendiſſe videtur in ſuo toto tractatu. Præter Deum *nihil niſi ex*
pag. 69. *ſolo divino decreto neceſſario verum eſse*, & hinc *univerſales naturæ leges eſſe mera Dei decreta*, concedimus facile; eaque ex neceſſaria *perfectione* ſummæ liberæ *naturæ divinæ* profluere, idque nulla externa *neceſſitate*, ſed maxima cum interna voluntatis libertate ſeu complacentia, ex notione Dei maniſeſtiſſimum exiſtimamus. Unde ſano ſenſu ſi ſumatur fatemur *omne quod in natura repugnat univerſalibus ejus legibus, id decreto & intellectui, & naturæ divinæ, neceſſario etiam repugnare.* Sed habet hic ambiguitatem, ſub qua dolum ſtruit Anonymus. Nam per univerſales naturæ leges vel intelligit univerſum Dei decretum quo ab æterno liberrime determinavit omnia quæ ſunt, erunt, aut eſſe poſſunt; & ſic ſi ſumatur nullus putat per miraculum,

vel

vel quicquam fieri poſſe contra leges naturæ, niſi Deum vel impotentem vel mutabilem ſtatuat: nullum enim fit miraculum contra, ſed omnia per ſolam Dei voluntatem ſeu decretum. Vel intelligit ordinem in natura maxime communem, & ex ipſa rerum creatarum natura profluentem & innoteſcentem aut cognoſcibilem ſaltem ſecundum quem omnia communiter fiunt, & præter hunc plurima fieri poſſe certiſſimum eſt, quæ tamen non repugnant decreto, nam ille tantum eſt pars eorum quæ decreta ſunt, cum enim miracula decrevit Deus, res naturales ita regere & determinare decrevit, ut ex ſua natura nunquam ita ſe habuiſſent, quodque idcirco ex inſpecta earum natura nunquam innoteſcere potuiſſet. Atque ita fiunt miracula à Deo etiam ex Dei decreto non tam contra ordinem naturæ deſtruendo illum & evertendo, quod impoſſibile eſt, quam præter illum res naturales aliter determinando quam ex indita ſibi natura determinatæ fuiſſent, aut ex cognita earum natura eas determinandas cognoſci potuiſſet ab homine, cui nihil aliud de iis patefacere voluit Deus. Alterum dicit hic addi poſſe argumentum *Quod nimirum potentia naturæ ſit ipſa divina potentia & virtus, divina autem potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia.* Sed hoc inpræſentiarum omittit; proculdubio ne nimium patefiat quod occulte fovet iniquitatis Myſterium, Deum & naturam rerum naturalium & creatarum inter ſe non eſſe diſtincta. Notat hic etiam ſe *per Naturam non intelligere ſolam Materiam, ejuſque affectiones, ſed præter materiam alia infinita*, quæ qualia ſint, cur non exprimit, ſi enim Deus & potentia ac eſſentia nihil aliud ſit quam natura, cur non dicit ſe per naturam præter materiam intelligere Deum & res cogitantes ſeu ſpirituales à materia diverſas, niſi quod etiam hoc repugnet ejus Myſterio, quod hac nota contectum voluit, per illa alia infinita. Fatemur ergo *leges & regulas naturæ eſſe ipſa Dei decreta*: Sed Deum præter eas nihil decreviſſe, aut decernere potuiſſe, negamus. Nec ideo ſtatuimus *Deum naturam adeo impotentem creaſſe, ejuſque leges & regulas adeo ſteriles ſtatuere, ut ſæpe de novo ei ſubvenire cogatur, ut res ex voto ſuccedant*, quales abſurdiſſimos conceptus hic format Anonymus. Nam quamcunque fertiles ſint naturæ leges nunquam per eas ſine Deo quid fit, ſemper requiritur ut concurrat Deus cum rebus naturalibus & eas ex ſuo decreto regat. Nec in miraculis de novo ſubvenit regulis naturæ nimis ſterilibus, ſed ſola ſua complacentia res naturales determinat ita præter naturæ leges, quomodo eas naturæ legibus determinari noluit. Nullo modo ſequitur itaque *Nomen Miraculi non niſi reſpective ad hominum opiniones poſſe intelligi, & nihil aliud ſignificare, quam opus cujus cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poſſumus.* Nam præcipue reſpicit rerum naturas & iis conformem a Deo conſtitutum ordinem, præter quem Deus agit in miraculis, ſecundario vero Hominis opinionem formatam vel formandam ex & ſecundum illum ordinem *Pag. 53.*

natura cognitum. Ita ut minime ſufficiat dicere, *miraculum eſſe id cujus cauſa ex principiis rerum naturalium lumine naturali notis, explicari nequit.* Sed dicendum ſit, eſſe id cujus cauſa ex principiis naturalibus non fluit, ſed quod immediate ab ipſo Deo fit, præter regulas naturæ, & idcirco ex principiis rerum naturalium lumine naturali notis explicari nequit: nam alioquin ſi ex principiis naturalibus flueret ejus cauſa, poſſet etiam ex iis explicari: vel ſi præter noſtra nobis nota dentur alia principia, ex quibus fluant miracula; noſtra non erunt principia, nam vel ex prioribus dependent, vel ad reddendas rerum naturalium cauſas non ſufficiunt. Multo minus dicendum *pro miraculo habendum quod explicari non poteſt eo modo, quo vulgus res naturales explicare ſolet, recurrendo ſcilicet ad memoriam ut alterius rei ſimilis, quam ſine admiratione imaginari ſolet, recordetur.* Sic enim ad miraculum ſufficeret hominis præjudicium, & quo negligentiores forent homines ac minus tenax eorum memoria, eo plura darentur miracula, & contra Sapienti nullum miraculum, quod omni abſurditate abſurdius eſt: nam ab hominis ſapientia vel ignorantia dependerent omnia miracula vel non, & quidem ignorantia forent miracula, ſapientia perirent, vel eſſe deſinerent. *Antiquos & omnes fere in hoc uſque tempus nullam præter hanc normam miraculi habuiſſe*, probabile non eſt, & quid ſi verum foret, hinc nil concludi poſſet, quam eos ignoraſſe verum ſignum diſcretionis miraculorum, & ita ſæpius falſis miraculis deceptos fuiſſe: nullo modo vero, quod ea quæ facta fuerunt, vera miracula, talia non fuerint; aut *in ſacris literis* aliquid *tanquam* verum *miraculum narretur, cujus cauſæ ex principiis rerum naturalium notis facile poſſunt explicari*, & verum ita miraculum non fuerit, ſic enim in Scriptura falſitatem doceret Deus: non negamus quidem in Scriptura narrari pro veris miraculis habita fuiſſe quæ talia non erant; Sed pro veris narrari quæ non fuerunt, nunquam probabit Anonymus, nec hoc evincit locus Joſuæ & Jeſaiæ, de quibus ſupra ad pag. 22. Sed cum de his in ſequentibus prolixius agendum dicat, eum ſequemur.

§. 3. *Secundum*, hoc capite demonſtrandum eſt, *Nos ex miraculis nec Dei eſſentiam, nec Exiſtentiam nec Providentiam poſſe intelligere: ſed contra hæc longe melius percipi, ex fixo atque immutabili naturæ ordine.* Quod ut demonſtret, *ſupponit Dei Exiſtentiam non eſſe per ſe notam*, Quod falſum eſt, nam ſola attentione ad ideam entis perfectiſſimi innoteſcit Deum exiſtere, ut late Cartes. Med. 5. ubi patet id eſſe per ſe notum. Eſt etiam *notio Dei talis ut nulla potentia poſſit immutari.* Sed cum Anoymus hic dicit eam concludendam *ex notionibus*, videtur velle, notionem Dei non niſi ex rerum creatarum notionibus compoſitam eſſe, & ſic cognoſci exiſtere, quod cum ejus myſterio optime convenit. Sed plane aberrat, nam uti omnia ſunt & dependent à Deo, ſic &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& omnes notiones aliarum rerum à Deo in nobis reperiuntur, & certa cæterarum rerum notitia ſeu ſcientia, non niſi ex Dei certa cognitione acquiri poteſt, non vero ex certa notitia rerum acquiritur certa Dei cognitio, niſi in iis quibus jam adeſt innata Dei notitia. Quod autem *iſtis notionibus* à Deo nobis inditis *convenire vel repugnare ſcimus*, *cum natura convenire vel pugnare dicimus.* Et idcirco cum Deus nobis eas libere indiderit ſecundum ordinem quem *pag.*
inter res naturales communiter obſervari voluit, nullo modo Deo repugnat, 71.
ſi extraordinarie quid ab eo fiat, præter illum ordinem, & notiones ſecundum illum nobis inditas, ſed magis confirmatur exiſtentia Dei omnipotentis & ordinis illius auctoris, à natura per innatam notitiam cognita. Non quidem *repugnat ordini naturæ*, ſed præter illum *fit miraculum.* Et quidem Deus decreviſſe potuit, aliquando quid fieri contra quam communiter, & quam ex naturalibus notionibus ſequitur, & nobis indere notiones eorum quæ communiter fiunt ex illo ordine, nec ideo *dubitandum foret de Deo vel notionibus illis primis*, nam Deus ex ſola immutabili notione Dei innoteſcit, & nobis inditis notionibus Deus tantum nobis patefecit ea quæ ordinarie in natura fieri decreverat: & idcirco quæ præter eas fiunt, ita tamen ut eas non deſtruant, pro miraculis habenda ſunt. Ita ut omne miraculum noſtrum captum ſuperet. Sed *inde* inquit *quod noſtrum captum ſuperat nihil intelligere poſſumus.* Quod fateor ſi nulla præcedat innata Dei notitia. Et idcirco cenſemus miracula tantum eſſe ſecundarium argumentum confirmans exiſtentiam Dei per innatam notitiam agnitam, & hanc primum & primarium, ſine quo nullum: ita ut hoc ſine illo, non contra dari poſſit. Et eadem etiam eſt ratio omnium operationum in natura non miraculoſarum, nam nec ex iis cognoſci poſſet Deus ſi non præcederet innata Dei notitia. Ita ut non *nugentur*, *qui*, *ubi*, non *rem ignorant*, *pag.*
ſed rem cognoſcunt & clare vident præter naturæ ordinem exiſtere, *ad Dei voluntatem recurrunt*; nec magis ſic *ſuam profitentur ignorantiam*, quam cognitionem qua certi ſunt Deum immediatam talis effectus cauſam eſſe. Quod autem præterea addit *ex miraculis Dei exiſtentiam concludi non poſſe*, *cum miraculum opus limitatum ſit*, *& idcirco tantum concludi poſſit exiſtentia cauſæ cujus potentia major ſit*, abſurdiſſimum eſt. Nam omnia Dei opera ſunt limitatæ tantum perfectionis, & ſic ex nullo opere Dei exiſtentia concludi poſſet. Finitum quidem non ingenerat infiniti cognitionem, ſed is cui innata notitia entis infiniti, ſecundario etiam ex finitis infinitæ cauſæ exiſtentiam certiſſimæ concludere poteſt. *Naturæ leges*, quidem ad indefinita, ſed non *ad infinita ſe extendunt.* Sunt etiam quidem *ab æterno* decretæ, uti & miracula decreta ſunt, ſed cum creatura tamen demum initium ſumpſerunt. Et *natura ſecundum eas certo ordine procedit*, niſi author naturæ aliquando velit aliquid fieri præter illum ordinem. Ac conſequenter ex iis non magis quam ex miraculis probari

poteſt

poteſt exiſtentia Dei. *Quod vero nullam agnoſcat differentiam inter opus contra*
naturam & ſupra naturam, *quia* ſcilicet *miraculum non extra*, *ſed in ipſa na-*
tura fiat, *& ſic naturæ ordinem interrumpat ac contra naturam ejuſque leges*
ſit, eſt mera cavillatio: nam fatemur miraculum fieri præter ordinarium natu-
pag. 73. ræ curſum, & ſic in natura inter ordinarios ejus effectus quos Deus ordinarie
in ea producit, intercedere nonnunquam Dei effectus extraordinarios, ſed in-
de diſrumpi, vel deſtrui naturæ leges, aut contra eas quid fieri, aut incertum
reddi earum ordinem falſiſſimum eſt. Eundem enim Deus relinquit, ſed tan-
tum opere miraculoſo patefacit ſe ejus dominum ei alligatum non eſſe. Con-
tra eum ageret ſi ordinarie alium plane præſcriberet ordinem, aut aliquando
extraordinarie præter eum agendo, ordinarium illum curſum immutaret, ſed
neutrum fit. Non aliter quam paterfamilias qui immutabilem familiæ præ-
ſcripſit obſervandum ordinem, & ſecum tamen conſtituit nonnunquam, ut
patefaceret ſe ordinis illius auctorem eſſe, & libera ſua voluntate conſtituiſ-
ſe, præter illum ordinem aliquid ita efficere, & id ita efficit, ut omnibus pa-
teat, id ab ipſo immediate pro ſuo arbitrio fieri, inde non ſtatim mutat or-
dinem familiæ præſcriptum, aut patefacit ſe nolle illum à familia obſervari,
aut agit contra ſuam voluntatem quam patefecit familiæ ſeu contra id quod
voluit in familia fieri: ſed tantum patefacit quid præterea præter illum ordi-
nem à ſe in familia ita ordinata, jam diu antea voluit, ut hoc tempore fieret.
Quamvis non undiquaque conveniat hæc ſimilitudo, cum familia non depen-
deat à patre, ut mundus à Deo, ſufficit tamen ad ſcopum. Atque adeo nullo
modo hinc concludi poteſt, *omne miraculum*, *ſive contra*, *ſive ſupra naturam*,
merum eſſe abſurdum. Nam abſurdum non eſt niſi quod repugnat, atque jam
multis demonſtratum, miraculum prædicto modo præter naturam fieri, mi-
nime repugnare. Sed videamus *Scripturæ loca*, quibus conatur confirmare,
quæ ſupra tribus argumentis, ſcilicet *quod ex miraculis Deum non poſſimus co-*
gnoſcere, probare voluit. Primam ex iis acquiri non poſſe notitiam conceſſi-
mus, cum naturalis innata prærequiratur, ſed ſecundariam negavimus acqui-
ri non poſſe. *Deut.* 13: 1. 2. 3. &c. quidem dicitur *quod Deus miracula fa-*
ciat ad falſorum prophetarum prædictiones, ut ita tentaret Iſraelitas quibus
ſuum verbum dederat, & multis modis confirmaverat, an fidem eſſent ad-
hibituri verbo Dei magis, quam verbo diaboli. Sed ibi non dicitur Deum fal-
ſum eſſe miraculorum authorem, aut ſine Deo fieri miracula, atque ita ex mi-
raculis vel nullum innoteſcere Deum vel æque falſum ac verum innoteſcere.
Sed contra dicitur verum Deum eorum auctorem eſſe, & per ea tentare fidem
Iſraelitarum; Ita ut etiam ex illis falſorum prophetarum miraculis, veri Dei
exiſtentia optime concludi poſſit. Vide B. t. 2. p. 809. 810. *Vitulum Aaro-*
nicum fuiſſe Dei ideam quam ex tot miraculis formaverunt Iſraelitæ falſiſſi-
mum

mum eſt, cum tantum fuerit idololatricum corpus ſub quo verum Deum adorarunt. Aliaque quæ de *Aſapho* Pſalm 73. *Salomone* & *Prophetis* profert, tantum patefaciunt eorum defectus & errores quibus non obſtantibus tot miraculis laborarunt, nullo modo vero inefficaciam argumenti à miraculis deſumpti & innatæ Dei notitiæ ſuperadditi. *Exod.* 10: 2. narrat Moſes Deum ſibi revelaſſe, quod obduraverit cor Pharaonis, ut fierent talia inter illos miracula, & Iſraelitæ inde cognoſcerent eum eſſe Dominum omnipotentem, fidelem, &c. Unde patet hæc ex miraculis cognoſci poſſe de Deo. *Judæos tales habuiſſe opiniones ut facile iis miraculis convinci poſſent*, fatemur; ſed cum recta ratio cuivis etiam tales ſuppeditet opiniones, dici nequit *quod miracula* id ſolos Judæos, & *non revera doceant.* Quocirca hoc tantum Anonymi abſurdum effugium eſt, ex ejus præjudicio jam confutato profluens. *Miracula veram Dei ideam & cognitionem dare poſſe*, nec nos, nec ullus cum ratione dixerit; ſed innatam Dei notitiam ex iis in nobis excitari, occurrere, & confirmari magis magiſque certiſſimum eſt. Hebræos etiam convincebat Deum per innatam & ex miraculis acquiſitam notitiam cognitum, eorum curam ſupra omnes gerere, nam omnia & ſingula erant fortiſſima argumenta convincentia eos de Dei gratia, favore, benevolentia ſupra alios populos, & potentia ſupra omnia; unde merito concludebant, ſe Deo cæteris nationibus dilectiores fuiſſe, agnoſcentes quidem Dei curam erga illos alios, ſed non adeo gratioſam, quod *ex Philoſophia cognoſcere non poterant*; nam quamvis ex ea innoteſcat Deum uni præ alio majorem poſſe præſtare gratiam, non tamen patet eum id facere niſi ex aucto tali modo percepto. Atque adeo tantum abeſt, ut & ex Ratione & Scriptura probetur Deum ex miraculis cognoſci non poſſe, ut ipſa Scriptura & ratio directe contrarium doceant.

pag. 74.

§. 4. Tertium hoc Capite demonſtrandum erat, *Dei decreta & mandata, & conſequenter providentiam, nihil eſſe revera præter naturæ ordinem. Quod cum*, ut inquit, *Scriptura directe non doceat, ex quibuſdam Scripturæ hiſtoriis, quæ caſu prolixius & pluribus circumſtantiis narrantur, per conſequentiam eliciendum eſt.* Verum ſi per naturæ ordinem intelligat eum quem Deus ſua voluntate pro ſua complacentia conſtituit, & inter omnia creata accuratiſſime obſervari facit; hoc totum dubio caret: Nec ullus aliud intelligit quam illum Dei providentia conſtitutum obſervari. Si vero per naturæ ordinem intelligat cauſarum naturalium æternam concatenationem, quæ nec eſt à Dei arbitrio, nec ei ſubeſt, falſiſſimum eſt quod ſtatuit nec id ex ullis Hiſtoriis Scripturæ probabit. Nam 1 *Sam.* 9: 15. 16. Deus Saulum mittit ad Samuelem omnia ſua voluntate ita dirigens, imo ipſam Saulis voluntatem ut ille hunc accederet, abſque ullo mandato præterea expreſſe dato, quæ eſt Dei providentia mediata. Sed inde nullo modo modo ſequitur, hoc ſolo naturæ

pag. 75.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

turæ ordine, & cauſarum connexione factum & non Dei voluntate: & non adfuiſſe providentem Dei directionem. Idem dicendum de omnibus aliis locis hic productis *ut Pſalm* 105: 25. Ægyptiorum cor mutavit ut odio haberent Iſraelitas, partim externe multiplicans Iſraelitas Exod. 1. partim interne regens eorum cogitationem. *Gen.* 9: 13. dicitur dare iridem, quia regit nubes & ſolem, ac arcui alligat ſuam promiſſionem. *Pſalm.* 147: 8. 15. *Pſalm* 104: 4. creaturæ ſunt verbum Dei, miniſtri, legati, quia ad ejus voluntatem agunt vel quieſcunt.

pag. 76. §. 5. Sed hinc concludere, *quod omnia quæ in ſcriptura narrantur naturaliter contigerint*, abſurdiſſimum eſt, nam ex particularibus quibuſdam non poteſt fieri univerſalis concluſio. Non valet conſequentia, Deus quædam agit per cauſas naturales, ergo omnia. Nec *miraculorum circumſtantiæ oſtendunt ipſa cauſas naturales requirere*, nam quæcunque fuerunt adhibitæ, nihil naturalis efficaciæ habuerunt, ut *Exod.* 9. 10. favillæ à Moſe per aërem ſperſæ ad Dei mandatum, nihil poterant ad ulcera. Ventus *Exod.* 10: 14. 19. locuſtas adducens & reducens miraculoſus erat, tum quod tantam adduceret copiam tam ſubito, tum quod tam cito omnes iterum auferebat. B. t. 1: p. 347. Ventus *Exod.* 14: 21. mare dividens, etiam ſufficere non poterat, ad inſtar muri ſiſtendas aquas. Minime ſufficiebat etiam calor Eliſæ ad excitandum puerum, 2 *Reg.* 4: 34. 35. Aut lutum Chriſti ad viſum *Joh.* 9: 6. Hæc enim adhiberi voluit Deus, tum ut pateret, eum ex minimis, imo contrariis quævis, etiam maxima peragere poſſe, & ſe non egere mediis ut agat quicquid vult, ſed ſola ſua voluntate poſſe & agere quod vult. Sic & non minus miraculum fuit ad Moſis nutum factus aquarum reditus *Exod.* 14: 27. quamvis in cantico *Exod.* 15: 10. dicat eum vento factum, nam is ut & prior miraculoſus plane ventus fuit. Nec ex eo quod *Scriptura res non doceat per proximas*
pag. 77. *cauſas, ſed tantum eo ordine, iiſque Phraſibus narret, quibus maxime homines & præcipue plebem ad devotionem movere poteſt*; ſequitur non reperiri quæ nullo modo per cauſas naturales explicari poſſunt, nam & tales prædicto illo modo in ſcriptura doceri poſſunt. Atque adeo minime concludi poteſt, *omnia quæ in ſcriptura vere narrantur contigiſſe, ſecundum leges naturæ neceſſario contigiſſe*, cum multa ex Dei libertate præter naturam contigerint. Nec poteſt dici ea eſſe *contradictoria, & ſcripturæ adjecta* cum, ut demonſtravimus, nullo modo repugnent naturæ, ſed præter eam exiſtant, eamque ſuperent.

§. 6. *Quartum* hoc capite demonſtrandum eſt, *Interpretatio miraculorum.*
pag. 78. Ad quam primo requirit *ut cognoſcantur opiniones eorum qui ipſa primi narraverunt & nobis ſcripto reliquerunt*, & eæ *diſtinguantur ab eo quod ſenſus iis repræſentare potuerunt*: cum *omnes homines ſuas opiniones & judicia narrationi rei geſtæ immiſceant.* Sed cum jam ſupra demonſtraverimus non ipſas opiniones &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& judicia hominum revelatis miſceri, ſed ea revelari & ſcribi Phraſi ad eorum captum accommodata, qua non eorum judicia falſa ſæpe & erronea, ſed ſola res ſignificata revelatur, quo tendit ipſe Anonymus pag. 28. in fine, ſufficit in interpretatione miraculorum attendere ad ſolam rem factam & narratam. Ut in *exemplo Joſuæ*, quod hic iterum producit Anonymus, *Joſua* nullo modo permiſcet ſuum judicium & opinionem de motu vel quiete Solis, ſed tantum narrat tamdiu prolongatam diem idque ad captum hominum proponit tali Phraſeologia qua illi uti conſueverant. Quare hinc nullo modo concludere poteſt Anonymus *quod hanc rem longe aliter quam revera contingere potuit conceperit atque revera enarraverit*, nam quid ipſe conceperit, hinc concludi non poteſt, & id quod narravit quoad ſubſtantiam certum & veriſſimum erat, quamvis populariter propoſitum. Non nego tamen utiliſſime diſtingui Phraſeologiam hominum captui accommodatam, à re ſignificata per eam; ſed nego ea Phraſeologia rei factæ & narratæ permiſceri vulgi, aut narrantis præjudicia & opiniones erroneas, de quo ſupra ad cap. 2. latiſſime. *Secundo* inquit ſunt ad miraculorum interpretationem cognoſcendæ narrantium opiniones, *ne confundamus res quæ revera contigerunt cum rebus imaginariis, quæ non niſi repræſentationes Propheticæ fuerunt*. Sic ut realia narrantur & creduntur in ſcriptura, *pag.* 79.
quæ tantum fuerunt res & repræſentationes imaginariæ, *ut quod Deus è cœlo deſcenderit & quod mons Sinai propterea fumabat*, *Exod.* 19: 18. *Deut.* 5: 22-25. Reale ſignum divinæ præſentiæ de cœlo deſcendiſſe, & in igne ac fumante monte viſum fuiſſe realiter, nulla ratione negare poteſt Anonymus, niſi ex præjudicio imaginationis Propheticæ, de quo ſupra. *Eliam igneo curru in cœlum ſublatum fuiſſe realiter*, non minus poſſibile, quam id ſola repræſentatione imaginaria contigiſſe. *Dextra*, *ſiniſtra*, *motus*, *quies*, *locus*, ſi Deo tribuantur, non niſi hominum captui attemperatæ locutiones ſunt, quibus non ſignificantur vulgarium hominum errores, ſed veritates ad eorum captum exprimuntur. *Tertio* ad miraculorum interpretationem requiritur *Hebræorum Phraſes & tropos ſcire*, quod certiſſimum plane. Ut V. G. Zach. 14: 7. his verbis. *Et erit dies unus, ille noſcetur Jehovæ, non dies, & non nox, & erit, tempore veſpere erit lux*, non ſignificatur miraculoſus aliquis dies, vel tantum lucidus, vel tenebricoſus, ſed ſignificatur tale tempus & ſtatus rerum in Eccleſia, Deo cognitus, ut nec poſſint ſibi de rebus melioribus gratulari, & verſentur in magno metu; rurſus ſint abſque notabili malo, hoſtibus ad impotentiam redactis; id eſt neque lætitiam diei habeant, neque noctis quietem; & quod quum omnia videbuntur comparata eſſe ad novam calamitatem, tempore veſperæ ſcilicet, ibi repente fiet lux, id eſt cum minime ſperabitur, adveniet liberatio, pace facta. Hæc enim Phraſes lucis, diei, noctis, veſperæ ſignificant apud Prophetas ut patet ex collat. Eſa. 58: 8. 10. Lament. 3. 2. Amos 5:

 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

18.20. Mich. 7:9. ubi lucis vox, & Pſalm 118:24. Jeſ. 49:8. cum 2 Cor. 6:2. Lament. 5:21. ubi vox diei, & Mich. 3:6. Job 34:25. & 35.10. Eſa. 26:9. Pſalm 16:7. & 17.3. Luc. 17:34. Cant. 3:1. Apoc. 21:25. & 22.5. ubi vox noctis, &c. Sic & *Jeſ.* 13:10.13. per ſtellarum lucem & tenebras, & tremorem cœli & terræ non niſi ſummæ ſignificantur afflictiones, non minores quam ſi hæc ipſis revera contingerent: minime vero ea actu contigiſſe. Ut & *Jeſ.* 48:21. non dicitur ea miracula contigiſſe Iſraelitis ex Babylone redeuntibus, ſed ut illi confiderent Deo ipſis adfuturo narratur, quomodo Deus exeuntes ex Ægypto per talia miracula conſervaverit, quibus iiſdem eos iterum conſervare poſſet ſi vellet; ita ut ei tuto credatur. *Benedicere in Scriptura devote ſumi pro maledicere*, 1 Reg. 21:10.13. Job 1:5.11. & 2.5.9. ut ita demonſtrarent ſe non tantum à blaſphemiarum re, ſed etiam nomine abhorrere concedi poſſet, ſi alias non potius ſarcaſtice ſumatur, ut notat Ravanel. p. 318. Sed hinc concludere, quod omnia quæ in ſcriptura narrantur tantum talibus Phraſibus proponantur, quibus ſupra naturam extolli videntur, *cum interim ſi attendatur, quæ miraculoſa, & obſcuriſſima viſa ſunt, mediocri meditatione intelligi & explicari per cauſas naturales poſſint*; eſt plus concludere quam eſt in præmiſſis, nam ſæpe miracula ſimplici oratione propoſita occurrunt, quæ ſine manifeſtiſſima detorſione ſic explicari nequeunt. Et quæſo qualis hæc conſequentia, quibuſdam ſcripturæ locis non narrantur miracula, quamvis id quibuſdam Hebræas Phraſes non ſatis intelligentibus videatur, ergo nullis locis aliqua narrantur, etiam recte intellectis Phraſibus ſcripturæ. Nugæ ſunt. *Atque his exiſtimat ſe quod intenderat ſatis clare demonſtraſſe.* Egregia ſcilicet demonſtratio eſt.

pag. 80.

§. 7. Attamen antequam capiti finem det, monet, *ſe alia prorſus methodo hic circa miracula proceſſiſſe, quam circa Prophetiam, de hac enim ex ſacris literis, de illis ex lumine naturali.* Sed ſupra vidimus quomodo ſe in his geſſerit, non eſt quod repetantur. Videamus tantum quod *hic addit*, ſcilicet hanc quæſtionem *an aliquid in natura contingat, quod ejus legibus repugnet, aut quod ex iis non poſſet ſequi*, etiam ex ſolis Scripturæ dogmatibus ſolvere & oſtendere aggreditur proferens quædam *ſcripturæ loca*, quibus *natura dicitur fixum & immutabilem ordinem ſervare*, ut Pſalm 148:6. Jerm. 31:35.36. Sed ſupra demonſtravimus miracula illum ordinem non turbare, ſed fixum relinquere, & tantum non per illum ſed præter illum fieri. Addit deinde loca quibus dicitur *nihil novi contingere in natura* ut *Eccl.* 1:10.11.12. quibus hominum mores & naturalia cætera ſignificari, minime vero extraordinaria Dei miracula, ſoli inſpicienti patebit. Præterea addit Eccl. 3:10.11.13.14. *Deum omnia ordinaſſe ab æterno, nec iis quicquam addi vel ſubtrahi poſſe.* Quod fatemur, ſed etiam inter ea contineri ordinata miracula, præter naturæ ordinem

pag. 81.

nem certo tempore & modo futura ſupra jam fuit nobis demonſtratum. Quibus addit, quod *ſcriptura contra nullibi doceat, in natura aliquid contingere, quod ipſius legibus repugnet, aut quod ex iis nequeat ſequi.* Sed ſui oblitus non meminit Scripturam non docere Philoſophiam, & tantum facta narrare, non vero per cauſas explicare naturales. Addit etiam *miracula cauſas & circumſtantias requirere.* Sed jam demonſtravimus eas nihil cauſare potuiſſe. *A ſeductoribus miracula fieri ex* Deut. 13. & Matt. 24: 24. non patet; ſed tantum quod Deus homines per illos etiam veris nonnunquam miraculis tentet, de quo ſupra late. Ita ut ex toto hoc capite, minime ſequatur, omnia, etiam quæ in Scripturis apertiſſime narrantur miracula, ſolis cauſis, & ordine naturæ contigiſſe. *pag. 82.*

CAPUT DUODECIMUM.

De Interpretatione Scripturæ.

§. 1. DE *vera*, ut inquit, *Methodo Scripturam interpretandi acturus*, eum in finem *ut à turbis plurimis extricemur & mentem à præjudiciis theologicis liberemus, nec temere hominum figmenta pro divinis documentis amplectamur*, (qui primo aſpectu vultus optimus, & ſcopus laudabilis, ſi cum eventu conveniret) primo eas turbas, præjudicia & hominum figmenta enumerat, vel potius in turbato & præjudicato ſibi cerebro ſuo fingit. Primo dicens *Omnibus in ore quidem eſſe Sacram ſcripturam verbum eſſe Dei quod homines veram beatitudinem vel ſalutis viam docet: verum re ipſa aliud plane judicant.* Quod de multis concedimus; ſed de omnibus negamus. Quis enim non agnoſcat plurimos à tam univerſali hypocriſi liberos. Novit Deus ſuos etiam cum nulli apparent. Hanc ſuam theſin probaturus dicit, quod *vulgus nihil minus curare videtur, quam ex documentis ſacræ Scripturæ vivere, & omnes fere*, &c. Quod etiam univerſaliter falſum dicimus, cum inter vulgum ſæpe reperiantur qui doctos vita ſua & probitate ſecundum ſcripturæ documenta longe antecellant, confer 1 Cor. 1: 26. 27. 28. *Theologos* dicit *ſollicitos plerumque fuiſſe, quomodo ſua figmenta & placita ex Sacris literis extorquere poſſent, & divina auctoritate munire*, &c. Hanc etiam univerſalem dicimus calumniam, quorundam vitia non propugnamus, ſed tamen univerſaliter Theologos plerumque hæc præſtare, falſiſſimum eſſe docent plurimorum ſcripta, & documenta ſanctiſſima, proba, pia, pura, quantum in hac vita fieri poteſt, & intemerata vita comprobata & confirmata. *Sed*, inquit, *Anonym. cap. 7. pag. 83.*

quod ſi homines id quod verbis de Scriptura teſtantur, ex vero animo dicerent tum aliam prorſus vivendi rationem haberent, neque tot diſcordiæ, &c. *neque tot odiis*, &c. *nec tam cæca cupiditate*, &c. *tenerentur*, &c. Conſequentiam negamus, ſumus enim hic in ſtatu imperfectionis, ubi continuo cum noſtris peccatis conflictandum & certandum, ac dicere cogimur cum Medea video meliora proboque, deteriora ſequor: ſatis patet ſe ex vero animo dicere ſi ſe aberrantes condemnent, & a malis dehortentur ad bona. *Contra*, inquit, *nil tanquam Scripturæ doctrinam amplecti auderent, quod ab ipſa clariſſime non edocerentur.* Sed ſunt etiam claritatis varii gradus, cum multi ſibi clariſſima præjudiciis & aliis impedimentis obſcura reddat, & ſperanda continuo major claritas lucis divinæ. *Sacrilegi illi, qui ſcripturam plurimis in locis adulterare non ſunt veriti, manus ſacrilegas abſtinuiſſent.* Verum hos non novimus niſi profligatæ probitatis homines, ſi id ſtudio præſtiterunt, ſi vero per ignorantiam, eam inculpabilem non exiſtimamus. Concedimus etiam *Ambitionem & Scelus quorundam corrumpendæ non religioni*, ſed *religionis profeſſioni* & ſtudio plurimum potuiſſe. Sed cum etiam non minor fuerit vis probitatis & virtutis, negamus tantum Dei gratia dari defectum, ac hic deſcribit Anonymus: quamvis eheu! ſatis magnum dari cogamur fateri, & ad illum auferendum cum bonis omnibus allaboremus. *Superſtitionem eſſe quæ docet rationem contemnere*, ſi tanquam regula, & norma adhibeatur revelatis, ab ipſo Anonymo aſſeri
pag. 84. nequit, niſi etiam ſe ſuperſtitioſum dicat, nam pag. 84. ſeq. fatetur Scripturam ſæpiſſime agere de rebus quæ ex principiis lumine naturali notis deduci nequeunt, hæc enim diſtinguit. Cætera vero, quæ hinc deducit, Doctiſſimorum Theologorum calumnias eſſe cenſemus, & præterimus tuto, examinaturi quid de ipſa Methodo Scripturam interpretandi proferat in medium. Præliminariter in genere ſtatuit, *Methodum interpretandi Scripturam, haud differre à Methodo interpretandi naturam, ſed cum ea prorſus convenire.* Quod nobis parum videtur facere ad Rhombum; nam ſive cum ea conveniat vel non, id eam non facit rectam; primo videndum quæ ſit, & tunc qua cum conveniat, nec ne. Nec hoc determinari poteſt niſi primo innoteſcat qua
pag. 85. Methodo ſit interpretanda natura quod hic cum Anonymo diſputare impertinens cenſemus. Hinc ex abſurdis quibuſdam, & ſupra confutatis præmiſſis, concludit, *Cognitionem omnium fere rerum quæ in Scriptura continentur, ab ipſa Scriptura ſola petendam eſſe, ſicuti cognitio naturæ ab ipſa natura.* Quod non gravate concedimus, ſi loquatur de cognitione eorum quæ de rebus in ſcriptura contentis revelata ſunt, nam non niſi ex Scriptura petenda revelatorum cognitio. Si vero velit, de omnibus rebus, in ſcriptura contentis, nihil cognoſci, niſi ex criptura, falſiſſimum eſt. Nam de iis etiam plurima cognoſcuntur à natura, quæ de iis revelata videmus in ſcriptura, & nonnunquam multo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

multo plura. Sunt etiam alia revelata in Scriptura, de quibus nihil in natura, ut Trinitas, incarnatio, juſtificatio per Chriſtum, &c. *Quod ad documenta moralia*, non quidem ex natura demonſtrari poteſt, *Scripturam eadem docere*, idque ex ſola Scriptura patere debet; ſed tamen ex natura demonſtrandum, ea documenta, quæ ex Scriptura cognoſcimus in Scriptura doceri, eſſe documenta moralia, ſeu naturæ inſcripta à Deo. Cum itaque *ſine præjudicio Scripturæ divinitatem teſtari volumus*, *nobis ex eadem ſola conſtare* quidem *debet*, *quænam vera documenta doceat*, ſed eadem *eſſe moralia* ſeu naturæ inſcripta, non opus eſt ut ex Scriptura pateat, poteſt quidem in ſcriptura revelari, uti Rom. 1: 19. 20. revelatur, cognitionem Dei naturæ inſcriptam eſſe, aliquid eſſe naturæ inſcriptum, ſed uti non ſine ratione conſtat revelatum eſſe revelatum, nunquam etiam ſine ratione conſtat revelatum eſſe morale, nam ſemper ex ratione demonſtrandum revelatum naturæ inſcriptum ſeu morale eſſe. *Ex hoc autem* quod in ſcriptura doceantur talia documenta, quæ apertiſſima ratione cognoſcuntur eſſe moralia, *probatur* etiam inter cætera *Scripturæ divinitas*, ſed non *eo ſolo*, ut inquit Anonymus, nam ſic non magis Scriptura quam quodvis aliud ſcriptum, veritatem docens, divina dicenda foret. Fateor etiam alia ſcripta non erronea, quatenus talia, divina dici poſſe, & ſolam Scripturam omni errore liberam eſſe: ſed tamen inde non ſequitur hoc unicum argumentum eſſe quod ejus divinitatem probat. Plura non minus efficacia hic addi poſſe exiſtimo.

§. 2. *Sed*, inquit, *ſi ex ſola Scriptura conſtare non poteſt*, *quod ipſa veram virtutem doceat*, *non ſine magno præjudicio eandem amplecteremur*. Sed plane aberrat, abſque ullo præjudicio eam accipimus, & ex ipſa, ac ſola Scriptura, quærimus quid doceat vel non, ſed quid virtus ſit, vel non, hoc ſcriptura ſola non docet; hoc etiam dictat natura; cujus dictata, ſi cum ſcriptura conveniant, nos duobus modis convincimur. Fatemur tamen, *quod tota ſcripturæ cognitio*, qua cognoſcitur quid in ea Deus voluerit revelare, *ab ipſa ſola peti debeat*, id eſt nullum ſenſum ſcripturæ extrinſece inferendum eſſe, ſed quicquid accipitur ut revelatum in ſcriptura, ex ea ſola petendum eſſe. Unde probamus etiam regulam illam interpretandi univerſalem Anonymi, *Nihil Scripturæ tanquam ejus documentum tribuere*, *quod ex ejus hiſtoria*, ſeu in ea contineri, *quam maxime perſpectum non habeamus*. Nam alioquin non Scripturæ, ſed noſtra traderemus documenta; *Qualis autem Hiſtoria Scripturæ debeat eſſe, & quæ potiſſimum enarrare*, ſeu ad quæ attendendum ſit, & quæ ſint præcognoſcenda, ut cognoſcatur, quid ſcriptura doceat, ſeu quæ contineat documenta, jam videndum ſequitur. Primo *ex tali Hiſtoria* præcognoſcenda *natura & proprietas linguæ, qua libri Scripturæ ſcripti fuerunt, & quam eorum Authores* pag. 86.

loqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

loqui ſolebant. Quod facile concedimus & *Hiſtoriam linguæ Hebrææ præ omnibus neceſſariam eſſe ad intelligentiam librorum V. T.* & ad *libros N. T.* valde utilem minime dubitamus, nullo modo tamen excludentes cognitionem linguæ Arabicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & Græcæ, ſuo modo & ordine etiam non parum utiles.

§. 3. Secundo fatemur non inutile eſſe *cujuſque libri ſententias colligere, & ad ſumma quædam capita reducere*, ut & *notare eas omnes, quæ ambiguæ vel obſcure ſunt, vel quæ invicem repugnare videntur. Apprime cavendum* etiam fatemur, *quamdiu ſenſum Scripturæ quærimus, ne ratiocinio noſtro, quatenus principiis naturalis cognitionis fundatum eſt, præoccupemur, ne verum ſenſum cum veritate confundamus*, dum enim ſcripturam interpretaturi, & ex ea divinitatem ejus, ſeu divina documenta eruituri ſumus, primo conſtare debet de ſenſu, tum de ejus veritate. *Ille ex ſolo linguæ uſu inveſtigandus*, quod fateor, *vel ex ratiocinio, quod nullum aliud fundamentum agnoſcit quam ſcripturam.* Nam ex nulla notione naturali demonſtrari poteſt, quid quis hac aut illa oratione & enunciatione ſignificare voluerit, ſed id tantum ex uſu linguæ quam adhibet, & aliis orationis circumſtantiis innoteſcere debet. Verum cum nulla reperiatur lingua, quæ non plurimas contineat ambiguitates, obſcuritates, & locutiones figuratas, non eſt quibuſdam verbis tribuendus ſenſus plane abſurdus, id eſt rationi repugnans, ſeu principiis naturalis cognitionis, niſi omnes aliæ orationis circumſtantiæ nos à talem ducant ſenſum abſurdum, nullo modo vero ſi aliquæ nos ducant ad contrarium verum, quamvis metaphoricum ſeu figuratum. Nulla enim ſic daretur ratio, cur abſurdum illum ſenſum affingeremus verbis auctoris, & contrarium fit cum omnibus quibuſcum agimus tanquam cum hominibus. Imo nec Anonymo auſi fuiſſemus attribuere myſterium de Deo ab univerſo non diſtincto, niſi vidiſſemus omnia in ejus ſcripto eo tendere, ut hoc præſupponat. Quare non ſufficit, cum Anonymo dicere, *Senſum literalem* ſeu proprium, *quamvis lumini naturali repugnet, retinendum eſſe, ſi non repugnet principiis & fundamentis ex hiſtoria Scripturæ petitis:* nam ſi omnis hiſtoria Scripturæ nos eo non ducat, abſurdum eſt alicujus verbis affingere ſenſum lumini naturali repugnantem; ſæpe enim ſcriptoris ſcopus non eſt illud explicare unde pateat quantum ab abſurdo illo ſenſu abſit, vel etiam verba ſua tantum ad audientium captum attemperat, licet procul abſit ab abſurdo ſenſu, qui vulgo ab audientibus iis eſt annexus. Sic V. C. cum Moſes dicit *Deum eſſe ignem* & *Zelotypum*, iis verbis non eſſet affigendus ſenſus naturali lumini repugnans, licet ex hiſtoria Scripturæ non pateret contrariam eſſe Moſis ſententiam, niſi omnis ejus oratio nos eo duceret, & hanc ejus eſſe mentem, licet abſurdam, ex omnibus circumſtantiis pateret, nam cum ejus ſcopus non fuerit, ex notionibus naturalibus Dei attributa demonſtrare, vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

vel de iis ſuam inſtar doctoris ſententiam explicare, & opinionem, ſed præterea, ad ea quæ dicenda erant, adhibere voluerit modos loquendi uſitatos hominibus quibus loquebatur, facile fieri potuiſſet, ut ex nullo in ejus libris patuiſſet contraria ejus ſententia; quam tamen habere potuiſſet ſi dicas eam ſententiam tunc ex ſcriptura patere non potuiſſe, fateor, nam ſi non exprimat, patere nequit. Et nobis non tam quærendum quæ fuerit Moſis ſententia, quam quid nobis voluerit in ſcriptura narrare & Deus ejus verbis nobis voluerit revelare. *Et contra, ſi horum verborum literalis ſenſus reperiretur repugnare aliorum ejuſdem auctoris verborum ſenſui literali*, non tamen inde ſequeretur hæc *quamvis cum ratione maxime convenientia*, magis quam illa *metaphorice eſſe intelligenda*, poſſent enim utroque loco figurate dici, vel hæc abſque figura, non illa, vel etiam contra. Fateor *ex eo quod hæc opinio cum ratione conveniat, aut quod ei repugnet, concludi non poſſe quid Moſes crediderit, ſed tantum ex aliis ipſius Moſis ſententiis.* Sed ut diximus id nobis non adeo neceſſarium eſt ſcitu, quam quid Moſes nobis voluerit narrare, & Deus per eum nobis revelare, nam divina refert Moſes, non ſua; illum probaſſe ſibi à Deo revelata, non dubitamus: ſed tamen eum extra revelationem per ſe non exiſtimamus infallibilem fuiſſe, uti docent plurima ejus, etiam in Scriptura narrata, peccata. Deinde nec probandum quod addit, *Si aliqua ſententia non reperiatur ex uſu* pag.
linguæ aliud ſignificare, eam nullo etiam alio modo interpretandam eſſe, quan- 87.
tumvis rationi repugnans; ſed contra reliquas omnes, quamvis rationi conſentaneas, huic tamen repugnanti accommodandas eſſe. Nam, præter quam quod vix ulla occurrat ſententia quæ non poſſet in alium quam unum ſenſum ſumi, minus probabile eſt aliquem ſemel aliquo verbo abuſum eſſe, & præter linguæ uſum adhibuiſſe, quam ſemper, & hic, & in plurimis aliis, ratione abuſum fuiſſe; præcipuè cum plures ſint ſententiæ rationi conformes, & unica repugnans. Cur non potius dicendum eum hic contra linguæ uſum locutum fuiſſe, quam & hic & ubique contra rationem; Nam de eo hic tantum diſputatur. *Moſen* itaque *crediſiſſe, vel ſaltem docere voluiſſe, Deum* proprie *eſſe Zelotypum, quamvis id rationi repugnet*, concludi certo non poteſt ex eo *quod nullibi doceat Deum carere paſſionibus:* nam ut dixi ſcopus ejus non eſt Dei naturam abſolute & in ſe explicare & ita adhibere verba quæ eam in ſe & abſolute ſignificant, ſed tantum in ordine ad nos, idque verbis nobis uſitatis & notis; quod ex univerſa ejus ſcriptura patet in mille locis, cuique ubique occurrentibus. Nec hoc eſt *Scripturam ad dictamina noſtræ rationis & ad mentem noſtram detorquere*, ſed ex ipſa Scriptura ejus cognitionem haurire, nam totum illud, quod tale fuerit Moſis propoſitum, & tali Phraſi utatur in Scriptura, ex ipſa Scriptura manifeſtiſſimum eſt, & cuique patere poteſt.

§. 4. *Tertium*, Quod ex hiſtoria Scripturæ præcognoſcendum dicit, *de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

omnis generis circumſtantiis Scripturæ, vita, moribus, & ſtudiis auctorum, &c. id apprime utile eſſe concedimus, & quo id perfectius quis noverit, quo magis ad interpretandam Scripturam aptus fuerit.

§. 5. Poſt hæc tria dicit *tempus eſſe ut ad mentem Prophetarum & Spiritus*
pag. 88. *Sancti inveſtigandam nos accingamus*, ubi ne quidem cogitans de nominis & auxilii divini imploratione eandem dicit obſervandam methodum qua utimur ad interpretationem naturæ. Primo *quærendum quod univerſaliſſimum eſt, Deum eſſe unicum, omnipotentem, qui ſolus adorandus, qui omnes curat, eoſque ſupra omnes diligit, qui ipſum adorant & proximum tanquam ſe ipſum amant*, &c. Quaſi huc non pertineret Deum omnia creaſſe, & continuo conſervare, quod non addit Anonymus, ut foveat Myſterium ſuum de mundo à Deo non diverſo, atque adeo æterno. *Hæc in Scriptura clare doceri dicit*, ſed *quid ſit Deus*, &
Pag. 89. *qua ratione res omnes videat, iiſque provideat, ſimiliaque, Scripturam ex profeſſo, & tanquam æternam doctrinam, docere, negat*. Fateor Scopum Scripturæ non eſſe, explicare quid ſit Dei natura, & quæ ſint operationes ejus in ſeſe, quod ex natura quodammodo innoteſcere poteſt Rom. 1: 18. 19. 20. quamvis non perfecte: Sed tamen ideo cuique liberum non eſt de iis ſentire quicquid placuerit, nam adverſus naturam & legem naturalem peccat, ſi de iis aliud ſentiat quam quod docet recta ratio; & præſupponit ea Scriptura quæ docet ratio.

§. 6. *Ab univerſali Doctrina probe cognita*, *procedendum*, inquit, *deinde ad alia minus univerſalia, quæ tamen communem uſum vitæ ſpectant; uti ſunt omnes veræ virtutis actiones particulares externæ, quæ non niſi data occaſione exerceri poſſunt*, quaſi de internis & ſemper ac ubique obſervandis actionibus nihil in ſcriptura, aut ſpes, fides, charitas, tantum externæ forent actiones, data tantum occaſione exercendæ. *Quicquid circa hæc obſcurum vel ambiguum ex doctrina Scripturæ univerſali explicandum*, concedo, *ſi quæ autem invicem contraria videantur videndum qua occaſione, quo tempore, vel cui ſcripta fuerint*. Sed hoc ſi obſervaſſet Anonymus circa exemplum ab ipſo ex Matt.
pag. 90. 5: 38. 39. productum, non dixiſſet *Chriſti documentum de toleranda injuria, eſſe de impiis in omnibus concedendo*, aut *locum habere*, *in locis ubi juſtitia negligitur & temporibus oppreſſionis, non autem in bona republica*. Sed apertiſſime vidiſſet Chriſtum ſuos auditores & præcipue Diſcipulos ſuos, aliis exemplum futuros, rectam legis mentem & ſententiam docere, ac à Judæorum corruptelis vindicare volentem, hic prohibere vindictam privatam, ſeu demonſtrare Phariſæos legem Moſis Exod. 21: 24. Magiſtratui præſcriptam, male extendere ad vindictam privatam, plane illicitam, & non tantum in locis ubi juſtitia negligitur, & tempore oppreſſionis malam ſed in bona republica licitam, verum ſemper & ubique illicitam, præcipue vero in republica bene conſtitu-

ta:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ta: nullo modo vero præcipere de impiis in omnibus concedendo: nam utrumque ſcilicet impiis in omnibus concedendum, & in bona republica non eſſe tolerandas injurias, ſed privatim vindicandas, aperte repugnat non tantum Chriſti doctrinæ & exemplo ut patet Joh. 18:23. qui etiam permiſit coram judice ſeſe defendere ut patet; ſed etiam rationi naturali, quæ apertiſſime docet malis legitime reſiſtere, & ſeſe contra eos juſte defendere. Ita ut hæc Anonymi interpretatio & Scripturæ & rationis corruptio ſit. Quod idem forte demonſtrari poſſet in loco Jerem. ex Lament. 3. adducto, in quo tamen nihil ſimile huic documento Chriſti apparet. Conferatur. Docuerit hæc Chriſtus tempore corruptæ Reipubl. & neglectæ juſtitiæ, nullo modo docuit id tum demum obſervandum, nam repugnat ejus exemplo, doctrinæ & rationi. Hoc modo & alia ſcripturæ loca corrumpi poſſe concedo. Sed peſſimo inſtituto. *Reliqua quæque*, ut inquit, *ſolius ſunt ſpeculationis, non tam facile indagari poſſunt, via enim ad hæc anguſtior eſt, quia* ſcilicet *in rebus ſpeculativis Prophetæ inter ſe diſſentiebant*, quod concedo ſi minuta conſiderentur & minoris momenti, ſed de præcipuis nego, verum hoc ſupra ſatis fuit diſcuſſum, *quare*, inquit, *minime nobis licet mentem unius Prophetæ ex locis clarioribus alterius concludere, neque explicare niſi evidentiſſime conſtet, eos unam eandemque foviſſe ſententiam.* Bardus ſit qui aliud dicat. Hanc itaque præſcribit methodum eruendi mentem Prophetarum in ſimilibus. Nempe *à maxime univerſalibus incipiendum, inquirendo quid ſit Prophetia, quid miraculum, & ſic porro res maxime communes, de hinc ad opiniones cujuſque Prophetæ deſcendendum, & ex his tandem ad ſenſum cujuſque revelationis, hiſtoriæ, miraculi deſcendendum.* In quibus nihil culpamus, quam quod requirat cognoſci opiniones cujuſque Prophetæ particulares ſcilicet præter revelationem de revelatis, quod nobis minime neceſſarium videtur, quoniam illæ nihil ad prophetias, nec ab ipſis revelatis permiſtæ fuerunt; revelandi modum quidem iis accommodavit, ſed ipſa revelata minime. Forte etiam non inepte mens Prophetiarum innoteſcet, ſi incipientes à primis ſingularibus ſecundum ſcripturæ filum procedamus ad poſteriores à primis, cum Deus magis magiſque gradatim ſe patefecerat, vel etiam ſi incipiamus à Chriſti doctrina; ſed univerſalem regulam hic præſcribi poſſe non exiſtimo; de ſingulis pro diverſiſſimis circumſtantiis ſingulatim videndum exiſtimo. Verum quod addit, *hanc Methodum circa ſenſum revelationum tantum docere, quid revera Prophetæ viderint aut audiverint, non autem quid illis Hieroglyphicis ſignificare aut repræſentare voluerint*, ineptiſſimum eſt, nam cognoſcendum quid prophetis ſignis propheticis ſignificatum ſit, ut cognoſcatur Prophetia. Vel cognoſcendum quid ſignificare voluerint per Hieroglyphica; nam alias non Prophetiæ, ſed ſigna Prophetis propoſita tantum cognoſcuntur Prophetias dari, quarum eventus nec dum certo cognitus eſt, fateor,

pag. 91.

 teor,

teor, ſed tamen ignorari nequit, quid futurum prædictum & revelatum fuerit: nec tantum cognoſcuntur Hieroglyphica Prophetiarum. Quod *rejiciat Judæorum traditiones & Auctoritatem Pontificis*, tanquam minus certum interpretationis Scripturæ fundamentum accipimus. Sed quod dicat *plane deſperandum eſſe, de eo, quod hæc methodus præſtare non poterit, ad integram Scripturæ cognitiorem acquirendam*, nimis temerarium exiſtimo, præcipue cum ipſe fateatur eam ultra prophetarum hieroglyphica non aſcendere. Præterquam quod ipſe in ea quatuor talia deſideret, quæ cenſet incomparabilia; unde per ſe patet eam methodum non niſi admodum inefficacem haberi poſſe, & cum eam exiſtimet optimam, elucet hujus hominis mens impia, quod nulla poſſit haberi certa cognitio revelatorum in Scriptura, quam jam ſupra videbatur adſtruere, cum ad revelationem requireret mentem humana eſſentialiter perfectiorem. Vide nos ſupra ad pag. 7.

pag. 92.

§. 7. *Primam* ſuæ methodi *difficultatem* dicit oriri ex eo, quod *linguæ Hebraicæ integram cognitionem exigat*, quam multis de cauſis hic enumeratis obtineri poſſe negat. Cui repono, quod fatear multa ad eam requiſita deperdita hactenus exiſtimari; ſed addo, quotidie continua diligentia & laboribus virorum doctiſſimorum Druſii, Boxtorfii, Fagii, Bocharti, Coccæii, Capelli, Seldeni, Munſteri, Hottingeri, Scaligeri, &c. aliorumque immenſos factos, & fieri quotidie progreſſus, & patefieri quæ diu deperdita deprædicabantur, tam quoad linguæ fundamenta, & ornamenta, quam nomina fructuum, avium, piſcium, circa quæ immenſam utilitatem præſtitit Bochartus vir nunquam ſatis laudatus, ut & quoad Phraſeologiam ipſam circa quam plurima quotidie deteguntur. Præterea nullus unquam linguam aliquam adeo perfecte novit cui non aliquid inauditum occurrat. Nec ad percipiendam alicujus mentem in aliqua lingua requiritur adeo integra ejus linguæ cognitio. Voluit etiam Deus ſic noſtram excitare diligentiam.

§. 8. Ad hanc accedit *ſecunda*, ſcilicet *ipſa hujus linguæ conſtitutio & natura, ex qua tot oriuntur ambiguitates, ut impoſſibile ſit talem invenire methodum, quæ verum ſenſum omnium orationum Scripturæ certo doceat inveſtigare.* Verum ſic non intelligi poſſet Scriptura certo, licet obtineretur ejus linguæ perfectiſſima cognitio; imo nec Judæi, nec Prophetæ intelligere potuiſſent, nam omnes eadem, ſeu ejuſdem naturæ lingua uſi fuerunt. Quid dico ea non poteſt fuiſſe lingua, nam lingua non eſt, ex qua loquentium mens & ſententia nulla Methodo certo cognoſci poteſt, eum in finem, vel hoc ſolo, lingua eſt lingua, ita ut repugnet lingua tot ambiguitates continens ut nulla certa Methodo poſſit inveſtigari ſenſus orationum. Mathematicam certitudinem hic non requiro, ſed moralem, qualis pro natura rei tantum haberi poteſt. Quantum ad *exempla, quæ tria* profert, ſi quid evincant, non minus

pag. 93.

Anony-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Anonymum quam nos confodiunt, nam totam naturam linguæ deſtruunt. Videamus tamen. *Primo literæ gutturales ſine ullo diſcrimine, nobis ſaltem noto, una pro alia uſurpatur.* Concedamus, inde tamen non ſequitur illud notari & obſervari non poſſe ubi fiat, nam alioquin hoc ſciri & dici non poſſet. Quantum ad præpoſitionem אֶל concedimus etiam varium ejus uſum, ſed eum tamen ex uno quaſi fonte provenire docet Coccejus in lexico, ubi late de ejus uſu. *Secundo multiplex conjunctionum & adverbiorum ſignificatio* etiam conceditur, ſed eam ex uſu, & cognita linguæ natura cognoſci non poſſe, plane negamus, de uſu ו vau & כי he vide Coccei lexicon. De *Tertio multiplici* ſcilicet *defectu verborum* idem dicendum. His tribus duas alias ſuperaddit, prior eſt, *quod Hebræi literas vocales non habeant.* Poſterior, *quod nullis ſignis* *pag.*
orationes diſtinguere ſoleant, neque exprimere, ſive intendere. De punctorum 94.
& accentuum auctoritate hic diſputare nolo, ut nec de auctoribus eorum. Quantum ad duo ſcripturæ loca *Gen.* 47: 21. & *Heb.* 11: 21. ea commodiſſime conciliari poſſe docent interpretes *apud nos ad ea citati* ut & inter criticos varii & inter eos præcipue Druſius puncta rejicit. Sed quod addit, *nec mutua orationum collatione ſuperari poſſe difficultatem* hanc ex linguæ natura profluentem, omnem tranſit abſurditatem, ſic enim lingua non maneret intelligibilis, & lingua; & ineptæ plane ſunt rationes, quas adducit, ad *pag.*
id confirmandum: ut *quod orationum collatio non niſi caſu orationem ali-* 95.
quam illuſtrare poſſit, nam nullus hic caſus; quævis enim per ſe patefacit uſum vocabuli adhibiti, ex natura ejuſdem linguæ. *Non* quidem *ſcripſit unus Propheta eo fine, ut verba alterius, aut ſua ipſa ex profeſſo explicaret*, ſed tamen ſcribendo eadem lingua qua alius, & qua ipſe antea, neceſſario patefit quomodo verbis, quæ adhibet, utatur vel non; & hoc ſufficit; novimus enim eos non ſcripſiſſe grammaticam aut lexicon & ſuis revelationibus inſeruiſſe. *Mentem etiam unius ex alterius mente cognoſci non poſſe*, quamvis abſolute falſum ſit, non requiritur, ſufficit ex pluribus exemplis patere uſum vocabuli, nam de ſenſu literali tantum agitur. Non negamus tamen in Scriptura multa dari inexplicabilia, eſt enim Oceanus aliquis. Sed nihil certi ex ea cognoſci poſſe non minus falſum eſt, quam falſiſſimum; huc tamen tendere videtur Anonymus.

§. 9. *Tertiam difficultatem* dicit oriri ex eo *quod Hiſtoriam caſuum omnium librorum Scripturæ maximam partem ignoremus. Ignoramus enim*, inquit, *multorum librorum authores vel ſcriptores, vel de iiſdem dubitamus.* Quaſi ex ipſo ſcripto de authore nihil concludi poſſet. Vel & authores & omnes ſcriptores, forte & typothetæ cognoſcendi forent, & Bibliopolæ, ut liber aliquis intelligeretur. Nugæ ſunt; nec hic tanta datur ignorantia, quantam clamat Anonymus, ut in ſequentibus demonſtrandum. Bardus ſit qui *Hiſtoriam Orlandi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

furioſi, & *Ovidii*, & *Sampſonis ac Eliæ* ex ipſa narratione diſtinguere non noverit. Ignoramus *qua occaſione & quo tempore libri ſcripti fuerint*; *in quorum manus libri omnes inciderint*, *in quorum exemplaribus tot variæ lectiones repertæ fuerint*; *nec denique an plures aliæ fuerint apud alios lectiones.* Cur quæſo non addit ignorari quibus præſentibus ſcripti ſint libri, qua penna quo atramento, an quidam dono an pecunia poſſederint, quinam tot Lectiones Varias invenerint, qua occaſione quo animo invenerint & infinitas alias circumſtantias præterea, nam etiam *his ignoratis legentes librum res incredibiles & imperceptibiles continentem*, forte *fruſtra de ejus vero ſenſu certiores fieri conabimur.* Pol! quid nugari, ſi hoc non ſit. Notate quo loco ſit ei interpretatio ſcripturæ, ſcilicet impoſſibilis plane. *Nam*, inquit, *his omnibus ignoratis*, *minime ſcire poßumus quid author intenderit*, *aut intendere potuerit*, &c. Non nego itaque horum omnium certam notitiam ad diſtinctum intellectum Scripturæ multum facere; quare etiam continuo ſtudio hæc omnibus modis inquirenda exiſtimo; ſed nego partim nullam eorum notitiam dari; partim abſque plane perfecta eorum notitia minime ſciri poſſe, quid author intenderit, & nos fruſtra de libri vero ſenſu certiores fieri conari. Nec hoc ulla ratione probatum exiſtimo ab Anonymo.

§. 10. *Quarta* difficultas eſt, *quod libros quoſdam Scripturæ*, *eadem lingua qua primum ſcripti fuerunt*, *non habeamus.* Quales tres tantum profert
pag. 96. *Euangelium Matthæi*, & *Epiſtolam ad Hebræos*, quos dicit *ex communi opinione Hebraice ſcriptos.* Quod falſum eſſe, plurimi viri doctiſſimi accuratiſſime demonſtrarunt.

§. 11. Has autem difficultates adeo magnas exiſtimat, ut affirmare non dubitet, *nos verum Scripturæ ſenſum*, *plurimis in locis vel ignorare*, *vel ſine certi-*
pag. 97. *tudine hariolari.* Plurimis in locis magnas dari difficultates in Scriptura interpretanda nullus negaverit, concedunt etiam omnes qui ei interpretandæ operam ſuam unquam impenderunt. Confer hic Aretium loc. co. 54. pag. 154. &c. Et alios qui de Scripturarum claritate agunt. Sed tamen ideo dici nequit, *nos minime ſcire*, *quid intenderint authores Scripturæ*, *vel intendere potuerint*, *ac nos fruſtra conari de vero Scripturæ ſenſu certiores fieri.* Ut loquitur Anonymus in fine pag. 95. Duritiem hujus ſuæ ſententiæ quidem aliquantulum emollire videri vult, ſed re ipſa deſtruit omnem cognitionem revelatam & ex Scriptura quæſitam nec non ſibi manifeſte contradicit. Ait enim *has omnes difficultates impedire tantum poſſe*, *quo minus mentem Prophetarum aſſequamur circa res imperceptibiles*, *& quas tantum imaginari*: *at non circa res quas intellectu aſſequi*, *& quorum clarum poſſumus formare conceptum.* At ſupra cap. 1. per totum & præcipue pag. 14. concludit & aſſerit *Prophetas non niſi ope imaginationis Dei revelata percepiſſe*, ſi jam vero hæ difficultates impediant qno minus

mentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mentem Prophetarum aſſequamur, circa res quas tantum imaginari poſſumus, impedient, ut ullas Prophetias, ſeu ulla revelata à Deo per Prophetas & ex ſcriptura cognoſcamus. Atque ita fit inanis tota ſcriptura.

§. 12. Cum vero addit *eas difficultates non impedire quo minus mentem Prophetarum aſſequamur circa res quas & intellectu aſſequi, & quarum clarum poſſumus facile formare conceptum*, ſeu *quæ ſua natura facile percipiuntur* manifeſte ſibi contradicit, & ſecundo inanem reddit Scripturam, nam cum illæ tantum, ſecundum eum, ſint res natura notæ ex principiis naturalibus, Philoſophiam confundit cum Theologia, ſtatuens ex ſcriptura nil ſatis clare percipi niſi quod natura docet, naturam & Philoſophiam ſic ſtatuens normam Theologiæ, à quibus adeo abhorret pag. 30. & cap. 15. imo quarum diſtinctio præcipuus dicitur Scopus totius tractatus. Præterquam quod ſic inutilis plane ſit Scriptura; quicquid enim, ex ea poteſt intelligi ex natura notum eſt. Notate quis hujus hominus animus ſit, cum adeo clamat Theologiam à Philoſophia ſeparandam eſſe, ſcilicet abjecta omni ſcriptura & Theologia revelata, ſolo impetu naturæ corporeæ vitam omnem hominum inſtitui & inſtituendam, quod omnis impietatis fertiliſſimum fundamentum eſt.

§. 13. Eodem tendit quod hinc ulterius concludit, ſcilicet nos *cum in iis tantum vere acquieſcamus quæ clariſſime intelligimus, & vera ſalus ac beatitudo in vera animi acquieſcentia conſiſtat, mentem Scripturæ circa res ſalutares, & ad beatitudinem neceſſarias certo poſſe aſſequi.* Nam cum ſola natura nota, ſecundum ipſum, clare intelligamus, & revelata tantum imaginemur, ſic non ex revelatione in ſcriptura, ſed ex natura ejuſque principiis obtinebitur beatitudo, & quicquid ex hac innoteſcit, tantum in ſcriptura intelligitur, atque adeo non ex Scriptura ſed natura ſalus: & cum omnes claræ perceptiones in nobis nihil ſint præter motum, tota ſalus & beatitudo, nil niſi univerſi certa quædam diſpoſitio. Imo expreſſe addit, *quemque jam videre*, hanc *Methodum,* *pag.*
nullum lumen præter ipſum naturale exigere. Notate quam egregie hic homo *98.*
ſcripturam admittat; Theologiam à Philoſophia diſcernat; & ſibi conſtet in præcipuis quæ ſuo tractatu proponenda judicaverat, &c. vide ſequentia. Hinc tranſit *ad examen ſententiarum à ſe diſcrepantium*, & *primo* exagitat eos qui *ad ſcripturam interpretandam* ſtatuunt *requiri lumen ſupernaturale.* Quod inexplicabile ridet & per contemptum rejicit. Sed explicabimus ſi ipſe nobis ſuum naturale lumen explicaverit. Exiſtimamus enim eſſe mentis perfectionem à Deo conceſſam, qua ei veritates in ſcriptura contentæ patefiant & innoteſcant. Non fanaticum quid hic requirimus aut admittimus, ſed divinum, ſanum, ſincerum, vide nos ſupra de lumine naturali & ſupernaturali, *Lumen autem naturale ad hoc non ſufficere falſum eſſe* probat *duobus argumentis*, tum ex eo I. *quod difficultas interpretandi ſcripturam orta non ſit, ex defectu virium luminis*

natu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

naturalis, ſed tantum ex hominum ſocordia vel malitia, qui Hiſtoriam ſcripturæ dum eam concinnare poterant neglexerunt. Verum quomodo hæc cohærent cum ante datis cauſis difficultatis interpretandi: harum enim prima erat integra cognitio linguæ Hebrææ, quam demonſtravimus nulli unquam comparabilem omni cura & diligentia. Secunda erat ipſa linguæ Hebrææ conſtitutio & natura; quæ diligentia certe mutari non potuit: non potuit mutari multiplex uſus literarum gutturalium, nec varia ſignificatio conjunctionum & adverbiorum; Nec reſtitui temporum modi quibus carent Hebræorum verba. Quomodo itaque dici poteſt ſolam negligentiam hujus difficultatis cauſam eſſe. Non quidem nego ex ea multas nobis dari difficultates, ſed non pauciores, imo infinitæ plures nobis creantur à mentis noſtræ tenebris, & voluntatis perverſitate, qua nobis ſtultia ſunt à Deo revelata, nec ſe iis ſubjicit animalis homo, nec poteſt, 1 Cor. 2: 14. Rom. 8: 7. multas etiam nobis creant alta Dei myſteria, ſalutis nobis de Deo, fœdere, gratia, incarnatione, juſtificatione, reſurrectione, &c. revelata. Sed his non eget Anonymus qui per naturam beatitudinem quærit. Tum ex eo II. *quod hoc lumen ſupernaturale donum ſit divinum fidelibus tantum conceſſum. At prophetæ & Apoſtoli maxime infidelibus & impiis prædicare ſolebant, quique adeo apti erant, ad mentem Prophetarum & Apoſtolorum intelligendam.* Verum ignorat alium eſſe eorum intellectum piorum & impiorum: hi intelligunt quantum ſufficit ad inculpabilitatem, convictionem & condemnationem; illi vero præterea ad veram fidem, ſalutem & beatitudinem, apertis mentis oculis & parata voluntate. Illis autem æque ac his locuti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, quia noverant verbi prædicatione diſpelli mentis tenebras, & flecti voluntates, ſola Dei gratia verbo ſeſe ſubjicientium, qui quales futuri eſſent, cum ignorarent, ſcirent tamen Deum ex omni populo ſuam colligere Eccleſiam, omnibus loqui tenebantur, non quod ſcirent omnes ſufficienti gratia & lumine ſalutari præditos eſſe, ſed quod ſcirent, omnes eſſe tales, quibus Deus ſuam gratiam per verbi prædicationem communicare poſſet, ſi vellet. Ita ut hinc nullam poſſit Anonymus facere concluſionem.
pag. Et abſurde dicat *eos alias puerulis & infantibus prædicaſſe.* Ac *Moſen fruſtra*
99. *legem præſcripſiſſe, cum fideles nulla indigeant lege.* Indigent enim, ut perficiantur, & conſerventur in fide, hic enim non niſi ex parte tales ſumus, & optini egent auxilio. Sed jam neſcit hic quid ſcribat Anonymus & ut ipſis ejus verbis utar *lumine naturali indigere videtur, cum lumen ſupernaturale ad mentem Prophetarum & Apoſtolorum intelligendam requiri negat.*

§. 14. Quantum *ad ſententiam*, quam Anonymus *Maimonidæ* tribuit, (quam recte, nec inquirimus, nec diſputamus) eam eo uſque probamus quod *non* exiſtimemus *ulli ſcripturæ loco convenire ſenſum aliquem manifeſtæ rationi repugnantem*: nam verum vero contrarium eſſe non poſſe, nobis dubio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

bio caret. Sed *quemvis ſcripturæ locum varios, imo contrarios ſenſus admittere, nec nos de vero ullius certos eſſe, niſi ſciamus locum illum, prout illum interpretamur, nihil continere quod cum ratione non conveniat*, ſeu ex ea deduci & innoteſcere non poſſit, *aut quod ei repugnet, abſurdiſſimum* exiſtimamus, à Paradoxi interpretis delirio non multum diverſum. Cujus nugas, cum nec ipſe Anonymus hæc probet, hic exagitare nec libet, nec vacat.

§. 15. Veruntamen præterire non poſſum, ut demonſtrem quam abſurde ſibi contradicendo hanc Maimonidis ſententiam rejiciat. *Si hæc ſententia vera eſſet*, quod de vero ſenſu Scripturæ quamvis claro non poſſimus eſſe certi, quamdiu de veritate non conſtat, *abſolute*, inquit, *concederem nos alio præter lumen naturale indigere ad Scripturam interpretandam.* Sed an non videt ſe ipſum nihil aliud ſtatuere, cum *pag.* 97. aſſerit, à ſe enumeratas ſuæ methodi inſuperabiles difficultates impedire, quo minus mentem Prophetarum aſſequamur circa res imperceptibiles, non autem circa res quas & intellectu aſſequi, & quarum clarum poſſumus formare conceptum; nam res quas & intellectu aſſequi & quarum clarum dicimur formare conceptum, ipſi eædem ſunt, cum illis, de quarum veritate conſtat, ut patebit legenti totum cap. 4. de Lege Naturali. Cum ergo hanc addit Anonymus rationem dicens *fere omnia quæ in Scripturis reperiuntur deduci nequeunt ex principiis lumine naturali notis & conſequenter alio neceſſario lumine indigeremus*, etiam ſe oppugnat, nam etiam ipſe concedit *fere omnia ab imaginatione dependere & imperceptibilia eſſe*; Sed tantum ex adverſo concludit, non quod egeamus lumine ſupernaturali ad ea intelligenda, ſed tantum quod nihil intelligi poſſit niſi clarum, rejiciens ita cum lumine naturali univerſam Scripturam; & hæc tantum eſt diſcrepantia inter hunc Exjudæum, & illum verum, hæc ſcilicet ejus converſio, à Scriptura ad naturam, à Deo ad univerſum. Similiter cætera quæ *de Philoſophis opponit* Maimonidi etiam eodem modo in ipſum retorqueri poſſunt, nam per ſua *clara & intelligibilia* per totum tractatum nihil aliud intelligit, quam ex naturæ principiis nota & certa, quamvis, ſecundum ipſum, vulgus forte ea ex iis Philoſophice deducere nequeat, eaque tantum *percipiat tanquam communia & uſitata*, cum non niſi facillime & ſine labore ex iis principiis profluentia & omnibus occurrentia cognoſcat. Cætera quæ Maimonidi tribuit I. Prophetas in omnibus, etiam extra revelationem inter ſe conveniſſe, ſummoſque fuiſſe Philoſophos & Theologos. II. Senſum Scripturæ ex Scriptura conſtare non poſſe. III. Licere ſecundum præconceptas opiniones Scripturæ verba explicare, torquere, &c. non minus rejicimus ac ullus. Sed quod hic narret *ſe ſua methodo explicare & ſecure diſſerere poſſe de iis quæ ſunt indemonſtrabilia, & quæ maximam partem Scripturæ componunt*, minus eſt quam quidem primo intuitu videtur; nam pag. 97. aſſerit ſuas methodi difficultates facere ut verum

pag. 100. *pag.* 101. *pag.* 102.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Scripturæ ſenſum in iis vel ignoremus vel hariolemur ſine certitudine; ita ut omnis ſecurus ejus, de maxima Scripturæ parte, diſcurſus, paucis natura notis exceptis, tantum ſit in ignorantia & incertitudine de vero ejus ſenſu. Nec quicquam dicit ultra Maimonidem quem oppugnare videri voluit, utpote qui etiam concedit illa indemonſtrabilia ignorari & hariolando explicari poſſe, & tantum negat verum eorum ſenſum certo innoteſcere. Ita ut utriuſque *methodus* æque *inutilis ſit*. Et aſſumenda Methodus quæ ex ſola Scriptura ſenſum quærit, & quemvis admittit, licet rationem tranſcendat, repugnare vero non poteſt, quia is ſenſus non foret, cum ſeſe deſtrueret & oppugnaret. *Phariſæorum traditiones ſibi non conſtare*, cuique manifeſtum agnoſcimus. *Pontificum Romanorum auctoritatem luculentiori teſtimonio indigere*, ſimiliter probamus. Cætera quæ addit ſcrupuloſius examinare nihil attinet.

§. 16. Sed tamen prætermittere non poſſumus ineptam quam in fine capitis hujus format Concluſionem, ex præmiſſa non adeo abſurda, ſed vera; ſcilicet ex eo quod *cuique adſit authoritas ſibi explicandi Scripturam*, concludit, *pag. 103.* *illius interpretationis ergo non aliam debere eſſe normam præter lumen naturale omnibus commune, non ullum ſupra naturam lumen, neque ulla externa authoritas*: Nam inde quidem ſequitur, quod cuique neceſſario adſit lumen aliquod omnibus commune, quo Scripturam explicare in tantum poſſit, ut plane inexcuſabilis ſit, & non niſi ſua culpa eam non intelligat. Ut & quod nulla teneatur in ea authoritate diverſa à Scriptura. Aut ullo lumine ſupernaturaliter præter Scripturam quid patefaciente; Sed nullo modo ſequitur illud lumen omnibus præſens eſſe normam interpretationis: Multo minus eo lumine ſufficienter ad ſalutem intelligi & explicari poſſe, & ad eam ſalutariter intelligendam & explicandam non requiri gratioſam virtutem divinam, menti inſtar luminis patefacientem plurima quæ in ea naturali lumini imperceptibilia, & ſtulta ſunt, vel ab ea obſervari non poſſunt. Nam quiſque tenetur Scripturam prout eſt in ſe explicare, & ſic ea ſibi norma ſui eſt, ut omnis regula norma ſui, & id facere lumine ſibi conceſſo, ac, obſervans non ſufficere lumen naturale omnibus commune, petere gratioſum divinum auxilium, quod oculos illuminet, mentem intendat, nebulas diſpellat, & ſic faciat percipere patefactas in Scriptura veritates, ac deinceps voluntatem flectat ut ei ſe ſubjiciat, & adhæreat indubitata fide. Et hæc demum erit vera methodus, cui Deus ſuam gratiam non denegabit, & quæ idcirco proculdubio ſalutaris erit. Sed quam procul ab ea abſit Anonymus ex hac concluſione patet, ubi *lumen naturale* conſtituit *normam interpretandi Scripturam*. Quamvis ipſe fateatur non tantum ſeparandam eſſe Philoſophiam à Theologia, ſed etiam omnia fere quæ reperiuntur in Scripturis, talia eſſe, de quorum veritate, ex vi luminis naturalis, nihil nobis conſtare poteſt & oppugnet Maimonidem, ſtatuentem nos de vero

ſenſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſenſu Scripturæ, quantumvis claro, certos eſſe non poſſe, quamdiu de rei veritate ex lumine naturali nihil conſtat. In hoc tantum diſtans ab eo, quod cenſeat nihil ex Scriptura certo cognoſci niſi quod ratio naturalis ſine ſtudio quemvis doceat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

In quo oſtenditur Pentateuchon & libros Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, & Regum, non eſſe autographa. Deinde inquiritur an eorum omnium Scriptores plures fuerint, an unus tantum? & quinam?

§. 1. SI rurſum capitis hujus vultum aſpiciamus, omnibus bonis arridere videbitur, & complacere quam maxime, ſed accuratius adtendenti, manifeſte patebit eundem aucthorem qui ſupra, fictam aſſumpſiſſe perſonam. Conqueritur *hiſtoriæ ſcripturæ*, *quam*, ut ſupra vidimus, dicit *fundamentum cognitionis Scripturarum*, a *Veteribus neglectam fuiſſe*, *vel quicquid traditum fuit*, *temporum injuria*, *non modo periiſſe & intercidiſſe*, ſed *poſteros etiam nova & de proprio cerebro ſubſtituiſſe*. *Quæ emendare*, *& communia Theologiæ præjudicia tollere*, *ſuum* dicit *inſtitutum*. Bona verba certe: nullus enim veritatis ſtudioſus non agnoſcit ad eam hiſtoriam, ut perfecta ſit, plurima deſiderari; nec quiſquam negare poteſt multorum fraudibus etiam infinita dubia, fluxa, fabuloſa & incerta fuiſſe ſubſtituta; unde varia, cum ſine ſufficienti examine admitterentur, præjudicia non oriri non potuerint. Hæc emendari, corrigi & tolli quis non ardentiſſime flagitaret & optaret. Sed procul abeſt ab eo quod præ ſe fert. Pro emendatione corrumpit quam obtinemus Scripturæ Hiſtoriam. Pro veritate fabulas captat. Et inaudita fingit figmenta. Ac præjudicia dicit omnia, quæ cum ejus cerebro non conveniunt, licet poſt accuratiſſimum examen, quod in talibus fieri poteſt, tanta certitudine, ſucceſſive per plurimos annos fuerint admiſſa, quanta rerum natura fert, & probata. Hujuſque certitudinis ſibi conſcius, eam pro *præjudiciorum radicibus habet*, & *pertinacia defendendi quod ſub ſpecie religionis amplexum fuit*. Sed toto cœlo aberrat; non ita ſe res habet inter veritatis ſtudioſos. Veritatem a præjudiciis diſcernere norunt. Et diuturno exercitio ſua præjudicia ſic norunt ſeponere, ut veritatis inquiſitioni vix obſint. Diverſos hic dari perfectionis gradus non negamus. Reperiri etiam qui in præjudiciis profunde demerſi jacent, nimis

Anonym. cap. 8. pag. 103.

pag. 104.

 aper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

apertum ut ab aliquo negaretur. Verum Anonymus non corrigit, ſed à malis deducit ad pejora, imo peſſima, non modo præjudicia, ſed figmenta abſurdiſſima, & errores plurimum deteſtandos. Hoc ut pateat, rem aggrediamur.

§. 2. *Incipit a præjudiciis circa veros Scriptores Sacrorum librorum.* Primo *de Scriptore Pentateuchi*, quem fere *omnes Moſen eſſe* crediderunt. Quod hic *negat Anonymus*, aſſerens *alium fuiſſe librum quem Moſes ſcripſit*, eumque *his inſertum fatetur.* In hanc ſententiam præmittit *Aben Hezræ argumenta ſex*; Sed cum hæc, nec omnia, nec præcipua cenſeat, *ipſe quatuor alia* ſuperaddit. Singula ſpectanda. I *Notat ipſam Deuteronomii Præfationem, quæ a Moſe, qui Jordanem non tranſivit, ſcribi non potuit.* Sed cum vox בְּעֵבֶר in tranſitu ab Hebræis adhibeatur, ſive ultra Jordanem, ſive citra Jordanem velint dicere, & quid intelligant, non niſi ex aliunde cognito loco dicentis con-
pag. 105. cludi poſſit, ac de Moſe conſtet, eum Jordanem non tranſiiſſe, idque concedatur, hinc minime concludi poteſt Moſen hoc non ſcripſiſſe. Sed tantum Moſen hæc ſcripſiſſe citra Jordanem, ſcil. ad partem Jordanis orientalem, cum Canaan eſſet ad occidentalem. II. *Quod totus liber Moſis deſcriptus fuerit admodum diſerte in ſolo ambitu unius aræ, quæ ex Rabbinorum relatione duodecim tantum lapidibus conſtabat, ex quo*, inquit, *ſequitur librum Moſis longe minoris fuiſſe molis, quam Pentateuchon.* Deut: 27. 3. 8. Joſ: 8. 32. Sed cum illis locis non ſit mentio totius libri Moſis, ſed legis. Qua vel intelligi poteſt Decalogus, vel ad ſummum repetitio, vel etiam Caput Deut. 27. & 28. quibus continentur præmia legis & pœnæ, nec ullius certitudinis ſit Rabbinorum traditio de duodecim tantum lapidibus aut quicquam conſtet de eorum magnitudine. Imo ipſe textus & Moſis & Joſuæ ferat intelligi diſtinctos fuiſſe lapides, quibus lex inſcribebatur ab iis, unde conſtruebatur ara, ut notarunt Interpret. Belg. ad Joſuam & Druſius ibid. de linguis 70. & aliis hic utilibus, vide Maſium & Druſium ad Joſuam, confer Burm. ad Deut: 27. Quid vero Aben Ezra per ſuum myſterium duodecim intellexerit parum ad nos. III. *Notat dici Deut:* 3. 9. *& ſcripſit Moſes legem, quæ quidem verba non poſſunt eſſe Moſis, ſed alterius ſcriptoris Moſis facta & Scripta narrantis.* cui reſpondemus, quod præterquam, quod abſurdum non ſit, auctorem aliquem de ſe quid narrantem, loqui in tertia perſona, non adeo improbabile ſit, hæc quatuor poſteriora capita a Joſua conſcripta fuiſſe, & ab iis qui Scripturæ libros conjunxerunt, addita libris Moſis, quia continent Moſis Teſtamentum & extrema. IV. *Notat Gen:* 12. 6. *Canahanitam tunc temporis in illa terra fuiſſe dici, & concludit hæc ideo poſt mortem Moſis, & cum Canahanitæ jam erant expulſi, ſcribi debuiſſe.* Verum aberrat, hæc enim adjeciſſe videtur Moſes, tum ut pateret Abrahamum non inveniſſe terram vacuam, ejus

inco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

incolas non deleviſſe, ut jam poſtea ab ipſis agendum erat, tum ut innoteſceret qua ratione ipſe tunc non ut dominus & poſſeſſor illius terræ in ea vixerit, ſed inter alios qui Domini erant; ita ut longe alia futura foret eorum inhabitatio illius terræ quam hæc Abrahami, quæ forte tantum umbra illius futuræ, cum omnium Canahanitarum plenaria deletione, ut patebit ex attentione ad Promiſſionem Abrahamo verſ. 17. factam. Quare hanc Anonymi Gloſſam, quam etiam profert Hobbes Leviath. pag: 394. Serpens ab aſpide venenum, pro iniquiſſima habemus detorſione, ex ſolo præjudicio profluente. V. Notat *quod Gen: 22. 14. Mons Morya vocetur Mons Dei, & quod nomen illud non habuerit niſi poſtquam ædificationi templi dicatus fuit, quod contigiſſe non potuit tempore Moſis, qui nullum locum Deo electum indicat, ſed contra prædicit Deum locum aliquem olim electurum, cui nomen Dei imponetur.* Verum hic mul- *pag. 106.*
tis modis aberrat. Nam mons ille non mons Dei dicitur, ſed Mons Deus Providebit. Et cum Moſes prædicit nullum Deo electum locum, poſtea eligengendum, de tali loquitur cui omnis alligetur cultus divinus, at talis hic non conſtituitur mons Morya; ſed poſtea; unde & poſtea demum Mons Dei dicitur; hic vero Abrahamus hunc montem in memoriam ejus, quod ipſi in illo contigerat, a reſponſione quam ipſe occulta directione divina filio dederat Gen: 22. 8. denominavit Deus Providebit, de qua denominatione Moſes dicit quod ad ſua uſque tempora, inter Judæos proverbialiter adhibebatur parva mutatione facta, ab iis qui ut Abraham in extrema neceſſitate conſtituti, & omni ſpe auxilii deſtituti ſeſe ſoli Divinæ providentiæ committebant; quod idem ex parte in Hiſpania uſitatum narrat Lud. Vives ad Auguſt. de Civ. lib. 16. cap. 32. Dicentes Deus videbit, quaſi exſeret & oſtendet vim ſuam: apud Druſium Crit. t. 8. pag. 1597. Hæc etiam videtur fuiſſe ratio nominis Moryæ, quod Auguſtinus ſupra & alii vertunt Deus vidit, apparuit, videri ſe fecit; Quo non improbabile Abrahamum, vel Deum per Abrahamum, cujus hæc tota actio futura in Chriſto præfigurabat, ſignificaſſe Deum etiam ibi appariturum in carne, uti contigit, quemadmodum hunc locum accuratiſſime Chriſto applicatum vide apud B. t. 1. p. 177. late apud Fagium Crit. t. 99. p. 23. 24. Confer & Crit. ad hunc locum & præcipue Fagium & Grotium. Atque adeo hic Anonymo nihil præſidii contra autentiam Pentateuchi Moſaici. VI. Notat *modum loquendi qui Deut. 3. 11. 14. inſeritur narrationi Og Regis Baſan ejus tantum eſſe qui res antiquiſſimas narrat, quique reliquias ad fidem faciendam indicat.* Sed plane aberrat, nihil enim dicitur quod Moſi non accuratiſſime conveniat. Examinemus & videbimus. Vers. 11. dicitur *Tantum Og Rex Baſan ſuperstat de reliquo Rephaim* ſeu Gigantum. An hoc nomen Rephaim proprium ſit, quod non videtur, cum propriis nominibus raticulum addi non ſoleat, ut huic fit, 2. Sam. 21. 16. quare 2. Sam. 24. 16.

 partem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

patrem indigitari unum ex Rephaim, ut ibid. vers 18. 20. 22. & Chron. 20. 4. 6. 8. credibile eſt. An vero gentilitium, ut probabile videtur ex Gen. 14. 5. & 15.20. & Deut. 2. 11. Et quænam ſit illius nominis ratio, ſeu an ſic dicti, ut Hebræi narrant, quod homines ad eorum conſpectum emorerentur, an quod tanquam manes & ſpectra inter homines verſarentur, an quod in ſpeluncis & antris degerent, aut alia quædam conjectura vera ſit, hic nihil ad rem facit. Et Deut. 2. 10. 11. 20. ſatis patet, quod intelligantur homines magnæ ſtaturæ: an vero tantæ, ac fingunt Rabbini, quorum figmentis non diſſimilia ſunt Poetarum mendacia, de ſuo Tiphœo, quæ inter ſe comparata vide apud Voſſium de Idol. lib. 1. 26. p. 98. nullo modo credibile eſt. Unicum Og Moſis tempore de reliquis ſuperſtitem fuiſſe, quomodo recte narretur a Moſe, patebit cuique conferenti Deut. 2. 9. 10. 11. 12. ubi apertiſſimum, illud diu ante tempus Moſis contigiſſe. Cum autem addit Moſes, *Ecce lectus ejus lectus ferri nonne ipſe in Rabbath filiorum Hammon, novem cubitos longus*, non ex antiquitate reliqua ſibi fidem facere voluit, ut hic Anonymus ſomniat, ſed ex lecto regis Og ſuperſtite vel a devaſtatione totius ejus regni Baſan, vel etiam ex ſpoliis Ammonitarum ex illo regno, quod tamen ſuperare non potuerant, vel forte ſi in ipſum regnum non pervenerint, ex caſtra aliorum gigantum, quibus forte Og auxilium præbuit, ejus Hominis magnitudinem, & inde gratiæ divinæ, qua talem ſuperaverant, excellentiam evincere conatur, nullum plane præſidium quærens in antiquitate. Quod autem ille lectus tempore primum Davidis, qui hanc urbem ſubegit, ut in libr. 2. Sam. 12. 30. narratur, inventus fuerit, non niſi Anonymi inepta conjectura eſt, omni fundamento deſtituta, nam prædicto loco ne verbum de hoc lecto. Et quamvis id conſtaret, nil adverſus nos, nam inter Ammonitas potuit fuiſſe reſervatus ad Davidem uſque, ſi tunc fuerit, quod minime conſtat. Sic & quod verſ. 14. dicitur *quod Jair filius Manaſſis cepit totam juriſdictionem Argobi, uſque ad terminum Geſuritæ & Mahachatitæ, vocavitque illa loca ſuo nomine cum Baſan Pagos Jairi uſque in hunc diem*, nihil aliud eſt quam expreſſio hæreditatis Jairi, qui filius Manaſſis dicitur, quia avus ejus duxerat filiam Machiri filii Manaſſis Gen. 50. 23. ut patet, Chron. 2. 21. 22. qualis apertius fit Num. 32. 41. Hic autem fit addita denominatione, tum antiqua, qua vel inter Iſraelitas denominata fuerat a duodecim ſpeculatoribus a Moſe miſſis, vel uti Deut. 2. 21. 22. terra gigantum, vide Num. 13. & qua denominabatur inter eos qui eam poſſederant, juriſdictio Argobi, tum nova ab ipſo Jairo impoſita, pagi vel villæ Jairi, quam addit ab omnibus ſuo tempore eyctenus aſſumptam. Ita ut hic nihil quod non a Moſe proceſſerit appareat.

§. Sex his Aben Ezræ argumentis, quibus *nec omnia*, *nec præcipua notata* dici

dicit, quatuor ut ait, *majoris momenti* ſuperaddit. Quorum Primum, *quod horum librorum Scriptor de Moſe non tantum in tertia perſona loquatur, ſed quod de eo inſuper multa teſtetur.* Ad quæ reſpondemus, quod doctus inter Judæos Menaſſe probl. 6. de Creat. cenſeat Moſen ſic retuliſſe ipſa verba quibus ſua revelata receperat. Nec id inuſitatum omnis generis Scriptoribus hiſtoricis, ſi ipſi hiſtoriæ partem faciant, uti hic Moſes; infinita patent hujus exempla in Reydio, Aitzma, & aliis Belgicis, qui ipſi rebus agendis interfuerunt & præfuerunt. Unde cum Num. 12. 3. de ſe dicit, *Moſen omnium Hominum humillimum* fuiſſe, nihil aliud ſignificat, quam ſe in hoc caſu, tam parum vindictæ aut ſuperbiæ cupidum fuiſſe, ac ullus hominum, quo ſe non extulit, ſed tantum, quod verum erat, narrabat, nullum externum actum vindictæ vel ſuperbiæ in Moſe hinc apparuiſſe. Et contra Num. 31. 14. narrat *ſe ſumma iræ ſigna revelaſſe ſeu* oſtendiſſe. Et revera videtur hic uſus tertia perſona quaſi a ſe alia, ne videretur ſe magnifacere & laudare; quo modo enim hæc narraſſet, nunquam minus ſui laudem evitare potuit quam in tertia perſona. Quod autem in Deuteronomio loquatur in prima Perſona, eſt quod ibi repetat ea quæ dicit tanquam hiſtoriam ante narratam, cum antea narraret hiſtoriam prout contigerat, & cujus ipſe partem faciebat & idcirco in tertia perſona. Præterquam quod alii putent hæc teſtimonia Moſis de ſe Num. 12. 3. &c. inſerta fuiſſe vel a Samuele, vel Eſdra, vide B. T. 2. p. 776. ad Deut. 2. 10. 12. Secundo notat quod *Deut.* 34: 10. *facta comparatione Moſis cum omnibus Prophetis, qui poſtea vixerunt, dicatur ipſum omnes excelluiſſe, quod non Moſes ipſe de ſe, nec alius qui eum immediate ſecutus eſt, ſed aliquis qui multis poſt ſeculis vixit.* Sed omnino abberrat; ab alio quam a Moſe ſcriptum fuiſſe caput illud negari non poteſt. Verum falſum eſt, hic fieri comparationem cum omnibus Prophetis qui poſtea extiterunt; Simpliciter enim narrat Scriptura nunquam, ad ſuum uſque tempus ſcilicet Moſi ſimilem quem extitiſſe. Non quod velimus poſteris temporibus ſurrexiſſe Prophetam ſimilem Moſi, ſed id hic aſſeri negemus. Atque adeo non repugnat hunc Scriptorem Moſi immediate ſucceſſiſſe ſed tantum patet eum non immediate poſt Moſis Mortem hæc tradidiſſe. Quare nihil obeſt, cur non Joſua qui centeſimum & decimum annum attigit, Joſ. 23. 29. hæc ultima Moſis, diu poſt mortem Moſis conſcripſerit. Quod idem etiam applicandum ei quod dicitur neminem noviſſe Moſis Sepulturam in hunc uſque diem. Tertio *notat Gen.* 14. 14. *dici Abrahamum hoſtes perſecutum eſſe uſque ad Dan, quod nomen hæc urbs non obtinuit, niſi longe poſt mortem Joſuæ, Jud.* 18. 29. Verum iterum toto cœlo abberrat, nam in Geneſi non ſignificatur illa civitas, de quà Judic. 18. 29. mentio fit, quæ demum poſtea ſic fuit denominata, ſed alter ex fontibus Jordanis Dan dictus, qui cum altero Jor dicto, per exeuntes & convenientes rivos compoſitum com-

poſuerunt

pag. 107.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

poſuerunt Jordanem, qui eo nomine jam modo gaudebant diu ante mortem Moſis, utpote qui ſæpe Jordanis mentionem facit, vide Gen. 13. 10. & 32. 10. Situs autem erat ille fons ad radices Libani & conjungebatur cum altero Jor, juxta eum locum tribus Naphtali, ubi Lais civitas ædificata, poſtea Dan dicta, & tandem Cæſarea Philippi, quod nomen ei indidit Philippus Tetrarcha in gratiam Tiberii; poſtea Neronia dicta fuit in honorem Neronis. Hieronymus vocat oppidum Phœnices ſuo tempore dictum Paneas a Romanis, quamvis etiam alibi ab eo diſtinguere videatur. Ita ut hic a Moſe tradatur Abrahamum eos inſecutum fuiſſe, ad ultimos terminos terræ, ad ipſos ſcilicet Libani montes. Quæ vero fabulantur Judæi, Abrahamum non potuiſſe eos perſequi ultra Dan, quod ibi propter futuram poſterorum idololatriam virtute divina deſtitutus nimis eſſet debilitatus, nugatorium eſt; nam pœna nunquam antecedit delictum. Præſtaret dicere eum hic ſubſtitiſſe, tum propter montium difficultates, tum propter aquarum defectum, hic enim ad fluminum fontes pervenerat, vel etiam, quia hæ rationes non adeo ſunt efficaces, quod ſe ſatis proſecutum exiſtimaverit, cauſis nobis incognitis. Quarto notat *quod Exod.* 16. 34. 35. *Hiſtoria ultra tempus vitæ Moſis producatur.* Sed reſponderi poteſt I. Moſen 30 annos completos nominare, ut numerus ſit rotundus & completus pro incompleto: quod in Scriptura ſæpius contingit, ipſe autem vixit 40 annos in deſerto, vide Num. 14. 33: 34. 38. Deut. 1. 3. ita ut quamvis aliquantum poſt mortem Moſis ceciderit manna, tempus id comprehendatur a Moſe his 40. annis, quos ita nominat quaſi per totos 4. annos cecidiſſet, non aliter quam Num. 14. 34. dicuntur 40 annis in deſerto futuri cum jam duobus præteritis tantum 38 eſſent. II. Moſen hæc narrare per Prolepſin, vide B. T. 1. P. 384. III. Moſen hæc ſub finem vitæ ſuæ inſeruiſſe. Junius hic Tom. 1. P. 302. IV. Hæc a Joſua, vel Samuele fuiſſe inſerta, Piſcator & Rivetus hujus oper. Tom. 1. pag. 991. V. Moſen hæc revelatione S. Spiritus, apud quem futura habentur tanquam præſentia vel præterita, prædixiſſe. Piſcator apud Rivetum ibid. Ad *Gen.* 36, 31. *&c. ubi dicit ſine* pag. 108. *dubio narrari, quos reges Idumæi habuerint antequam David eos ſubegit & præſides in ipſa Idumæa conſtituit,* 2 *Sam.* 8. 14 Reſp. I. Totum concedendo, nam narrantur qui & ante Moſen fuerunt, qui Davidem diu præceſſit. Si velit eos qui enumerantur etiam poſt Moſem ad Davidem extitiſſe. Probet id ſine dubio verum eſſe, nos negamus. Dicitur quidem hos fuiſſe reges qui regnarunt in terra Edom antequam regnaret Rex in Iſrael. Sed ſic ad ſummum tantum ad Saul potuiſſent duraſſe, nam is fuit rex in Iſrael ante Davidem. Verum etiam vel Moſes haberi poteſt pro Rege, uti ex Aben Ezra, *Martyr hic*, utpote qui rexit Iſraelem, non modo cum Ægypto egrederetur, verum & in eremo & ad mortem uſque, vel dici poteſt Moſen narrare Idumæos hos reges ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

habuiſſe, antequam ad ſuum uſque tempus ullum adhuc habuiſſet Iſrael, qui ſine rege a Deo ducebatur. Si quis autem putet annis, quibus Idumæi a morte Iſaac Idumæam ante Moſen occuparunt, tot Reges ſucceſſive dari non potuiſſe, ſimul cum undecim ſubſequentibus ducibus qui hic enumerantur, Reſp. ex Num. 20. 14. conſtare Moſis tempore Reges adhuc fuiſſe inter Idumæos & cum ante hoc tempus Idumæi terram illam ultra ducentos annos occupaverint, quidni illo tempore potuerunt octo habuiſſe Reges: Contrarium quis probaverit? Quantum ad undecim duces, unde probabitur eos non fuiſſe undecim a Regibus conſtitutis gubernatores & Provinciarum præfectus, ac Regni proceres? imo illud non obſcure innui videtur vers. 40. 43. ubi dicitur, *Hæc nomina ducum ſecundum familias ſuas, per loca ſua, ſecundum nomina ſua, ſeu per loca ſua de nominibus ſuis.* Et iterum. *Hic fuerunt Duces Idumæorum ſecundum habitationes ſuas in Regione poſſeſſionis ſuæ.* Unde manifeſte patet Ducum nomine intelligi partitionem variarum habitationum in Idumæa, quam etiam ſub Regibus contigiſſe, plane nihil repugnat. Atque ita hic nihil quod Moſis tempora non anteceſſerit, nec ullo modo neceſſarium confugere vel ad prædictionem Propheticam, uti Paræus hic; aut ad ſubſtitutionem ab alio factam, ut alii ibid. Nota Junium hic velle poſteriores duces, Reges præceſſiſſe, quod minus probabile. Martyr & Rivetus nobiſcum ſtant. Tandem etiam abſurdum eſt, Anonymo *terminum regum Idumæorum conſtitui ad cladem Davidis* 2. *Sam.* 8. 14. cum & 2. Reg. 3. 9. fiat mentio Regis Edom quamvis tributarii, & tempore Joram proprium dicantur liberum conſtituiſſe Regem 2. Reg. 8. 20. poſtquam diſceſſerunt a Juda. Confer & Jerem. 27. 3. ubi etiam Regis Edom mentio fit. Hactenus itaque nihil proferre potuit, unde conſtaret, Pentateuchum non a Moſe, ſed ab alio, qui a Moſe multis poſt ſeculis vixit, ſcriptum fuiſſe.

§. 4. Hinc deinceps conatur probare, *libros quos Moſes conſcripſit, alios fuiſſe a Pentateucho.* Aliquos alios præter hos ab eo conſcriptos fuiſſe, nullus negabit. Sed eos vel ſolos a Moſe conſcriptos fuiſſe, vel ad canonem pertinere, probandum eſſet. Magna ex parte etiam eos in Pentateucho contineri dubio caret, & ad minimum examen cuique poteſt patere. Quis fuerit *liber in quo Moſes ex mandato Dei Exod.* 17. 14. *conſcripſit bellum contra Hameleck*, an ipſus hic liber legis, ut ait Rivetus hic, an vero liber huic ſingulariter deſtinatus, an vero *liber bellorum Domini* de quo Num. 21. 12. parum ad nos, niſi probetur eum ad canonem neceſſarium eſſe, vel pertinuiſſe. Similiter quis fuerit ille *Liber Pacti*, ſeu *fœderis* de quo Exod. 24. 4. 7. an ſingularis codex, & an non plura comprehenderit, quam quæ narrantur ex vers. 22. Cap. 20. Exod. uſque ad Cap. 24. ejuſdem libri, quod tamen non videtur, ſi conferatur finis Cap. 19. & initium Cap. 20. Exod. ut & Deut. 4. 13. 14. nihil ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nos. Nihil enim repugnat Moſen eum totum Pentateucho inſeruiſſe. Concedimus etiam Moſen undecimo menſe anni quadrageſimi ab exitu ex Ægypto, inſtituiſſe repetitionem legis coram Iſraelitis iam de novo natis, & qui prioribus non adfuerant, eamque explicaſſe, & conſcripſiſſe breviter librum qui contineret præcipua eorum, quæ iam tribus antecedentibus tradiderat, aliis & clarioribus verbis, & brevius, & quaſi a jamjam morituro explicata & commendata; qui liber idcirco tum Deuteronomium, tum *Liber legis* dictus
pag. 109. fuit, quaſi foret totius legis compendium, de quo Deut. 1. 5. & 29. 14. & 31. 9. Sed hunc exiſtimamus ultimum Pentateuchi eſſe. Quod, autem non habeamus ei adſcriptum illud *pactum Joſuæ* de quo *Joſ.* 24. 25. 26. dicitur *Joſuam id ſcripſiſſe in Libro legis Dei*, inde contigiſſe cenſemus, quod Author Libri Joſuæ, ſive is ipſe Joſua fuerit, ſive quis alius, conſcripturus pleniorem Joſuæ Hiſtoriam, illud ei inſeruerit, prout libro legis Dei a Joſua fuerat ad ſcriptum. Et ſic nihil hic omiſſum. Quamvis itaque hic concederemus concludi poſſe *Librum legis quem Moſes conſcripſit, non fuiſſe Pentateuchon, ſed alium quem auctor Pentateuchi ſuo operi ordine inſeruit*, hinc tamen nullo modo ſequitur, quod concludendum erat, *Moſen non eſſe Authorem Pentateuchi*, & eum ipſum hunc librum Pentateucho non inſeruiſſe. Nec ex *Deut.* 31. 10. 11. ubi narratur Moſen hunc librum legis ſacerdotibus tradidiſſe, & juſſiſſe, ut certo tempore omni populo prælegerent, ullo modo concludi poteſt, *hunc librum una concione ita perlegi potuiſſe, ut ab omnibus intelligeretur*, niſi nomen concionis ſumatur pro conventu qui ſingulis ſeptem annis per aliquot dies ſolebat durare, ad minimum per ſeptem. Sed ſpecialius addantur ritus & modus hujus lectionis libri legis. Quo ſatis potuit abſolvi, vel Pentateuchus, vel præcipuæ quædam ejus partes, vel liber Deuteronomii. *Moſen* etiam *tantum* hanc legis repetitionem ſeu *Secundi pacti librum*, ut ait Anonymus. ex Deut. 29. 14. 15. *ſervandum tradidiſſe*, & non totum illud, cujus hic facta fuit
pag. 110. repetitio, volumen, nullo modo hic patet. Quod autem addit, *Moſen alios præter jam ab eo dictos libros conſcripſiſſe non conſtare*, falſum eſt, ut patet ex omnibus Scripturæ locis, quibus nomine legis a Moſe traditæ alia exprimuntur & ſignificantur, quam in illis ab Anonymo aſſignatis Libris continentur, quæ tamen habentur in Pentateucho. 2. Chron. 25. 4. Nehem. 8. 2. & 10. 36. & 9. 3. ſed præcipue Matt. 11. 13. & 12. 5. Luc. 2. 22. 23. 24. & 10. 16. & 24. 44. Matt. 5. 17. & 8. 4. Luc. 24. 27. Joh. 1. 46. & 5. 45. 46. 47. Act. 15. 21. & 21. 21. & 26. 22. 2. Cor. 3. 13. 14. 15. Ezræ 6. 18. Nehem: 13. 1. Præterea adſunt omnia quæ in ullo libro requiri poſſunt, ut habeatur pro hujus aut illius auctoris libro, inſcriptio, acceptio pro tali, & omnis generis circumſtantiæ. Nam quid ex ipſo libro proferri poſſet unde conſtaret ejus auctor, nam ſive ipſe

ipſe id teſtetur, nullo modo ſuffeerre poterit. Hæc de quinque libris Moſis.

§. 5. De *Libro Joſuæ* ſimiliter profert *tria argumenta*, quibus probet eum authenticum non *eſſe, ſeu autographum*. Reſpondemus, nos certos non eſſe eum a Joſua ſcriptum eſſe, ſed tamen alicujus Prophetæ, Samuelis, vel alterius autoghraphum cenſemus, idque per traditionem antiquam conſtare ſufficienter putamus, cum tamdiu in canone receptus fuerit, & in eccleſia lectus & citatus in N. T. Act. 7. 45. & 13. 19. Hebr. 13. 5. Hinc facile contingere potuit *in eo quædam contineri, quæ ab ipſo Joſua conſcribi non potuerunt*, ut quod obierit & quæ mortem ſunt ſecuta ut Joſ. 24. 31. &c. Cap. 8. vers. ult. tamen & Cap. 11. 15. non tam dicitur *quod nihil omiſerit quæ Moſes præceperat*, quam quod omnia prælegerit, & peregerit ea quæ occupationem terræ ſpectant, minime vero quod totam legem ſervaverit, quamvis & hoc præceperit Deus Cap. 1. *Joſ.* 16. 10. ex phraſi *in hunc uſque diem* quidem concludi poteſt, authorem hujus libri Salomone priorem eſſe, cum 1. Reg. 9. 16. dicatur eo tempore deletos Canaanitas hujus civitatis: ſed non quod Samuele poſterior debeat fuiſſe, quem exiſtimamus hujus librum auctorem eſſe. Quod idem reſpondendum ad Judic. 1. 21. 26. Ubi eſt eadem Phraſis *in hunc uſque diem*, ut & ad Joſ. 15. 13. 63. quod patebit Coll. Jud. 1. 8. & 2. Sam. 5. 6. Hiſtoriam quæ *Joſ.* 22. 10. &c. late narratur *vivente Joſua non contigiſſe*, male concluditur ex eo *quod nomen ejus non exprimatur*, & tantum in genere mentio fiat filiorum Iſrael, nam in initio capitis exprimitur uſque ad vers 8. ſæpius, & omnes Hiſtoriæ circumſtantiæ docent id contigiſſe immediate poſt dimiſſionem duarum tribuum & dimidiæ. Similiter ex *Joſ.* 10. 14. abſurde concluditur *Librum multis poſt Joſuam ſeculis ſcriptum* fuiſſe, nam nulla fit ibi temporis mentio. Quod autem conjicit *Joſuam, ſi quem librum ſcripſerit*, ſcripſiſſe *Librum Juſtorum* de quo *Cap.* 10. 13. non niſi fundamento & certitudine deſtituta conjectura eſt. Nam nec proſtat ille liber, nec ejus auctor agnoſcitur: ſecundo ejus mentio fit 2 Sam. 1. 18. Conjiciunt viri docti fuiſſe librum Forenſium Annalium, ſive actorum publicorum, ſcriptum, non ad Religionis auctoritatem, ſed rerum politicarum cognitionem. Saltem Joſuam ejus auctorem eſſe nullo modo certum eſt. Appoſitam de hoc libro, rejectis Judæorum, ſententiam proponit Maſius Crit. t. 2. P. 1706. ubi etiam de aliis deperditis accurate. Joſuam etiam ſui libri auctorem negat.

pag. 111.

§. 6. *Judicum librum, non a Judicibus*, ſed a Samuele *conſcriptum* fuiſſe, communis eſt ſententia, nec ullus dubitare poteſt, unum ejus auctorem fuiſſe, qui modo legerit Cap. 2. 16. 17. &c. in Novo T. adducitur Act. 13. 20. Quod autem Anonymus inde quod *Jud.* 17. 6. *&* 18. 1. *&* 21. 25. dicatur *illis temporibus nullus erat Rex in Iſrael*, concludat, eum ſcriptum fuiſſe, poſtquam imperium reges obtinuerant, abſurdum eſt, ut patebit ex ejuſdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

verſus ſequenti membro, quod manifeſte patefacit regem ſignificare judicem & ejus defectum anarchiam. Præterquam quod etiam ante tempus illud Abimelech rex fuerit, & hæc Anarchia videtur fuiſſe ante Othnielem & ita etiam ante Abimelechum Cap. 9. vers 6. Videtur enim his temporibus omiſſa creatio Synedriorum, quemadmodum & ante Joſaphati tempora, 2. Chron. 19. 5. ita ut ubi tales extra ordinem viros Deus non excivit, erat diſſolutum Rei Publ. Corpus, nec quicquam in commune agebatur, Tribus ſingulæ ſuas res ſuo periculo ac commodo agebant, niſi ſi quæ ex uſu temporum fœdus interſe fecerant. Qualis etiam fuit Græciæ ſtatus Concilio Achaico Romanorum artibus diſſoluto, & Galliæ ante Cæſaris tempora, & Germaniæ, & Brittanniæ poſtea, vide Grotium Crit. t. 2. p. 1993. Varias ſententias, ſed omnes incertas de hujus Judicum libri auctore refert Martyr ad illum pag. 3.

§. 7. *Samuelis libros, ab ipſo Samuele conſcriptos eſſe, non certo conſtare* fatemur. Quod autem ex 1. Sam. 9. 9. concludat Anonymus eum *multis poſt Samuelem ſæculis* conſcriptum fuiſſe, non minus *incertum* exiſtimo: nam tantum videtur aſſignare voluiſſe Scriptor antiquitatem vocis *Videntis*, quod & tunc uſitatum erat, & qui jam etiam dicebatur Propheta: Videtur tamen ex 1. Chron. 29. 29. res geſtas ſub Heli, Samuele, & Saule, uſque ad obitum Samuelis, ab ipſo Samuele conſcriptas fuiſſe. Geſtas vero ab obitu Samuelis ad obitum Davidis a Nathane Propheta & Gade. Hebræi volunt Jeremiam eſſe Scriptorem & horum & Regum librorum. Ravanell. p. 958. Sed incerta ſunt omnia. Quicquid ſit, citantur hi libri & probantur in N. T. Matt. 4. 10. & 12. 13. Marc. 2. 25. Luc. 6. 3. Act. 13. 21. Rom. 15. 9. Hebr. 1. 5. &c.

§. 8. *Regum libros collectos eſſe* a quodam, ſive Jeremia, ſive Ezra, incertum eſſe, facile conceditur, nam non tantum ex 1. Chron. 12. 15. & 13. 22. & 2. Chron. 20. 34. & ex Joſepho Lib. 1. contra Appionem & Ravanell. p. 75. t. 2. patet a ſingulis Prophetis conſcripta fuiſſe, quæ gerebantur tempore vitæ ſuæ: ſed etiam ex 2. Chron. 26. 22. & 2. Reg. cap. 18. 19. 20. coll. Eſa. 36. 37. 38. 39. & 2. Reg. 24. in fine & toto Cap. 25. Coll. cum Jerm. 39. ad 52. manifeſte patet Eſaiam & Jeremiam ſcripſiſſe ea quæ continentur dictis capitibus, utpote geſta eorum temporibus. Ex Chronicis Regum Judæ & Iſraelis de quibus vide Rav. t. 2. p. 75. & t. 1. p. 439. multa his ſuperaddita fuiſſe, ſatis veriſimile ex 1. Reg. 14. 19. 29. Citatur in N. T. prior regum Rom. 11. 2. Act. 2. 29. & 13. 36.

§. 9. Ex his omnibus Anonymo non ſufficit concluſiſſe, *omnes hos libros eſſe apographa*, ſed ex eorum *connexione* & *argumento* conatur adſtruere, *omnes ab uno eodemque Hiſtorico ſcriptos fuiſſe*, qui Judæorum antiquitates ab eorum prima origine uſque ad primam urbis vaſtationem ſcribere voluit. *Sic enim*, inquit, *ſimulac Moſis vitam narrare deſinit, ad Hiſtoriam Joſuæ tran-*

ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſit, Et contigit poſtquam, &c. Cui cum Munſtero, Vatablo & Paræo non reſpondebo tantum, quod Joſua, vel alius idem Scriptor, qui ultima Moſis tradidit, etiam hunc ſcribens librum, talem fecerit merito connexionem, verum præcipue, quod, uti Maſius notat, Hebræi id ſuo quodam loquendi modo faciant. Unde Symmachus ea convertit his verbis Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Μωυσῆ *pag.* δούλου Κυρίου, εἶπε Κύριος &c. quem ſequuti ſunt alii Viri doctiſſimi interpretes Bel- 112. gæ. Quod idem reſpondemus ad ſimiles tranſitiones immediate ſequentium librorum. An autem *liber Ruth* tantum ſit appendix libri Judicum, parum profecto ad rem facit. De ejus auctore vide Druſium ad Serrarium. Quod etiam *omnium* prædictorum *librorum argumentum in unicum certum Scopum tendat*, concludit quidem omnes uno & eodem ſpiritu ductos fuiſſe, minime vero, ab unico homine ſcriptos; quidni enim plures in eundem finem tendere & duci potuerunt.

§. 10. Nullo ergo fundamento nititur quod concludit, *eos omnes ab uno ſolo Hiſtorico ſcriptos fuiſſe. Quiſnam autem is fuerit, ſe* non *ita evidenter oſtendere poſſe* fatetur; *Suſpicatur* tamen ipſum *Heſdram fuiſſe*; & ſuas conjecturas colligens, hanc præmittit, *quod, cum Hiſtoricus*, quem unicum tantum eſſe falſo probatum ſupponit, *producat Hiſtoriam ad Joachimi libertatem, & addat ipſum Regis menſæ accubuiſſe tota ejus vita, ſive Joachimi, ſive filii Nebucadneſaris, ſequatur, eum ante Heſdram non fuiſſe.* Cui reponimus id hinc tantum concludi poſſe de hoc regum libro, quem aliqui ſcriptum cenſent a Jeremia, qui ad hoc tempus non vixit, vide Torniell. Annal. t. 2. p. 232. minime vero de cæteris. Præcipue cum iam demonſtraverimus, quam debili fundamento nitatur illud, quod unicus tantum fuerit omnium Scriptor. Quod autem hic ambiguum videatur, an tota vita Joachimi, an vero Evilmerodachi jugiter coram rege eſitaverit, parum ad rem facit. Cum hic propter iniquitates & libidines inſidias paſſus, a marito ſororis ſuæ Neriglіſſoro peremptus ſit, cum paulo plus quam duobus regnaſſet annis; ut docet Beroſus in 3. Rerum Chaldaic: libro a Joſepho citat: Lib. 1. contra App. circa quod idem tempus Jechoniam quoque 25 annos natum, vita functum fuiſſe admodum veriſimile eſt. Evilmerodacho enim ſucceſſit ejus interfector & regnavit per quatuor annos. Vide Uſſeri Annal. t. 1. p. 138. Confer hic Torniellum Annal. anni 3610. t. 2. p. 233. ubi de Eſræ nativitate, ortu &c. Huic ad- *pag.* 113. dit ſecundam conjecturam ſcil. *quod, cum Scriptura de nullo, qui tum floruit niſi de ſolo Heſra teſtetur, Ezræ 7. 13. 10. præter Ezram nullum ſuſpicari poſſit fuiſſe qui hos libros ſcripſerit.* Verum hæc ratio negativo tantum nititur fundamento; non narratur, ergo non fuit. Præterea falſo nititur ſuppoſito, ſcil. unum fuiſſe; eumque in Scripturis indicari debuiſſe. Quare nil concludit. Quod autem *Nehem.* 8. 9. dicitur, quidem probat, *Ezram adhibuiſſe ſtudium*

ad legem adornate, ut facile intelligeretur, prælegendam & explicandam, nullo modo vero, ad eam *adornandam*, id eſt, adornate conſcribendam, ut hic ab Anonymo probandum erat, nam cum legeretur, hic Scriptura præſupponitur. Difficultates abſtuliſſe videtur. Sed an id fecerit, inſerendo quædam, uti apud Torniell. ſupra, nullo modo conſtat. Quemadmodum etiam tertia conjectura non conſtat, *Hunc librum legis Dei ab Ezra lectum, librum Deuteronomii fuiſſe*, nullum enim ejus fundamentum eſt. Quod autem *in Deuteronomii libro varia per parènthesin ad pleniorem explicationem inſerantur*, negari non poteſt: ſed id ab Ezra factum, probandum erat, locis ab Aben Ezra prolatis reſpondimus ſupra ad pag. 105. 106. & demonſtravimus iis nil contineri quod a Moſe ſcribi non potuerit. Similis notæ duas hic ſuperaddit Anonymus, de quibus idem demonſtrare facillimum eſt. Nam quidni *Deut.* 2 12. Moſes potuit dicere, *ſicut Iſrael fecit in terra ſuæ hæreditatis, quam Deus ipſi dedit*, cum jam ſuperaſſent Moſis tempore Sihon & Og, eorumque terras occupaverant. Nec ulla ratio cogit fateri non ipſum Moſen inſeruiſſe quæ habentur *Deut.* 10. 6. 7. *&c.* Imo cum ubique ſcil. vers. 5. & 10. in prima perſona loquatur aucthor, apertum videtur, hæc ab ipſo Moſe tradita fuiſſe. Conferantur quæ Druſius & Grotius ad hunc locum. Eum de Moſe explicat etiam Junius. *De Præfatione Deuteronomii*, & *locis quæ de Moſe in tertia perſona loquuntur* ſupra diximus ad pag. 105. 107. Quod autem addit, *præter hæc alia multa, quæ jam a nobis dignoſci nequeunt, ſine dubio, ut facilius ab Hominibus ſui ævi perciperentur, adjecta, vel aliis verbis expreſſa fuiſſe*, nos multo minori cum dubio negamus, nam nullo modo probabile virum illum Sanctum, ſua divinis inſeruiſſe, niſi vel certo cognoſceret corrupta fuiſſe, vel detorta. Explicaſſe non negamus, ſed aliud eſt explicare, aliud addere & mutare, vel ſua injicere. *Diſcrepantia Decalogi Deuteronomii cum Decalogo Exodi*, nil huc facit. Nam hic ſcopus etiam Moſis in Deuteronomio eſt legem clarius & brevius proponere. Ejuſdem certitudinis eſt quarta conjectura, ſcil. *Hunc librum omnium quos ſcripſit Hezra primum fuiſſe*: nam non minus priores, quam hic Deuteronomii. continent leges Patriæ. Nec potuit anterioribus annecti, cum ſit eorum repetitio, non continuatio. Cætera vero quæ addit de cæteris libris ab Ezra conſcriptis apertiſſima figmenta fundamento deſtituta. Notate quomodo hic Homo ſub prætextu auferendi præjudicia, non niſi ſolas conjecturas ſubſtituat, & ſtatuens hæc omnia ad verum intellectum Scripturæ neceſſario certo cognoſci, aperte fateatur, ex Scriptura nihil certo cognoſci poſſe, forte præter pauca natura etiam vulgo nota de rebus & officiis agendis; non tam ex Scriptura, quam natura certa cognoſcendis. Et hic unicus ejus ſcopus eſt in hoc capite, Omnem ſcil. certitudinem Scripturæ evertere. Ad quem ulterius tendit in capite ſequente.

pag. 114.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De iiſdem Libris alia inquiruntur, nempe, An Ezras iis ultimam manum impoſuerit? & deinde, Utrum Notæ marginales, quæ in Hebræis Codicibus reperiuntur, variæ fuerint lectiones.

§. 1. D*Iſquiſitionem de authore librorum* Scripturæ ad eorum intellectum *multum prodeſſe*, nullus cum ratione negaverit, quamvis ad ſalutarem intellectum tamen abſolute neceſſarium non exiſtimemus. Et quantum profuerit ad intelligenda loca jam objecta, ſatis late viſum fuit. *Verum* inquit, *præter Scriptorem alia animadvertenda in ipſis libris ſuperſunt*, conjecturas incertas ſcilicet faciendo ut ſupra, *quæ communis ſuperſtitio vulgus*, ſic denominat Virorum Doctorum ſententias, ſuis multo probabiliores & certiores, *deprehendere non ſinit.* Videamus quid ſit. *Præcipuum eſt, quod Hezras*, quem, incerta plane conjectura, contra probabiliſſimas rationes pro ſingulorum librorum aliis auctoribus, prædictorum librorum auctorem dicit, *narrationibus in hiſce libris contentis ultimam manum non impoſuit, nec aliud fecit, quam Hiſtorias ex diverſis Scriptoribus colligere, & quandoque non niſi ſimpliciter deſcribere, atque eas nondum examinatas neque ordinatas poſteris reliquit.* Notate quis animus ſit hujus hominis erga Scripturam ſacram. Non ſufficiebat ejus auctores, ſine quibus eas intelligi poſſe, quamvis abſurde, negaverat, incertos reddidiſſe, & alium per incertam & præjudicatam conjecturam ſubſtituiſſe, Ezram: Verum jam etiam, ut ad impietatem & profanitatem promovendam nihil deſit, ex meris conjecturis aſſerit eum hanc non tantum collegiſſe & deſcripſiſſe, ſed etiam nondum examinatas & ordinatas, id eſt, negligentur traditas, & ſine diſcrimine, malas bonis permiſtas, reliquiſſe. Quaſi Viro Sancto, plane indifferens fuiſſet quænam Eccleſiæ traderet pro divinis, certane, an incerta: cohærentia, an diſſolutas ſcopas: ordinata, an confuſa. Quaſi in Eccleſia omnia tanquam divina potuerint proponi; quam incerta forent & inordinata. Quaſi ipſe ſolus, ante ſapientes omnes qui poſt ſummos labores Scripturas pro certis & optime ordinatis habuerunt, imo ante ipſum Ezram, qui eas uti tales in Eccleſia prælegit & docuit, Scripturarum certitudinem & ordinem examinaſſet. Unicum videbat nobis patere effugium adverſus ejus objectiones, & pro Scripturæ dignitate, ſi ſcil. diceremus Ezram id divino inſtinctu, & uti Prophetam præſtitiſſe: ſed nullum Scripturæ relinquendum erat effugiendi ſpatium; omnino ſubvertenda, tollenda, delenda.

Anonym. cap. 9. pag. 115.

Verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Verum attendamus quibus utatur armis, ad hanc arcem expugnandam, & præcludendam hanc defenſionis viam.

§. 2. *Hiſtoria Hiskiæ*, inquit, *ex* 2. *Reg.* 18. 17. *deſcripta eſt ex relatione Eſaiæ, prout ipſa reperta eſt in Chronicis Regum Judæ ut patet* 2. *Chron.* 32. 32. Quid tum poſtea. Supra id jam modo diximus, ſingulos Prophetas Hiſtorias ſui temporis ſcripſiſſe, & ex iis Scripturam conſtare. Quod autem hæc Hiſtoria, vel latius vel in paucis alio quodam modo narretur Eſa. 36. Capp. 37. 38. 39. 40. nihil eſt, ſi modo non pugnantia tradantur, nam auctor librorum regum, eam Hiſtoriam narravit magis ſuccinĉte, & in Chronicis Lib. 2. Cap. 32. 22. dicitur quod & in libris regum Judæ & Iſrael contineantur quæ Hiskias egit, & in Prophetia Eſaiæ. Quod utrumqne veriſſimum. Verum hic nihil occurrit non examinatum, aut non ordinatum. Idem dicendum eſt *de Hiſtoria obſidionis Hieroſolumæ ſub* Zedekia, quæ habetur 2. *Reg.* 25. & *Jeremiæ* 39. & 40. Nec aliud reſpondendum ad *Hiſtoriam de Davide* traditam tum 2. Sam. 7. tum 1. *Chron.* 17. Ut & idem applicandum *Genealogiæ Regum Idumææ*, quæ habetur *Gen.* 36. 30. & 1. *Chron.* 1. 43. Nec ulla ratione conſtat, authorem Chronicorum, hæc ex Moſe, vel ut putat Anonymus ex Ezra, non aſſumpſiſſe, ita ut figmentum ſit, cum aſſerit *conſtare hæc ex aliis Hiſtoricis aſſumpta fuiſſe.* Nam initio ſequentis capitis cenſet hos libros longe poſt Ezram ſcriptos fuiſſe. Verum *cum non habeamus ipſos Hiſtoricos*; *unde deſumptæ fuerunt* Hiſtoriæ, *id nobis* unice *reſtat*, *ut ipſas Hiſtorias examinemus.* Nempe earum *ordinem & connexionem*, *variam repetitionem*, & denique *in annorum computatione diſcrepantiam.*

pag. 116.

§. 3. Primo proponit *Hiſtoriam Judæ & Tamar*, cujus *Gen.* 38. hoc modo initium fit, *Contigit autem in illo tempore*, *ut Judas a ſuis fratribus diſcederet.* Unde concludit, quod, cum *id tempus referri non poſſit ad illud quod in Cap.* 37. *præcedit immediate*, *neceſſario hoc ſit referendum ad aliud tempus de quo immediate in alio libro agebatur*: *& quod proinde Hezras hanc Hiſtoriam ſimpliciter deſcripſerit*, *eumque nondum examinatam reliquis inſeruerit.* Verum toto cælo aberrat, ut unicuique, ſpero, manifeſtiſſimum fiet. Verſatur enim hic Moſes in enarranda Hiſtoria Jacobi, jam inde a Cap. 28. quare Cap. 37. 2. hæc dicuntur eſſe quæ contigerunt Jacobo. Recenſentur autem in ea Hiſtoria plurimæ difficultates & calamitates quæ Jacobo in familia ſua contigerunt, quarum non infima eſt, quæ hoc Cap. 38. proponitur, quarum reſpeĉtu Gen. 47. 9. dicit malos & paucos fuiſſe dies annorum ſuorum. Primum narratur ſtuprum unicæ filiæ Jacobi, de quo Cap. 34. quod etiam primum fuit, quo Jacobi fidem & patientiam explorare voluit Deus & confirmare. Huic eodem capite additur annexum & immediate conſecutum illud deteſtabile crimen Simeonis & Levi, Sichemitarum iniquiſſima devaſtatio. Deinde maximus natu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

natu filius, Ruben, inceſtum committit pudendum, de quo vide Gen. 49. 3. 4. & 1. Chron. 5. 1. 2. Tandum narratur Cap. 37. venditio Joſephi. Quibus omnibus ultimo loco ſuperadditur Cap. 38. inceſtus concubitus Judæ, tum quod priora crimina hoc ultimum per annos aliquot præceſſerint, tum quod eorum vel plures vel omnes filii Jacobi, vel Juda majores, rei fuerint, tum quod hujus Hiſtoria ſe extendat ad ipſam migrationem in Ægyptum, immediate narrandam & ſecutam. Ut autem hoc Judæ crimen diſtincte conſtaret (utpote maximæ utilitatis in Eccleſia Dei, tum quia patefacit primam originem familiæ Judæ quæ inter tribus alias dignitate & potentia regia tandem excelluit, & ex qua David aliique reges, & ipſe Chriſtus prodiit; tum quia deprimit Judæorum faſtum & gloriationem de ſui generis nobilitate, quam Moſes hic oſtendit fuiſſe fœdiſſimam, ita ut mentiantur Joh. 8. 41. & Hiſtoriam hanc abnegare ſtudeant; tum quia docet quomodo Chriſtus ſecundum carnem ex ſuis majoribus nihil habuerit dignitatis, ſed tantum dedecus; tum quia non obſcure ſignificat Chriſtum, qui ex Patre Judæo & Matre gentili genus ducere voluit, non Judæorum tantum, ſed & gentium ſervatorem fieri voluiſſe) primo repeti, & ex ſuperioribus temporibus addi debuit, primum conjugium Judæ, à quo cum principio hujus capitis hoc crimen narrari cœpit, cum diceretur, *contigit autem in illo tempore*, &c. Quare per *illud tempus* non tam tempus venditionis Joſephi, quam reditus ex Meſopotamia & in Succoth introitus Jacobi & inde in terram Canaan, ubi ei hæc omnia ita contigerunt, ut inceſtus Judæ, qui quidem initio introitus in Succoth uxorem durerat, ultimum fuerit, quo filii Jacobi, duobus tantum exceptis, uti poſtea ex duodecim ſpeculatoribus præter duos omnes murmuraſſe legimus, & ſub Jeroboami defectione duas tantum tribus templo adhæſiſſe memoratum fuit, commaculati fuerunt. Ita ut hoc crimen, ſive ordinem antecedentium Hiſtoriarum, ſive rationem temporis aſpexeris, accuratiſſime ſuo ordine & loco narrretur à Moſe. Quamvis ut cognoſcatur ex anterioribus repeti debuerit Judæ conjugium, ſine quo nullus potuiſſet narrari ejus inceſtus. Et conſequenter hic nihil occurrit, quod hanc Hiſtoriam non examinatam & ſimpliciter aliunde deſcriptam arguat. Nam omnia undique quadrant accuratiſſime.

§. 4. Hoc idem demonſtrari poteſt circa totam *Joſephi & Jacobi Hiſtoriam, quam omnem dicit ex diverſis Hiſtoricis fuiſſe decerptam & deſcriptam, quod adeo parum ſibi conſtare videatur.* Sed examinemus. *Gen.* 47. 9. *narratur Jacobum* 130. *habuiſſe annos cum ſalutaret Pharaönem in Ægypto, unde ſequitur quod* 84. *annorum fuerit cum Leam uxorem duceret*, quod concedimus, nec quicquam abſurditatis continet. Ultimus intes ſuos conjugium iniiſſe videtur, frater enim Eſau per 37. annos prius duxerat uxorem, agens vitæ annum 40, Gen. 26. 34. 35. Et hoc tamen non pag. 117.

 obſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

obſtante Jacobus copioſiſſimos præ omnibus habuit poſteros & naturæ ad generationem aptos, ut & fortiſſimos animo & corpore, ut patet Gen: 38. 1. & 24. 25. Voluit ſic Deus ſuam patere providentiam & curam circa propagationem generis humani & ſuorum inter illos. Huic quidam applicant illud Gen. 29. 21. quaſi ibi Rachelem uxorem ſibi dandam poſtularet, eo argumento quod completi eſſent dies ipſius, id eſt, uxori maturus eſſet plus ſatis, ut interpretatur Tremellius apud Uſſerum Annal. t. 1. p. 13. quamvis mallemus ibi intelligi dies contractus initi cum Labane. Sed major videtur reſtare difficultas, hinc enim, inquit, reperietur *Dinam vix ſeptem fuiſſe annorum cum à Sechemo vim paſſa eſt, Simeon autem & Levi vix 12 & 11, cum totam illam civitatem deprædati ſunt.* Verum plane aberrat. Ut autem hæc diſtincte percipiantur, notandum, quod quamvis in Scriptura nativitates filiorum Jacobi, ſuo ordine recenſeantur, non tamen explicite diſtinguatur, aſſigneturve annus, quo ſinguli nati fuerunt. Omnes tamen, excepto Benjamino, natos fuiſſe, in ſecundo annorum ſeptennio ſuæ ſervitutis Labanicæ, inde patet, quod Gen. 30. 24. poſt omnes alios natus legatur Joſephus, quo nato ibidem Jacob à Labane, tanquam jam præteritis 14. annis ſervitutis, dicitur petiiſſe licentiam redeundi in terram ſuam Canaan; quo ipſo tempore tamen novum legitur eos iniiſſe contractum, qui per alios ſex annos duravit, ut patet Gen. 31. 38. per quos cum omnibus ſuis adhuc permanſit apud Socerum in Meſopotamia. In hoc autem prædicto ſeptennio traditur Leam Septies peperiſſe. Sex filios, & filiam unicam, quam ultimo peperiſſe dicitur Gen. 30. 21. ita ut hæc ſi ſingulis aſſignetur ſufficiens geſtationis tempus, nata fuiſſe non potuerit, quam circa finem illius ſeptennii, id eſt, vitæ Jacobi 91. Simeon vero & Levi ſecundo & tertio loco nati recenſentur Gen. 29. 33. 34. quare eorum nativitas incidiſſe potuit prædicti ſeptennii anno ſecundo, qui vitæ Jacobi 86. & tertio, qui Jacobi 87. Atque adeo ſeptimum annum agebat Dina, Simeon & Levi decimum & undecimum cum Jacob Meſopotamiam relinqueret, & ipſe Jacobus 98. Primo autem petiit montes Gileaditicos Gen. 31. 21. ubi poſt ſeptem dies eum aſſequitur Laban Gen. 31. 23. inde pervenit ad Mahanaim Gen. 32. 2. unde procedens per flumen Jabbock occurrit fratri Eſau Gen. 33. 1. à quo diſcedens tendit in Succoth Gen. 33. 17. & tandem pervenit Sichemum, ubi Dinæ ſtuprum contigiſſe legitur Gen. 34. 1. 2. Verum cum in Scriptura nullibi exprimatur quantum temporis conſumptum fuerit tum hiſce itineribus lente inſtituendis ſecundum Gen. 33. 13. 14. tum ſingulis locis quietis; tum etiam in terra Canaan Sichemi, antequam hæc Dinæ contigerint, nullum fundamentum eſt, unde concludatur, hæc in tanta Dinæ Simeonis & Levi juventute contigiſſe. Narrantur quidem poſt invicem tanquam eo ordine ad Hiſtoriam Jacobi ſpectantia, ſed nullo modo tam breve tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

temporis ſpatium exprimitur. Imo & textus & rerum circumſtantiæ plurium octo vel decem ad minimum annorum interſtitium non tantum admittunt, ſed & aſſignare videntur. Gen. 33. 17. enim narratur, quod in Succoth ſibi ædificaverit Domum, & pecoribus tuguria vel caſas, certum ſignum diutioris commorationis ibidem, nam antea ſimile quid feciſſe non legitur. Gen. 31. 25. tabernacula fixiſſe dicitur in monte; & Gen. 32. 21. pernoctaſſe dicitur in turma. Præterea ſatis conſtat ex Gen. 26. 16. 23. in Berſeba circa domum Iſaaci, ali non potuiſſe tot tantoſque greges, ac Iſaac & Jacob poſſidebant, quare patrem adire cum tota ſua familia non potuit niſi poſtea in Hebron Gen. 35. 27. Iſaaco eo migrante, ut in filii præſentia vitam finiret, uti poſt aliquot annos ibidem contigiſſe videmus Gen. 35. 29. Dicitur quidem Gen. 34. 1. egreſſa Dina ut videret mulieres illius Regionis: ſed inde evinci non poteſt id contigiſſe, ſimulac Sichemi, ubi pater jam ſibi partem terræ emerat, cui inhabitabat, & aram cultui divino erexerat, pervenerunt: ſed potius quod forte poſt aliquot annorum commorationem, à parentibus ab illis populis retenta, jam matureſcens (uti filios Jacobi ceteris citius maturuiſſe corpore & animo ſupra notatum) & protervior, ac ſuperbior, flagrans deſiderio videndi comptum & ornatum illarum mulierum, occurrente forte quodam Sichemitarum feſto, de quo vide Joſeph: Ant. Lib. 1. Cap. 19. inſciis & invitis parentibus Sichemum tenderit meræ curioſitatis ergo, ubi viſa, concupita, rapta & violata fuit. Quare nos multo probabilius (quid ni enim opponeremus noſtram probabilitatem Anonymi probabilitati, qui non niſi conjecturis pugnat) ſtatuimus Dinam jam poſt elapſos à relicta Meſopotamia annos ad minimum octo, ſuperato anno 14. quintum & decimum non vero ſeptimum tantum ætatis annum egiſſe cum ſtupraretur & violaretur, & fratres ejus 19 & 20 annum cum Sichemum depopulati fuerunt, quod plane nihil abſurditatis involvit in calculo, nec in ipſa re, cum hi ſint anni pubertatis, taceo inmature pubeſcente virgine, & ad ſunt his annis in viris robuſtioribus maximi fortitudinis impetus, quamvis imprudentius ſæpe directi.

§. 5. Quod his annectit argumentum, generale ſcil. *in quinque Pentateuchi libris omnia, præcepta ſcil. & Hiſtorias, promiſcue ſine ordine narrari, neque rationem temporum haberi, & unam eandemque Hiſtoriam ſæpe, & aliquando diverſimode repeti, tanquam* vagum, incertum, & idcirco inefficax prætéribimus; demonſtranda fuiſſent hæc, & reſponſum fuiſſet, doloſus hæret in vagis & generalibus, ita ut hinc inepte concludat *omnia promiſcue collecta & coacervata fuiſſe*, contrarium demonſtrari poteſt, & à multis viris doctis demonſtratum fuit; quid hic fieri poſſet, patet ex ſupra poſitis noſtris reſponſionibus ad objectiones ab Anonymo factas, vel potius collectas, nihil enim novi habet.

§. 6. Ut autem *Idem* poſſit aſſerere, *de ſeptem libris Pentateuchum imme-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

diate ſequentibus, aliquot exempla profert, ut *Jud. 26. dicit novum Hiſtoricum adferri, qui res à Joſua geſtas etiam ſcripſerat, ejuſque verba ſimpliciter deſcribi, quia ſcilicet ſuperioribus annecti non poſſunt quæ hic de ipſo Joſua narrare incipit.* Verum plane aberrat; contrarium patebit cuique ſine præjudicio legenti. Nam contra, hæc inſeruntur ut ſequentia cum ſuperioribus magis connecterentur; uti etiam fit. Poſtquam enim in fine libri Joſuæ, mors ejus narrata fuerat, & ſepultura; ac initio hujus libri Judicum narrare propoſitum erat, quæ poſt obitum Joſuæ contigerant, ſub Judicibus, id fieri non potuit niſi indicaretur occaſio Judices conſtituendi. Ea vero eſt id quod cap. 2. 6. conſcribitur, ubi dicitur, quod populus, vivente Joſua cum ſenioribus eum ſecutis, Deum colere, ejuſque mandata ſervare non deſtiterit, ſed iis mortuis, aliam ſurrexiſſe progeniem, quæ nec Deum, nec ejus opera agnoſcebat, & ad idololatriam Baaliticam deficiebat, quare Deus eam in hoſtium manus ſæpe tradebat, eoſque inter ipſos ſemper ſupereſſe fecerit, inſtar aculei pungentis: Et hac occaſione ei dediſſe Judices qui ſingulis vicibus eos ab hoſtibus liberarent & conſervarent, atque ita proceditur ad ea quæ ſub iis Judicibus contigerunt. Quid jam hic apparet non ordinatum, non connexum, aut ſimpliciter aliunde deſcriptum, ut vult Anonymus. In ſecundo quod profert exemplo idem patebit. 1 *Sam.* 17. 18. *capp. ex alio Hiſtorico deſumpta dicit, quia ibidem alia redditur cauſa, cur David aulam Saulis frequentare cœpit quam ejuſdem Lib. Cap.* 16. Sed qualis illa eſt conſequentia? nulla ſcilicet: nam vel, ut quidam, inter quos Martyr & Torniellus p. 424. 429. hic, bis duabus de cauſis illis, ad aulam acceſſiſſe potuit, ita ut in cap. 16. narretur cauſa primi acceſſus, qui potuit contigiſſe in fine ejuſdem anni quo eum unxit Samuel, 1 Sam. 16. qui erat ætatis ejus circiter decimus quintus aut circa: huic occaſionem præbente famulo Saulis Davidem deſcribente, 1. Sam: 16. 13. 18. poſt quem eum domum remiſiſſe potuit, ſive ad patris inſtantias, ſive ob juventutem primam, 1 Sam. 17. 12. 15. Et Cap. 17. narretur cauſa ſecundi acceſſus qua potuit poſt aliquot annos ad exercitum redire & ſe offerre ad pugnam propter maximam per ætatem mutationem Saulo & Abnero ignotus, nam illis annis maxima contingere ſolet mutatio hominis. Vel, ut alii inter quos interpretes Belgæ, in cap. 16. explicatur cauſa, quæ præbuit occaſionem vocationis ad aulam, in 16. cap. narratæ, ita ut ex illa pugna à Sauli Famulo fuerit commendatus ad Muſicam 1 Sam. 16. 18. Et neutro modo hinc inferri poteſt hæc inconſiderate ex alio Hiſtorico deſumpta fuiſſe, ut ait Anonymus. Ejuſdem notæ eſt & *tertium exemplum ex Cap. 25. & 24.* ejuſdem *primi libri Samuelis*, ſed cum ipſe Anonymus id tantum pro ſuſpicione & conjectura habeat, non eſt quod id examinemus aut deducamus, utpote probe conſcii quam firma ſint quæ pro certis habet, cum hæc adhuc tantum conjectu-

pag. 118.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

jecturas dicat. Hoc itaque cum ipſe *miſſum faciat*; & nos cum illo.

§. 7. Pergit *ad examinandam computationem annorum* 1 *Reg.* 6. 1. 2, &c. ubi *Salomon templum ædificaſſe dicitur anno* 480 *ab exitu Ægypti*; *at inquit, ex Hiſtoriis ipſis longe majorem numerum concludimus.* Sed ſi calculum recte iniiſſet, procul dubio verum numerum inveniſſet. Jam autem pro arbitrio addit & omittit, atque ita non parvam ſibi facit confuſionem quam poſtea Scripturæ imputat. Potuiſſet enim, vel quæ plurimorum eſt ſententia, ſub Judicum annis comprehendendo interregnorum, ſervitutum & captivitatum annos, hanc inire rationem, ſecundum quam Moſes ab egreſſu ex Ægypto Iſraelitis præfuit annis 40. ſecundum Num. 14. 33. Deut. 1. 3. Joſua poſt Moſen 17. Othniel 40. Jud. 3. 10. 11. Ehud & Samgar 80. Jud. 3. 30. Debora & Barac 40. Jud. 5. 31. Gideon 40. Jud. 8. 28. Abimelech 3. Jud. 9. 22. Thola 23. Jud. 10. 2. Jair 22. Jud. 10. 3. Jephthæ 6. Jud. 12. 6. 7. Ebzan 7. Jud. 12. 9. Elon 10. Jud. 12. 11. Abdon 8. Jud. 12. 14. Samſon 20. Jud. 15. 20. Eli 40. 1 Sam. 4. 18. Samuel & Saul 40. Act. 13. 21. David 40. 2 Sam. 5. 4. Salomon ante inchoatam ſtructuram templi 4. 1 Reg. 6. 1. Atque ita de annis Joſuæ in ſcripturis expreſſe non indicatis ſtatuere ſecundum id quod reliquum relinquitur in Scripturis, ei aſſignando ſcil. 17. annos nulli in Scriptura tributos. Et de tali quam facimus comprehenſione non eſt quod ſcrupulum moveat, cum non tantum comprobetur antiquiſſimis Hebræorum traditionibus, ut & conſenſu Philonis, Euſebii, aliorumque, tempora ex ſacris libris computantium, verum etiam ipſa Scripturâ ſacrâ, quæ Jud. 4. 3. 4. teſtatur Deboram Iſraelitas judicaſſe cum eſſent in ſervitute Jabin Regis Canaan, ut & Sampſonem per annos 20 cum eſſent in ditione Philiſtæorum Jud. 15. 11. 20. & 14. 4. Vel potuiſſet obſervaſſe Sacram Scripturam non propoſuiſſe tradere univerſi temporis menſuram, non enim Chronologiam ſcribere voluit, ſed Politiæ Judaicæ tempora commemorare, & idcirco captivitates & anarchias veluti ſpatia mortua & infauſta, in univerſalibus annorum collectionibus, in cenſum temporis Politici venire & idcirco in Scripturis ſub illo commemorari non poſſe, utpote quæ illius Politiæ tempora non fuerunt, ſed mors, ut & inter alias gentes uſitatum eſſe, multis exemplis ubi non modo interregna, ſed & infelicia tempora ſuis annalibus expunxere, comprobavit Doctiſſ. Iſaacus Voſſius Chronol. p. 235. Atque ita, ſi cum Joſepho voluiſſet 26 annos adſcribere Joſuæ, hanc potuiſſet inire ſupputationem & facere numerorum collectionem. Ab egreſſu ex Ægypto ad mortem Moſis 40 anni. Sub Joſua 26. Othniel præfuit 40. Ehud & Samgar 80. Debora & Barac 40. Gideon 40. Abimelech 3. Thola 23. Jair 22. Jephthe 6. Ebzan 7. Elon 10. Abdon. 8. Samſon 20. Heli 40. Samuel & Saul 32. David 40. Templum ſtrui cæptum

exacto anno Salomonis 3. & inveniſſet accurate 480 annos elapſos ab exitu ex Ægypto ad templi ſtructuram; cum contra infinitæ oriantur indiſſolubiles difficultates, & confuſiones inextricabiles ſi anarchiarum & captivitatum tempora Judicum temporibus ſuperaddantur, quod indubitatum ſignum eſt Scripturam cum Anonymo hanc non iniiſſe rationem; cur enim ei non magis hanc diſtinctam, quam illam confuſam annorum collectionem tribuamus. Joſephus qui Hiſtoriam Judaicam ſcribere voluit, & idcirco expreſſit menſuram temporis Hiſtorici Judæorum, his annis annumerat ſpatia ſex ſervitutum quæ ſub Judicibus contigere, quarum ſummam ſi colligas conficies annos 111. ut ſervitus ſub Chuſane annis 8. Jud. 3. 8. ſub Moabitis 18. Jud. 3. 14. ſub Jabin Chanaanæis 20. Jud. 4. 3. ſub Madianitis 7. Jud. 6. 1. ſub Ammonitis 18. Jud. 10. 8. ſub Palæſtinis 40. Jud. 13. 1. hos ſi addideris ſummæ annorum Politiæ Judaicæ, in Scriptura ſummatim expreſſorum, habebis annos 591. quos & Joſephus, hic à Scriptura non diſſentiens, tribuit eidem intervallo ab exitu ex Ægypto ad initium templi Salomonis. Atque ita & prædicta, & hæc Joſephi ſupputatio, accuratiſſime convenit cum Apoſtolo Act. 13. 20. dicente Deum poſt ſortitionem terræ Canaan, id eſt, poſt Joſuam dediſſe Iſraelitis Judices per annos 450, uſque ad Samuelem, nam ſi ab annis 591. auferas Moſis 40. Joſuæ 26. Saulis & Samuelis 32. Davidis 40, & tres Salomonis, accuratiſſime ſuperſunt Judicum anni ad mortem Heli, quem ſecutus Samuel, 450. Niſi quis hos 450. annos maluerit tribuere intervallo quod intercedit Iſaaci nativitatem & Judicum initium, ut ab Apoſtolo non quamdiu rexerint Judices, ſed quando Deus eos dederit, indicetur, uti non inepte voluit de Dieu ad Act. 13. 20. Atque ita concidiſſent omnia quæ profert *de annis ſequentibus mortem Joſuæ, quibus ſub Senioribus floruit, & à Kuſam Rilgataem ſubacta fuit Hebræorum Reſpublica, quorum numerum magnum credit,* nam ſi ullo modo probare poſſit majorem fuiſſe, quam ut in antecedentium & ſequentium Judicum annis comprehendi poſſint, meminiſſe debuiſſet, illud pro interregno habendum eſſe, & in totali ſumma ejus non haberi rationem, atque ita Scripturam totum illud *ſpatium Jud.* 2. 7. 9. 10. quotcunque annorum fuerit, in totali ſumma *ſilentio prætermittere.* Quod autem *ex Scriptura non conſtent anni Samuelis & Saulis* hic etiam adjiciendi falſum eſt, nam quamvis forte non dicatur hi Samuelis, hi Saulis anni ſunt, quod vix fieri potuit, cum ille aliquamdiu ante hunc, & hic aliquamdiu cum illo, & etiam poſt illum, Iſraelitis præfuerit, ſatis multa tamen occurrunt in Scriptura quæ patefaciunt utriuſque annos, ſi modo ſatis diligenter attendantur & inquirantur. Nam Act. 13. 21. expreſſe dicitur quod ab initio Samuelis ad finem regni Saulis fluxerint anni 40, quo rotunde exprimitur tempus quod à morte Heli admortem uſque Saulis effluxit, omiſſis tantum 12 annis, quibus Samuelis filii

pag. 119.

filii male rempublicam adminiſtrarunt. Ex quibus 52 Joſephus tantum meminit annorum 32, quia non numeravit primum illud vicennium quo poſt mortem Heli fuerunt Palæſtinis obnoxii. Atque ſi jam vel cum Joſepho, Samuelis & Saulis annos numeret 32 & Joſuæ concedat 26, vel cum aliis illorum annos dicat 40, quos hic Apoſtolus, & tanto pauciores concedat Joſuæ, res eodem redibit; & numquam hic numerus compoſitus cum ſupradictis excedet numerum annorum 1 Reg. 6. 1. expreſſorum, ſcil. 480. Quantum ad 1 *Sam.* 13. 1. *quem locum corruptum eſſe & truncatum non dubitat*; ſi recte inſpiciatur, contrarium patebit. Nam cum auctor illius libri, ut ex plurimis circumſtantiis apertiſſimum eſt, propoſuiſſet enarrare occaſionem lapſus Saulis, ne quidem videtur cogitaſſe *de numero annorum ætatis Saulis cum Regnum adeptus eſſet*, quem hic deſiderari, perverſe dicit Anonymus, foret enim plane præter ſcopum; ſed aſſignare voluit, quam cito Rex poſt adeptum Regnum à Deo defecerit, & quo Regni tempore Deus ei nunciare fecerit, ſe alium ſibi elegiſſe Regem, dicens *Filius anni Saul in Regnando*, vel Regno ſuo, *& duobus annis regnavit ſuper Iſrael, & elegit ſibi tria millia*, &c. id eſt, unum & alterum annum regnaverat, cum ſibi eligeret tot millium exercitum, in quo ita ſe geſſit ut narratur, & Deus ei id nunciari fecit quod legitur ibidem eodem capite. Atque adeo nihil hic corruptionis niſi quod ipſe ſibi fingit Anonymus. *Saulem plus quam duos annos regnaſſe*, nullus dubitat, certum enim eſt viginti annos regnaſſe: nec etiam hic id aſſeritur, ſed tantum quod duobus annis Rex fuerit, cum iſta quæ ſequitur Hiſtoria gereretur. Quare nullo modo pro *hujus textus correctione* habendum eſt quod refert Joſephus, *Regnavit itaque Saul Samuele vivente annos decem & octo, moriente autem alios duos*; ſed pro genuino veritatis, jam ſupra à nobis admiſſæ, teſtimonio. Quæ his adjicit *de non cohærentia Hiſtoriarum hujus primi libri Samuelis*, nil niſi ejus præjudicia ſunt, fundamento omni deſtituta. Quod autem *anarchiarum tempus* ex Scriptura *non certo conſtet*, ſupra conceſſimus, & idcirco eas in cenſum annorum Politiæ Judaicæ, minime adducendas eſſe ex ipſa Scriptura concludimus, contra Anonymum hic, ipſam Scripturam oppugnantem; Quare nullo modo mirandum *non conſtare tempus illarum trium Hiſtoriarum*, de Michæ & Danitarum Idololatria, belloque Benjaminitico & ejus cauſis, *quæ quinque poſtremis capitibus libri Judicum commemorantur*, nam apertiſſimum eſt, eas tempore anarchias alicujus contigiſſe: ut patet Jud. 17. 6. & 18. 1. &c. & 20. 1. & 21. 1. &c. Atque adeo nullo modo patet, *veram annorum*, Politiæ ſcil. Judaicæ, nam alios Scriptura non reſpicit ſummatim, *computationem ex Hiſtoriis* Scripturæ, *non conſtare*; *aut ipſas Hiſtorias in una eademque non convenire, ſed valde diverſas ſupponere.* Sed contrarium; imo licet hoc concederetur, diverſas ſupponi ſupputationes, id nihil contra nos, vel authoritatem divinam,

pag. 120.

nam, quamvis multum ad obſcuritatem in Chronologia, quam Scriptura tradere non propoſuit, nam illæ veritatem non evertunt & ideo in eum finem male adducerentur. *Multo* minus concludi poteſt *has Hiſtorias ex diverſis ſcriptoribus collectas eſſe & necdum ordinatas aut examinatas fuiſſe.* Nil enim ullius efficaciæ fuit, quod magno conatu colligere & invertere ſtuduit Anonymus.

§. 8. Eandem computationis diſcrepantiam etiam conatur demonſtrare in libris Chronicorum Regum Iſraelis & Judæ, ac dicit 2 *Reg.* 1. 17. dici *quod Joram Filius Achabi regnare incepit anno ſecundo Regni Jorami filii Joſaphat, & contra ibid. Cap.* 8. 16. *quod Joram filius Joſaphat regnare incepit anno quinto Regni Joram filii Achabi.* Quæ prima fronte pugnare videntur, ſed attentius conſiderata, optime conſpirant; Primo conſtituatur Joſaphatum 25 annos imperaſſe in Juda, ut Scriptura expreſſe teſtatur 1 Reg. 22. 42. Deinde notemus Joramum filium Achabi Regnare cœpiſſe in Iſrael 18. anno Joſaphati Regis Judæ 2 Reg. 3. 1. Atque ita Joſaphatum in Juda, cum Joramo in Iſrael regnaſſe per ſeptem annos. Obſervemus etiam quod Joram duobus primis ex illis ſeptem annis, non aliter regnaverit, quam adminiſtrando Regni negotia pro fratre Ahazia majore natu, qui cum cecidiſſet per cancellos ab initio Regni propemodum, per biennium quo regnavit, ægrotus decubuit, & regni negotia non valebat exequi 2 Reg. 1. 2. 17. regnabat itaque nomine, re tamen ipſa frater imperabat. Atque adeo & recte dici poteſt quod cum Joſaphato per ſeptem, & quod tantum per quinque annos imperium tenuerit. Jam autem Joſaphat anno decimo octavo regni ſui, prælium initurus in Gilead cum Achabo, adverſus Syrios, in quo etiam periit Achab, quem ſuccedebat filius major natu Ahazia, 1. Reg. 22. 3. 4. 34. & ſibi de ancipiti ejus eventu probe conſcius, priuſquam eo veniretur, filium conſtuerit Regem 2. Chron. 21. 1. 2. 3. 5. Et manifeſtiſſimum erit non tantum quomodo Joram filius Achabi, qui ſimul eodem decimo octavo anno Joſaphati, cum Joramo rege Judæ inceperat pro fratre ſuo adminiſtrare Regnum Iſraelitarum, ſimul & decimo octavo Joſaphati anno nomine tenus Rex factus ſit, & ſecundo Jorami filii Joſaphat, poſt mortem fratris ſibi Regnum adeptus fuerit; ſed etiam quomodo Joram filius Joſaphat, cujus pater à prædicto prælio per ſeptem annos ſupervixit 1 Reg. 22. 42. quinto anno, quo Joram filius Achabi, poſt mortem fratris ſibi regnum tenebat, primo poſt patris mortem ſolus regnare cœperit. Nec hic ulla remanebit difficultas. Et ſimili modo ſiquis Hiſtorias Scripturæ conferre & examinare voluerit, plurimos alioquin in ſolubiles nodos, facillimo negotio diſſolvet. Quæ hic dicit *de commentatoribus quos legit*, eos ſcil. *ſomniare, fingere, & linguam ipſam plane corrumpere* ut ſcil. S. Scripturæ nodos diſſolvant; nihil ad nos, quamdiu non exprimit qui fuerint quos legit, vel quæ tradant. Quos enim nos legimus, quamvis non omnes in omnibus probemus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

bemus, nihil minus tamen quam ſomniare vel fingere dici poſſe cenſemus, ut fingit & ſomniat Anonymus. Quantum *ad annos Ahaziæ* qui 2 *Chr.* 22. 2. ſtatuuntur fuiſſe 42 & 2 *Reg.* 8. 26. tantum 22 *cum regnare inceperit*, nullo modo probamus figmentum Rabbinorum ex libro eorum Sepher Olam de conſtituendo eorum initio, non cum nativitate Ahaziæ, ſed Regno Homri. Verum omnem difficultatem auferri puto, ſi dicatur, Joramum, qui per ſeptem annos regnaverat cum Patre Joſaphat, octavo anno regni ſui, qui primus erat poſt mortem Joſaphat, feciſſe quæ narrantur 2 Reg. 8. 18. 2 Chron. 21. 5. 6. & impie ac infeliciter regnaſſe; quo cum ab hoſtibus opprimeretur, & deinceps inſanabili in corpore laboraret plaga 2 Chron. 21. 14. 15. 20. filius ejus, agens annum 22, regnum adiit 2 Reg. 8. 26. & per viginti annos vivente Patre, ſed infeliciter vivente, tenuit. Mortuo vero Patre per unum annum regnavit, atque ita revera 42 annum agebat cum inciperet ſolus, & 22 cum primo abſolute regnare inciperet ac regnare incepit Ahazia anno 12 Regis Joram Regis Iſraelis filii Achabi 2 Reg. 8. 25. Atque adeo hic nihil occurrit quod ad libitum fictum dici poſſit.

§. 9. Quod autem hic petat *certum ordinem*, *quem Hiſtorici in Chronologicis ſine peccato imitari poſſent*, *& omnium Hiſtoriarum interpretationem & conciliationem*, *quæ Phraſes & modos loquendi*, *& orationes diſponendi*, *& contexendi adeo ſtricte obſervet*, *ut eos quis tuto imitetur*, Plane abſurdum eſt, cum nullus tantam habeat ſacræ Scripturæ notitiam, ut ex, & in ea, proficere ulterius non poſſit, nam ex parte cognoſcimus 1 Cor. 13. 12. Et quotidie plura patefiunt in Scriptura nobis prius incognita. Multum hic præſtitit Uſſerus & alii, ſed nuper plurimum vir Doctiſſ. Iſaacus Voſſius. Sunt autem ignorantiæ noſtræ variæ cauſæ. Ut negligentia inquiſitionis; Confuſio annorum Politicorum, Hiſtoricorum & Naturalium ſeu Phyſicorum; Permiſtio annorum quibus filii vel ſoli vel cum parentibus regnarunt, quod etiam Perſicam Chronologiam ad modum confundit, qua ſigillatim explicanda magnam expectamus operam Iſaaci Voſſii, qui ſe eam aliquando traditurum promiſit; Aliæque ignotæ regum & regnorum circumſtantiæ quæ continua Doctorum diligentia magis magiſque ex tenebris eruuntur & luci exponuntur. Quod manifeſtiſſimum ſignum eſt, hinc male concludi, Scripturæ Hiſtorias ſine delectu, examine, & ordine ac ſcopo deſcriptas & collectas fuiſſe ab Ezra. Sed ab Hiſtoriarum & computationis confuſione, tranſit ad *S. Scripturæ mendas & corruptiones*, quas in iis reperiri clamat. Statuit tamen quas invenit mendas *levioris momenti eſſe*, *iis ſaltem qui Scripturas liberiore judicio legunt.* Imo fatetur *ſe nulla reperiſſe circa moralia documenta*, *quæ ipſa obſcura & dubia reddere poſſent.* Forte tantum circa Veritates ſpeculativas. *pag.* 121.

§. 10. Quod autem rideat non tantum eos *qui in literis & apicibus abſurda*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

quærunt myſteria, quales inter Judæos non pauci: ſed etiam eos *qui ſtatuunt Deum ſingulari quadam Providentia*, non *omnia* & ſingula *Biblia* in individuo, ſed Scripturam Sacram multis ſingularibus bibliis contentam, ita *conſervaſſe*, ut etiam nobis *incorrupta* ſuperſit, vel obſervari poſſint corruptiones ſatis apertæ, ineptiſſimum plane eſt: periret enim nobis omnis Scripturæ certitudo, nec quovis alio libro præferenda foret & Deus vel eam à corruptione præſervare nollet, vel non poſſet; hoc dici nequit, quia poteſt omnia; nec illud, quia voluit illam nobis indubitatam eſſe vitæ regulam. Non videtur tamen negari poſſe, in ſingularibus quibuſdam libris aliquando mendas irrepſiſſe; ſed eas etiam obſervatas fuiſſe certum eſt.

§ 11. Videamus quæ profert *Mendarum exempla*, locum 1 *Sam.* 13. 1. jam ſupra ad pag. 119. minime corruptum eſſe, demonſtravimus. 2 *Sam.* 6. 2. nullam dari mendam patuiſſet ſi non invertiſſet textum, nam non dicitur *ivit David & omnis populus, qui ipſi aderat, ex Juda*, ſed ex *Baal Juda, ut inde*, ſcil. ex Baala Judæ *auferrent arcam*, eſt autem Baala civitas in tribu Juda ſita, eadem quæ Ciriath Jearim, unde deducta fuit arca, ut manifeſtum eſt Joſ. 15. 9. 10. 11. ubi expreſſe dicitur quod Baala ſit Ciriath Jearim; hoc autem civitatis nomen in ſua ſignificatione ſumpſit Anonymus, quod ſi tamen etiam recte facere voluiſſet, dicendum non fuiſſet, qui aderat *Populus ex Juda*, ſed *ex Dominis Judæ*, totum enim illud nomen omittit. Nec ullo modo perturbatus aut truncatus textus 2 *Sam.* 13. 37. nam ſatis manifeſtum eſt Davidem dici luxiſſe filium Ammon, occiſum ab Abſalone, in fuga ſeu dum fugeret Abſalon omnibus diebus, ſcil. Fugæ illius, quæ per tres annos duraverat: ſed cæcis & luſcis vel Solis radii obſcuri ſunt, & commaculati.

pag. 122.

§. 12. *Notas marginales dubias eſſe lectiones*, probat primo quod *pleræque ex magna literarum Hebraicarum ſimilitudine inter ſe ortæ ſint*. Deinde quod ortæ ſint *ex uſu literarum quieſcentium*. Quod totum concedere poſſumus, nam nihil eſſentiæ aut materiæ vocum præjudicat, non aliter quam ſi quis Belgice **morgen** aut **mergen** dicat; aliud quid eſſet ſi oratio affirmans in negantem, aut vice verſa, aut deſperata una in aliam eſſet mutata. Cæterum nos Maſoretharum Myſteria in *notis marginalibus* occulta nec probamus nec propugnamus; quare iis quæ hic prolixe Anonymus non inhærebimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Reliqui V. T. libri eodem modo quo ſuperiores examinantur.

§. 1. DUos *libros Paralipomenon* dicit *dudum poſt Hezram ſcriptos & forte poſtquam Judas Machabæus templum reſtauravit.* Hezram eorum auctorem eſſe, communis eſt Hebræorum ſententia; quam huic Anonymi conjecturæ longe præferendam cenſeo. *Narratur Lib.* 1. *cap.* 9. *quænam familiæ primum* (ſcil. *tempore Hezræ*) *Hieroſolymæ habitaverint.* Sed quid ni id Hezras ipſe de ſuo tempore narrare potuiſſet, cum poſtea totum librum ſcripſit de iis, quæ ipſius tempore contigerunt. *Indicantur Lib.* 1. *cap.* 9. *vers* 17. *Duo Janitores, qui etiam Nehem.* 11. 19. *recenſentur.* Sed quid ni iidem ſuperſtites fuerunt ad Nehemiæ tempora, & in officio ſuo continuarunt, atque ita & ab Ezra & à Nehemia recenſeri potuerunt. *Poſt urbis itaque reædificationem dudum ſcriptos eſſe,* certo non conſtat. *De eorum authoritate, utilitate & Doctrina,* de quibus Anonymo *nihil*, nobis hoc *conſtat*; quod jam dudum in Eccleſia recepti fuerint pro divinis. Quod contineant diaria majorum poſterorumque in familia Davidis, ad captivitatem Babylonicam & umbram reſtituti regni in Zorobabele, qui ipſe fuit ex poſteris Davidis. In quibus breviter (ut diurnorum mos eſt, hinc enim & *verba dierum* dicuntur; quamvis cenſeamus eſſe diſtincta ab iis qui in libris Regum verba dierum appellantur; cum in his nihil ſit de ſolio eburneo Achabi 1 Reg. 22. 39.) non tantum multa narrantur, quæ in Annalibus, quos Hebræi Samuelis & Regum libros dixerunt, non inveniuntur, quare etiam à Græcis παραλειπόμενα vocantur; ſed & accurata fit recenſio primorum initiorum totius Eccleſiæ Dei a ipſis humani generis primis parentibus deducta ad Noachum & per Semi familiam ad Abrahamum, & inde per Jacobum ad Davidem & Zorobabelem poſt captivitatem, deſcendentem à Davide, ex cujus poſteris, ſecundum ſæpius factas promiſſiones, naſci debuit Chriſtus Jeſus, qui ut verus & certo cognoſceretur, neceſſario in Eccleſia talis requirebatur concatenata recenſio omnium majorum poſterorumque Davidis. Quod ſi obſervetur, non eſt quod *quis* cum Anonymo *miretur, cur hi libri inter ſacros recepti fuerunt, ab iis, qui librum Sapientiæ, Tobiæ, & reliquos,* multis de cauſis, in his duobus nullo modo reperiundis, *ex canone Sacrorum deleverunt*; multiplex enim eorum utilitas meridiana luce clarius eluceſcit. Sed præjudicia Anonymi oculos ad omnem hujus Scripturæ utilitatem doctrinam & auctoritatem, excæcaſſe videntur.

Anonym. cap. 10. pag. 127.

§. 2. *Pſalmorum librum collectum fuiſſe, & in quinque libros diſtributum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſub ſecundo templo, ſolo *teſtimonio Philonis Judæi* comprobare potuit, idquē non univerſaliter, ſed de duobus tantum 88. & 89. *Pſalmis*, qui tunc cæteris potuiſſent fuiſſe ſuperadditi, de quo tamen nihil conſtat. Multos iis, quos David veteres collegit; quos ipſe pſallendi ſciens addidit, aut per homines idoneos addi curavit, poſterioribus temporibus adjectos fuiſſe ab Eſzra, ut Pſalmus 137, quem in exilio Babylonico, & 126 quem in reditu ſcriptum credit, concedit Grotius hic. Simile fere quid Junius, qui de his latius.

pag. 128. §. 3. *Salomonem Pròverbiorum auctorem eſſe*, tam certum eſt, ut ab Anonymo negari non potuerit, quando vero fuerint collecta, non certo conſtat. Ex Prov. 25. 1. videtur apertum, quod antecedentia fuerint inventa tali ordine conſcripta quo nunc ſunt; ſed ſequentia ſuperaddita tempore Ezechiæ Regis Judæ, & collecta tanquam Salomonis, à Sebna ejus ſcriba 2 Reg. 18. 18. quare alii vertunt καίγε αὗται παραβολαὶ *etiam hæ ſunt Parabolæ*. crit. t. 3. p. 4333: erant enim diſperſa per multos libros quos videtur ſcripſiſſe, unde horum opera collectæ fuerunt. Quali modo etiam varii Imperatorum Conſtantinopolitanorum talia conſcribi in ſuos uſus fecere. Vide Ravanell. hic. Quod autem addit *de Rabbinorum audacia*, tantum tendit ut indirecte hujus libri auctoritatem in dubium vocet, ſed cum directe id non poſſit, nos nihil moramur tales cuniculos, & hanc eorum audaciam cum omnibus eorum ineptiis plane rejicimus. Dubium etiam *an ei nobis hæc bona fide tradiderint*, ineptum exiſtimo, quamdiu ſatis rigidum non inſtituit examen, ut ſe hic nolle dicit. Nec *à ſola Rabbinorum electione dependerunt res ſacræ*, ſed à magno Synedrio cui olim Eſzra præfuit & interfuerunt Prophetæ varii, viri à Sp. Dei acti. Nec etiam ipſum Rabbinorum nomen ſemper in malam partem ſumptum fuit. Vide Ravanell.

§. 4. Pergit ad Prophetias & *libros Prophetarum*, in genere ſtatuens *Prophetias quæ in iis continentur ex aliis libris collectas fuiſſe*. Quod etiam in aliis Chronicorum aut annalium libris quædam contineantur, negari nequit: ſed tamen inde non ſequitur ipſos Prophetas eas etiam hoc ordine ſpeciali libro non conſcripſiſſe. Et quid ſi à Poſterioribus priorum Prophetiæ ſic fuiſſent collectæ & Eccleſiæ traditæ, quid abſurdi? Sed addit *nec eas ordine quo dictæ fuerunt*, *nec omnes iis contineri*, *ſed eas tantum quas hinc illinc invenire potuerunt*. Quid tum poſtea? cur non licuit Prophetis alium in ſcribendo obſervare ordinem quam ordinem temporis quo dictæ ſunt Prophetiæ? cur non conjungere Prophetias ſe mutuo illuſtrantes & eodem ſpectantes, licet aliis & aliis temporibus dictas? & quid temporis ordo ad veritatem Prophetiæ? nihil profecto. Omnes autem conſcriptas non eſſe, quomodo probabit. Et licet forte quaſdam vel particulares, vel alio quam ad Eccleſiam ſpectantes, vel quavis alia de cauſa cenſuerint omittendas, quid hoc ad eas quas tradiderunt? An id eas incertas? An inſufficientes reddere poteſt? minime vero. *Sunt hi libri tantum fragmenta*

Pro-

Prophetiarum. Falſum eſt, ſunt omnes quas Prophetæ voluerunt conſcribi, & Eccleſiæ tradi. Probetur ex iis aliquam deſiderari.

§. 5. *Jeſaias*, inquit, *ſcripſit res ab Huzia geſtas* 2 *Chron.* 26. 22. *quem librum jam deſideramus.* Supra conceſſimus Prophetas ſui temporis annales feciſſe, quibus etiam inſeruerunt ſuas Prophetias: ſed hic probandum, in illo libro Jeremiæ, de rebus geſtis Huziæ, contineri Prophetias alias quam in Prophetiarum libro. *Habentur*, quas nos in Prophetiarum libro tenemus, *in Chronicis regum Judæ & Iſraelis,* non ſequitur tamen *inde deſcriptas fuiſſe*, & concedatur etiam hoc, ſi modo à Prophetis & Sanctis viris factum fuerit, uti fuit. Quas *Rabbini narrent fabulas*, ipſo Anonymo fatente, nihil moramur.

§. 6. Quamvis etiam *in libro Prophetiarum Jeremiæ non obſervetur ordo temporis* quo dictæ fuerint, an ideo nullus? an ideo perturbate accumulatæ ſunt Prophetiæ. Si attendatur videbimus totius libri quaſi tres partes, ſecundum triplicem Jeremiæ conditionem, aptiſſime diſpoſitas, ita ut prima tribui poſſit Jeremiæ libero ad cap. 32. Secunda captivo ad cap 40. Tertia liberato ad finem libri. Et ſi minutatim examinemus Caput Primum Jeremiæ perſonam & vocationem Propheticam docebit, ſimul cum tempore & aliis ejus circumſtantiis, hinc ad cap. 30 continet conciones hortatorias & elencticas omnes fere ejuſdem argumenti, quamvis ſub diverſis regibus & diverſis temporibus habitas. Sequentia quatuor capita promiſſiones habent liberationis & inſtaurationis populi & Eccleſiæ per Cyrum & Chriſtum. Ad cap. 46 autem tradit Hiſtoriam complementi ſuarum Prophetiarum, urbis ſcil. obſidionem & expugnationem; populi deportationem in Chaldæam, quorundam in Judæa relictionem & fugam in Ægyptum, addens etiam ſuam conditionem & fortunam tum ante obſidionem, & in ea, tum poſt expugnationem; quibus ad cap. 52 adjecit oracula adverſus exteras gentes, in ultimo cap. 52. facta brevi repetitione Hiſtoriæ excidii urbis Hieroſolymæ, vel præcipuarum dictarum Hiſtoriarum, & concluſione aptiſſima. Ita ut nulla ratione hic ordo deſiderari poſſe videatur. Temporis ordo obſervetur in Chronologia & Annalibus, non vero neceſſario requiritur in Prophetiarum ſyſtemate doctrinali, Eccleſiæ tradendo. *Hiſtorice* quidem *narrantur*, quatenus traditur quid factum fuerit, & non jam demum fiunt Prophetiæ: ſed tamen non traditur Hiſtoria Chronologica Prophetiarum; & ideo non requiritur ut obſervetur ordo temporis cum obſervetur alius, qui ſatis docet hæc non *perturbate accumulata fuiſſe* oracula. *Variæ narrantur cauſæ captivitatis Jeremiæ*, ſed variarum captivitatum, ut patet cap. 20. 2. 3. cap. 32. & 37. & 38. præterea ſi conferantur Jerem. 32. 2. 3. 4. &c. cum 57 verſ. 4. 5. 12. 13. 17. 18. 21. manifeſte patebit duas illas cauſas ſimul concurrere potuiſſe, & tantum diverſas ejuſdem facti circumſtantias eſſe. Ita ut nullo modo ſequatur hæc *ex diverſis Hiſtoricis collecta fuiſſe.* Quæ addit *de Volumine*

pag. 129.

lumine quod Baruch ipſo Jeremiæ dictante ſcripſit, ſecundum Jerem. 36. 4. nihil ad rhombum, nam ipſe tantum Jeremiæ fuit amanuenſis in conſcribendis Prophetiis, tunc rejectis & combuſtis, & huic libro à Jeremia inſertis.

§. 7. *Ezechielis librum fragmentum tantum eſſe*, probat ex primis ejus verſibus, quibus dicit contineri *conjunctionem qua ad alia dicta refertur*, *& cum iis connectuntur dicenda*. Sed quid ſi concederetur ad alia dicta referri, unde probabit referri ad alia dicta ejuſdem Prophetæ; quid ni ita ſcripſit ut continuaverit librum Dei, & Hiſtoriam populi vel Politiæ Judaicæ & jam ab aliis hucuſque conſcriptum. *At*, inquit, *annus trigeſimus*, *à quo hic liber incipit*, *oſtendit Prophetam in narrando pergere*. Sed aberrat, nam continuaturus Propheta librum Dei, & nolens indicare annum regis, utpote exulantis & in captivitate quales anni in cenſum non veniunt, ut ſupra dictum, non aliam quam proximam & maxime notabilem Judæorum æram aſſumere potuit: ea autem fuit annus 18 Joſiæ, quo Paſcha celebratum & fœdus cum Deo renovatum 2 Reg. 23. 23. & 2 Chron. 34. 8. 27. &c. à quo hic fuit annus 30. Joſias enim poſt hoc Paſcha regnavit annis 14. Jojakimus 11. 2 Reg. 23. 36. qui cum 5 annis Jojachini 2 Reg. 23. 31. faciunt 30. Nec quis ulla ratione negare poteſt, eam æram notabilem fuiſſe & memorabilem Judæis. Sic & Eſa. 7. 8. dicitur, *Dum labuntur ſexaginta quinque anni*, *conſternatus erit Ephraim infra populum*, ac notatur æra notabilis in regno decem tribuum, nempe à morte Jaroboami ſecundi, qui fuit ex poſteris Jehu. Præterquam quod Ezech. 1. 2. hic ipſe annus dicitur quintus Jechoniæ, qui ipſus eſt 30 à prædicto 18 Joſiæ. Vel etiam Propheta ſpectavit æram populi à quo captivus tenebatur, erat enim ex Scaligeri computu trigeſimus ab ἐνθρονισμῷ. Nabopollaſſaris ſeu Nebucadnezaris magni, qui Syriam & Judæam ſubjugavit. Cenſet etiam Calvinus annum hunc eſſe 30 à Jubilæo, nam exiſtimat annum 18 Joſiæ Jubilæum fuiſſe, quod in medio relinquit Coccæjus. Affirmat Clarius hic. In *tertio autem verſu cap.* 1. *Ezech.* non dicitur, *fuerat ſæpe verbum Dei*, &c. ut vertit Anonymus, *ſed Eſſendo fuit*, qui eſt mos Hebræorum quando ſunt expreſſuri rei certitudinem & dignitatem, quod hic ſignificari patet ex Ezech. 3. 14. & ex fine hujus verſus, ubi manus Dei ſuper ipſum fuiſſe dicitur. *Joſephus etiam Antiquit. Lib.* 10. *cap.* 10, non, ut male Anonymus, narrat Ezechielem prædixiſſe, quod *Tſedechias Babyloniam non videret*, quamvis Jeremias prædiceret eum captivum Babylonem verſus ducendum eſſe, & addit utrumque contigiſſe, referens cap. 11. quomodo oculis privatus eo ductus fuerit, atque adeo nec Joſephus quicquam contra cap. 17 Ezechielis, ubi narratur quod Babyloniam captus duceretur, non vero quod captus videret: uti id ipſum obſervat ibidem Joſephus. Vide Jerem. 34. 3. 4. 5. & 52. 10. 11.

§. 8. *De Hoſea* quod *plura non habeamus* ſine ratione *miratur*, cum ipſe fateatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tur *ſe certo dicere non poſſe, quod plura ſcripſerit, quam quæ in libro, qui ejus dicitur, continentur.* Septem tantum continet totus ejus liber conciones ejuſdem prope argumenti, quibus in idololatriam reliquaque Principum & Populi ſcelera craſſis typorum & verborum figuris ſeveriſſime invehitur; & repleta ſcelerum menſura, ob deploratam pervicaciam, inſtans regno excidium denunciat; ac promittit, impia multitudine pereunte, regnoque everſo, reliquias piorum ſervandas eſſe in Chriſto, de cujus divinitate, officio, morte, victoria, &c. præclare vaticinatur. Plures feciſſe conciones, non eſt quod dubitetur; Sed plures conſcripſiſſe nullus probabit. Forte quia alii Prophetæ ſimul viventes & cum ipſo Prophetantes, quales Jeſaias, Jonas, Micheas & Amos, ſuas etiam tradebant Prophetias, has ſolas ſcribi ſatis judicavit. Quis autem *Scriptor* ſit *ex cujus teſtimonio* Anonymus aſſerit *eum plus quam* 84 *annos Prophetaſſe*, ignoramus plane, non ſaltem idem qui ſcripſit librum Prophetiæ Hoſeæ, ſeu ipſe Propheta, apud quem nullus talis occurrit locus. Nec ex omnibus virorum Doctorum conjecturis & ſupputationibus aliqua tranſcendit ſupra annum 80 niſi paucorum apud Druſium crit. t. 4. p. 6223. plurimis vel in octuageſimo, vel intra illum ſubſiſtentibus, uti etiam vide apud Paræum oper. t. 1. pag. 476. Rivetum t. 2. p. 499. Sed quia in libro Prophetæ non dicitur quo anno Uzziæ inceperit, & quo Ezechiæ finierit, certus annorum numerus conſtitui non poteſt; & parum certe facit ad rem, ſi non probaverit Anonymus, quod tempore ſuæ Prophetiæ plura ſcripſerit aut ſcribi voluerit. Quod fatetur ſe probare non poſſe. Confer Zanchium tom. 5. pag. 6. qui tantum 60 ſtatuit. *pag. 130.*

§. 9. *Hoc ſaltem*, inquit, *in genere ſcimus, horum librorum ſcriptores*, quos præter rationem alios eſſe ſtatuit ab ipſis Prophetis, *neque omnium Prophetarum, neque horum, quos habemus omnes Prophetias collegiſſe.* Verum ſufficit nos illas & illorum Prophetarum Prophetias habere, qui & quas ipſi voluerunt conſcriptas in Eccleſia ſemper proſtare. Demonſtrandum fuiſſet vel hos vel alios alias dediſſe Prophetias quos ſupereſſe voluerunt, quibus jam caremus. Quod autem addit *nos nullas plane habere Prophetias eorum Prophetarum qui regnante Manaſſe prophetaverunt, de quibus* 2 *Chron.* 33. 18. 19. *in genere fit mentio*, Falſum eſt, ſi verum fuerit Eſaiam ad ejus tempora perveniſſe, & ab eo diſſectum fuiſſe, quamvis alii cenſeant eum Ezechiæ temporibus obiiſſe. Ipſum Prophetam Habacuc tempore Manaſſis ſuam edidiſſe Prophetiam, paulo ante regis captivitatem, ex ejus cap. 1. 4. probare conatur Torniell. t. 2. p. 118. Eum vixiſſe captivitate Babylonica inſtante apertum dicit Coccæjus Hab. 1. 56. qui etiam teſtatur Hebræos eum ſub Menaſſe collocare, ipſum locum ex libro Sepher Olam refert Druſius crit. t. 4. p. 6786. ubi adduntur etiam Joel & Nahum, quod itidem probat Grotius ibid. p. 6793. quorum ſcripta, quæ unquam literis mandata fuiſſe conſtant, reliqua nobis

ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſunt. Præterquam quod nullo modo mirandum foret ab illis Prophetis nihil ſcriptum fuiſſe, vel extare, nam præter idololatriam, aliaque horribiliſſima ejus Menaſſis crimina, Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 3. de eo narrat, quod in omnes quotquot erant cædibus graſſabatur juſtos, ne à Prophetis quidem cruentas manus abſtinens, nam & ex eorum numero, per ſingulos dies, aliquem afficiebat ſupplicio, ut Hieroſolyma inundaretur ſanguine, cujus nulla fuit cauſa, quam quæ traditur 2 Chron. 33. 10. 18. 19. Vide Torniell. loco citato. Sed addit *nos nec omnes horum duodecim Prophetarum* Prophetias habere; *Nam* inquit *Jonæ non niſi Prophetiæ de Ninivitis deſcribuntur cum tamen etiam Iſraelitis prophetaverit 2 Reg.* 14. 25. Fateor eam non aliunde quam ex hoc loco conſtare, verum etiam incertum eſt eam unquam literis traditam fuiſſe. Vide Martyrem hic. Fuit autem ſpecialis cauſa cur ſcriberetur ejus Prophetia in Ninive. Fatetur etiam Coccæjus eum alia prophetaſſe quam in ejus libro continentur in præfat: ad Jonam.

§. 10. De *libro Jobi* quæ profert, fatetur eſſe *meras conjecturas*, quocirca eaſdem præteribimus. Huc tamen videntur reducenda omnia quæ ſupra de libro Jobi dicta fuerunt ad pag. 96.

§. 11. Ad *librum Danielis concedit*, *quod ex cap.* 8. *Danielis ſcripta contineat*; ſed *ignorat undenam priora ſeptem capita deſcripta fuerint*. Verum primo docendum fuiſſet eſſe deſcripta. Et quid ſi ipſe Daniel ex Chaldæorum Chronologiis ad ipſos Chaldæos convincendos deſcripſerit? quid hoc obeſt auctoritati Scripturæ? Sed, inquit, *ſi id clare conſtaret*, luculentiſſimum eſſet teſtimonium, *Scripturam eatenus tantum eſſe ſacram*, *quatemus per ipſam intelligimus res in eadem ſignificatas*, *at non &c.* Verum id negari non poteſt; nec tantum hinc, ſed etiam ex ipſa rei natura patet, nam ad cognoſcendas res ſignificatas adhibetur lingua: quæ ſine illis eſt brutus ſonus & figura nihil ſignificans. Verum ſi hic per rerum ſignificatarum intelligentiam intelligat earum perfectam & comprehenſivam cognitionem, toto cælo aberrat, nam plurima revelantur quæ perfecte cognoſci non poſſunt. Sufficit etiam ad intelligentiam rei ſignificatæ, formari aliquem illius conceptum & ideam, licet non adæquatam & perfectam, ſi modo clara fuerit. *Præterea*, inquit, conſtaret *libros qui res optimas docent & narrant*, *quacunque demum lingua & quacunque natione ſcripti fuerint æque ſacros eſſe.* Quod tamen minime ſequitur. Nam ſacri dicuntur libri qui ſunt ſcripti à viris ductu Spiritus ſanti infallibili; ſed poteſt quis res optimas docere & narrare ſolo ductu naturalis rationis, optimas ſcil. in ſuo genere. Divina etiam quidem naturaliter cognoſcuntur; ſed ad ſalutem non ſufficienter, nec in uſu naturalis luminis ſemper adeſt infallibile & ſatis ſufficiens ad omnes errores evitandos auxilium Dei; & idcirco nulli libri ſacri dici poſſunt absque eo conſcripti. Sed ſi tales fuerint, fateor, ſacri ſunt, quacunque lingua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

gua & quacunque natione ſcripti fuerint. Quare concedimus *hæc capita* Danielis *Chaldaice ſcripta*, *& nihilominus æque ſacra eſſe*, *ac reliqua Bibliorum.*

§. 12. *Librum Hezræ ab eodem ſcriptore, quo Danielis*, *traditum* eſſe, *colligit*, ex eo, *quod ei ita annectatur*, & res Judæorum à prima captivitate ſucceſſive narrare pergat. Sed quidni aliquis alterius Hiſtoriam producere & continuare poſſet, & præterea multo major hujus libri cunnexio cum fine Chronicorum, qui ab Ezra conſcripti, hoc libro idcirco multo rectius continuari dicuntur, quam liber Danielis quem ipſe fatetur à cap. 8. ipſius Danielis ſcripta continere. Nam finis Chronicorum hujus libri initium eſt.

§. 13. *Nehemiæ liber*, ab Hebræis quidem, *Ezræ ſecundus dicitur*, ſed inde certo concludi nequit, ab eodem authore, quo liber Danielis & Ezræ, conſcriptum eſſe. Rectius hinc Ezra concluderetur ejus auctor. Sed ab ipſo Nehemia ductu Sp. S. conſcriptum eſſe, variis ejus locis probari poteſt. *Torniell. Anno* 3616.

§. 14. Quod *conjunctio qua incipit liber Eſther ad nullum alium referri poſſit*, quam ad librum Hezræ, unde probabit? plurimum enim diſputatur quis fuerit ille Aſuerus cui nupſit Eſther quod primo determinandum eſt, de qua quæſt: accuratiſſime examinatis plurimorum ſententiis, Balius pag. 154. Mordacheum hujus auctorem eſſe, quamvis ex cap. 9. 20. probabile ſit, neceſſarium non eſt, quidni Joachim filius Pontificis Jeſu, qui cum Zerubabele rediit, ejuſque collega fuit. Uti Paræus hic. Et Philo apud Alting. Hiſt. p. 100.

§. 15. Abſque omni fundamento itaque concludit, *quatuor hos libros*, *ab uno eodemque Hiſtorico*, *quem ſuſpicari non poteſt quis fuerit*, *ſcriptos fuiſſe.* Quod his libris inſerta quædam ſint ex publicis actis, nec abſurdum eſt, nec pugnat. Sed *Nehem.* 12. 23. intelligi libros noſtros Chronicorum patet ex coll. 1 Chron. 9. 10. &c. & nullum habet fundamentum cur ſtatuat librum de quo *Eſth.* 9. 31. alium eſſe deperditum, quam eſt Eſtheræ liber, quem habemus, ad ejus imperium à Joachimo vel alio, conſcriptum. Verum altiora loquitur. *Hos libros nec ab Eſzra*, *nec à Nehemia ſcriptos* vult, & probare conatur ex *Nehem.* 12. 9. 10. 22. ubi recenſetur Jaddua ſextus Pontifex qui apud Joſephum Antiq. 11. 8. Alexandro obviam proceſſit, & à Philone dicitur ſextus & ultimus Pontifex ſub Perſis; Aſt nullus, inquit, credet quod Hezras aut Nehemias adeo longævi fuerint, ut 14. Reges Perſarum ſupervixerint, quorum 230 anni numerantur. Sed non obſervat Nehemiam fuiſſe miſſum anno 20 Artaxerxis Memnonis, cujus ſeptimo anno miſſus fuerat Eſzras, Eſzr. 7. 7. 8. Nehem. 1. 1. unde ad regnum Darii ultimi, ex aliorum calculo tantum effluxerunt 70 circiter anni, quos Nehemiam attigiſſe non potuiſſe unde conſtabit? Verum ut hoc argumentum alicujus roboris ſit, ſi poſſit, reddat nobis accuratam Chronologiam regum Perſarum, &

pag. 132.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

procul dubio utilius tempus impenderit, quam conſcribendo hoc diſcurſu Politico. Atque adeo abſque ulla certitudine concludit. *Hos libros dudum poſtquam Judas Machabæus templi cultum reſtauravit, ſcriptos fuiſſe.* Nec majori fundamento aſſerit *fabulas in libro, qui quartus Eſdræ dicitur, Phariſeis tribuendas non eſſe, ſed ab aliquo nugatore adjectas, ut eorum traditiones omnibus ridendas præberet:* nam contrarium multo probabilius, cum illæ fabulæ in ipſo Talmude, ut fatetur, legantur, & à Phariſæis teneantur, cum ſuas traditiones in Talmude collegerint.

pag. 133. §. 16. *Multas* præterea *mendas in hos libros, quamvis*, ut putat, *novos & recentes irrepſiſſe*, non quidem ex copioſa eorum deſcriptione, ut in ſuperiores, de quibus antecedente capite, ſed *ex feſtinatione deſcribentium*, niſi fallatur, aſſerit. Verum vel plurimum fallitur, vel caſu veritatem attingit, nam unde concludit hanc feſtinationem, unde errores? Unde ortæ ſint notæ marginales, & quam recentes fuerint, ad caput ſuperius dictum fuit & examinatum. Atque adeo minime dubitamus quin ſint notæ marginales ipſis horum librorum ſcriptoribus longe poſteriores. Videamus itaque *loca, quæ*, ut putat, *nulla alia ratione*, quam admittendo mendas ex feſtinatione deſcribentium, *excuſari poſſunt*. Egregia profecto excuſatio, ſi admittatur corruptio. Primo profert *Ezræ* 2. 64. *ubi ſumma totalis omnium qui particulatim enumerati fuerunt dicitur* 42360 *& tamen ſi partiales ſummas addas, non plures invenies quam* 29818, ita ut differentia ſit 12542. Verum non obſervat in totali ſumma comprehendi etiam indicatos verſ. 59. & omnes qui probare non poterant ſe deſcendiſſe ex Iſrael; at quanta turba Babyloniorum Iſraelitas comitata fuerit quis exprimat aut ad numerum revocet. Quod autem *Nehem.* 7. *ubi reſumitur epiſtola genealogica eadem recenſeatur ſumma totalis*, non autem *partiales* ſed *aliæ majores, aliæ minores*, contingere potuit ex eo quod prima recenſio facta fuerit in Babylonia, cum inde diſcederent, poſterior vero aliquamdiu poſt adventum in Judæa & quod interea in itinere, aliis intereuntibus, aliis redeuntibus, aliis accedentibus facta ſit iſta mutatio, & hanc invenerit Nehemias; nam etiam quorundam nomina diverſimode narrantur, ut ex diligente collatione cuique manifeſtiſſime patere poteſt. Convocaverat enim omnes Nehemias ut ipſe ſummam iniret & ſupputaret, cenſens deperditas recenſiones primas, ſed invenit tandem quaſi præter opinionem hanc, Nehem. 7. 5. Quæ hic adjicit in Commentatores hæc conciliare ſtudentes pro virulentis dicteriis habemus, & rejicimus.

pag. 134. §. 17. Quantum ad nos, abſit *Blaſphemum dicamus eos, qui Scripturam* vitio deſcribentium *alicubi mendoſam*, putant in rebus parvi momenti quales ſunt Capellus, Voſſius, &c. Vel rectius qui in iis, quæ nobis ſuperſunt exemplaribus, tales putant ſe invenire & demonſtrare mendas, quas hactenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

hactenus ſatis recte cum cæteris conciliari poſſe non vident. Sed potius cum ipſis laboramus eas mendas invenire, & cum ipſis patefacere, ac quantum fieri poteſt legitime emendare omni ſtudio. Eos vero qui eas captant, ut Scripturam proſtituant, ejus auctoritatem debilitent & enervent, quamvis ſub prætextu auferendi præjudicia, utpote non ſatis ingenuos probatores eorum quæ in iis continentur apertiſſima, qualis eſt Anonymus, odimus cane pejus & angue. *Eos* etiam *qui Scripturis quicquid lubet affingunt. Qui Sacros Hiſtoricos ita proſtituunt, ut balbutire & omnia confundere credantur*, inter quos Anonymus non infimus eſt. *Qui denique ſenſus Scripturæ perſpicuos & evidentiſſimos negat*, non minus quam vaticano odio proſequimur. Sed hæc Doctiſſimis viris qui inexhauſto labore, quicquid in Scriptura obſcurum & difficile occurrit, immenſis ſuis commentariis illuſtrare conati fuerunt, tribuere, ipſa impudentia impudentius eſt. Eos infallibiles non aſſerimus. Nec eorum lapſus diffitemur. Sed etiam utiliſſimam Eccleſiæ navatam operam omnibus viribus ad cœlum uſque extollimus. Cum contra ab Anonymi perverſitate, & ſumma circa Naturam & Scripturam abſurditate, quantum poſſumus abhorreamus. Ezræ & Nehemiæ loca quomodo ſimul vera eſſe poſſint jam ſupra demonſtravimus. Nec ultra hic concedimus *una Scripturæ loca aliis accommodari*, niſi quod, circa factum à duobus fide dignis, ſed diverſis, imo ſæpe ut apparet, pugnantibus circumſtantiis narratum, nullo modo pugnantes, poſſibiles, imo veriſimiles admittamus conciliationes, uſque acquieſcamus, utpote qui probe novimus, quod aliquo facto ſufficienter cognito & probato, ab omni ratione alienum ſit, poſitivam requirere probationem omnium circumſtantiarum; quam ſi Anonymus *ridiculam pietatem* dicere voluerit, ſe manifeſte abſurdum eſſe cuique comprobabit.

§. 18. Præter has mendas *in ſummis Genealogiæ*, plures etiam dicit, dari *in nominibus familiarum*, de quibus jam ſupra rationem reddidimus, inſuper *in ipſis Genealogiis*, *in Hiſtoriis*, *& vereor*, inquit, *ne etiam in ipſis Prophetiis.* Sed hæc dicere non ſufficit. Plura dixiſſe potuiſſet. Probanda ſunt. *Prophetia Jeremiæ cap.* 22. 24. *&c. de Jechonia*, inquit, *nullo modo cum ejus Hiſtoria* 2 *Reg.* 25. 27. *Jerem.* 52. 31. *&c.* 1 *Chron.* 3. 17. 18. 19. *convenire videtur*, *& præcipue verba verſus ultimi illius capitis* Jerem. 22. Videamus: Apud Jeremiam prædicitur quod ſit prolapſurus in manus Nebucadnezaris, regis Chaldæorum; quod cum Matre ejiciendus ſit in aliam terram quam in qua natus fuerat; & quod in eadem ſit moriturus. Sed hæc omnia cum prædictis libri 2 Regum & Jeremiæ locis accuratiſſime conveniunt, ut cuique manifeſtiſſimum fiet ad primum aſpectum 2 Reg. 24. 15. & 25. 30. Jerm. 52. 34. nam expreſſe dicitur, quod poſt captivitatem ſeptem & triginta circiter annorum ab Evilmerodach rege Babyloniæ ex carcere deductus, ejus liberalitate per

omnem vitam ſuam in Babylonia, quaſi ad Regis Babylonici menſam vixerit: nam utrumque non diu poſt invicem mortuum eſſe, jam ſupra diximus; nec inter reverſos ulla ſit ejus mentio: imo cum ſucceſſores Evilmerodach Judæis adeo benevoli non fuerint, ut Rege mortuo hanc humanitatem Jechoniæ præſtare voluiſſent, non improbabile eſt eum prius mortuum. In ultimo vero Jeremiæ cap. 22. verſu, quem præcipue reſpicit Anonymus, prædicitur quod ſit futurus *abſque liberis*, *vir qui non erit felix in diebus ſuis*, *nam non erit felix de ejus ſemine vir*, *ſedens ſuper ſolium David*, *& Dominus ultra in Jehudach*. Quæ etiam accuratiſſime repleta videmus in ſupra dictis locis: nam ea exaltatio jam narrata, ſi cum 37 annorum captivitate comparetur, minime ſufficit ut felix dicatur. Filios, vel nullos habuit, vel ſi quos habuerit, ut innui videtur 1 Chron. 3. 17. 18. 19. non habuit Hæredes regni, quo Prophetam præcipue reſpicere ex ipſis verbis apertum eſt, lege hæc apud Coccejum hic. Zorobabel nepos ipſius præfectus Judæ fuit, non Rex. Præterea nulli Judæis præfuerunt libere omnino poſt captivitatem Babylonicam, ſed parebant exteris gentibus, nunc Medis, nunc Græcis, donec Machabæi, qui erant de gente Sacerdotali, excuſſerunt jugum Græcorum, quibus domus Herodum ſubrepſit. Ita ut nullus poſt Jojachin libere regnum inter Judæos adminiſtraverit. Quare Judæi, videntes ſe poſt captivitatem nunquam perfecte redemptos, perfectum ſemper expectarunt redemptorem Meſſiam, cujus regnum futurum non erat de hoc mundo, quod tamen plurimi inter eos non ſatis obſervabant. Atque adeo nulla hic diſcrepantia Hiſtoriæ à Prophetia. *Quod* autem
pag. 135. *non videat*, *qua ratione de Zedekia*, *cujus oculi ſimulac filios necari viderat*, *effoſſi ſunt*, *Jerm.* 52. 10. 11. *dici potuerit Jerem.* 34. 5. *pacifice morieris*: eſt quod ad cætera ſuperaddita non ſatis attendat, nam id dicitur oppoſite ad mortem violentam, in acie vel depopulatione, vel vindicta regis triumphantis, ut patet ex verbis immediate præcedentibus, non morieris gladio. Atque id etiam contigiſſe patet Jerem. 52. 9. 10. 11. Unde quantum abfuit finis Joakimi Jerm. 22. 18. Ita ut manifeſta S. Scripturæ corruptio ſit, quam hic inſtituere docet, *ad interpretationem* ſcil. *hujus Prophetiæ mutanda eſſe nomina Zedekiæ in Jechoniam & contra*. Hic ſcil. eſt ille vir, qui non omnia confundit, & clara ſuis obſcuris & recta ſuis mendoſis non accommodat, & ſana putridis ſuis inverſionibus non corrumpit. Sed tamen videns hujus *Paradoxiam*, non abſurditatem, id aſſerere non audet, & *rem imperceptiblem relinquere mavult*. *Reliquas mendas*, *ab aliis jam animadverſas*, *ut lectoris tædium effugiat*, *hic notandas non putat*. Deſcribit tamen *quæ de his habet R. Selomo*. Quæ nos iiſdem de cauſis examinare non conſtituimus; præcipue cum Rabbinorum ineptiæ ſine fine multiplicentur. *Ipſos commentatores ſæpiſſime*, *dum loca conciliare ſtudent*, *nihil plus agere quam errorum cauſam indicare*

care

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

care, de quibuſdam concedi poteſt: & quid inde, ſi noverint errores & eorum cauſas aſſignare, deſinunt errores eſſe, & corrigi poſſunt; hoc autem eſt quod dicimus, non dari errores inſuperabiles in omnibus exemplaribus. *Quod* autem *exiſtimet*, *neminem ſani judicii credere*, *ſacros hiſtoricos conſulto ita ſcribere voluiſſe*, *ut ſibi paſſim contradicere viderentur*, nimia forte ejus credulitas eſt. Quidni enim id voluiſſe poſſet Sp. S. ut ita noſtram exerceret diligentiam, auferret faſtidia lectionis, &c.? Imo quidni ipſi id intendiſſent Scriptores? Sed tamen id aſſerendum non putamus, nam Aparentis illius contradictionis cauſa magis in nobis quam in Scriptura quærenda eſt; ſi ſatis perciperemus Scriptorum mentem non apparerent. Cæterum eum *hac ratione*, ut ait, *Scripturæ conſulere & eam non plane evertere*, credat Judæus Apella, non ego. *Facit* ſcil. *ne clara mendoſis accommodentur & corrumpantur*, & interim quæ ſatis clara ſunt, mendoſa dicit; & omnia corruptibilitati ſubjicit; nec majorem exiſtimat Deum habere rationem hujus, quam aliorum librorum. *Non*, inquit, *quia quædam loca corrupta ſunt*, *idem de omnibus ſuſpicari licet*, *præſertim quando oratio eſt perſpicua*, *& mens authoris clare percipitur*. Sed hoc diſputatur, an quis de auctoris mente ſatis certus eſſe poſſit ex ſcripto quod multa continet loca corrupta, & cujus nullus locus corruptus eſſe poſſit. Si vero corrupta agnoſcantur & emendentur, deſinunt eſſe corrupta. Si nos necdum emendare poſſimus, fateamur ignorantiam noſtram, poſſimus enim jam quæ non potuere majores, & idem forte poterint noſtri poſteri. Noluit forte Deus hæc jam à nobis intelligi. Sed non ideo corrupta ſunt, quia nos diſſolvere non poſſumus. Uti nec majorum inſolubilia, nobis ſoluta, corruptiones dicenda ſunt. Non omnibus omnia ſemper ſcripta forte voluit Deus. Intellexerunt majores proculdubio & ſcriptores, quæ nos ignoramus.

§. 19. His *abſolvit quæ circa Hiſtoriam V. T. notare voluerat*, Ex quibus *pag.* concludit, *ante tempus Machabæorum nullum canonem ſacrorum librorum* 136. *fuiſſe*, *ſed hos quos jam habemus à Phariſæis ſecundi templi*, *præ multis aliis ſelectos eſſe*, *& ex ſolo eorum decreto receptos*. Quod falſiſſimum eſſe jam ſupra evicimus, ubi probavimus, diu ante Machabæos conſcriptos fuiſſe libros ſacros V. T. à ſuis auctoribus & in Eccleſia cuſtoditos ac receptos, ac poſt captivitatem Babylonicam à Prophetis recentiſſimis collectos & multis vitiis repurgatos fuiſſe, quo tempore nec Macchabæi nec Phariſæi in rerum natura exiſtebant. Nos autem jam non habere eos libros, niſi ab illis ſequentibus receptos, & agnitos, ac ab iis nobis traditos, fatemur, nec aliud fieri potuit, qui per ſucceſſionem ad nos devenire debuerunt. *Singulorum authoritatem probandam* concedimus & ſupra probavimus aſſignando eorum approbationem in N. T. cujus auctoritatem jam probare aggredimur. *Phariſæorum concilium illos eligens*, nunquam probabit cum diu ante Phariſæorum exiſtentiam collecti fuerint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rint. *Nec locus Dan.* 1 *ult. vers.* 2. hoc evincit: nam vel forte Sadducæi eum neglexerunt, vel non intellexerunt, vel male interpretati ſunt, vel in eo contra ſe teſtati ſunt. *Loca Talmudis* tantum probant quorundam Rabbinorum malum animum, quem ſingulari Dei providentia impeditum exiſtimamus Atque adeo hic nihil poteſt concludi.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Inquiritur, An Apoſtoli Epiſtolas ſuas tanquam Apoſtoli & Prophetæ, An vero tanquam Doctores ſcripſerint. Deinde Apoſtolorum officium oſtenditur.

Anonym. cap. 11. *pag.* 137.

§. 1. HUjus Capitis initio præſupponit *Apoſtolos Prophetas fuiſſe.* Verum id perquam ambiguum eſt. Nam Prophetarum nomen plurimas admittit ſignificationes. Propheta primus Moſes divinitus revelatam Doctrinam, & miraculis confirmatam propoſuit. Hanc ipſam multis modis illuſtrarunt, applicarunt, &c. ſubſequentes Prophetæ, qui præterea futura plurima prædixerunt. Omnes autem Prophetæ dicebantur, quia revelatam habebant à Deo cognitionem, non vero ex naturæ principiis & mediis quæſitam, nec eam ut talem, ſed ut revelatam præter naturam proponebant. Apoſtolos autem ſimiliter præter naturam factas habuiſſe revelationes dubio caret. Sed & ad hibuiſſe ſtudium inquiſitionis Scripturarum, & inſtitutos in iis fuiſſe à Chriſto, negari nequit. Certum etiam quod tanquam homines prudentes, poſt Chriſti inſtitutionem, & Scripturarum inquiſitionem, ſupra ſibi ſimiles noverint uti ratione ſua. Unde docentes, non tantum ſuas, quas habebant revelationes, ſed & quicquid ſub Chriſti diſciplina, & continua Scripturarum inquiſitione, ac prudenti rationis uſu, gratia & auxilio divino, plus quam vulgari præditi, propoſuerunt. Atque ita diverſo reſpectu & Prophetæ & Doctores divini dici poſſunt. Illud quatenus propheticas habuerunt revelationes. Hoc quatenus divino auxilio ſupra vulgari, & ſcripturâ & ratione ſua dogmata, infalibilibus modis confirmarunt.

§. 2. Quare puto abſurde dubitari ab Anonymo, *num Apoſtoli tanquam Prophetæ ex revelatione & expreſſo mandato, ut Moſes, Jeremias & alii, an vero tanquam privati, vel Doctores Epiſtolas ſcripſerint.* Nam ſi velit, an non niſi factas ſibi præternaturales revelationes conſcripſerint. Negabimus, nam plurima, & natura, & ex Scriptura nota, tradiderunt. Si velit an ipſis, ut Prophetis, revelatum ſit ſcribendi mandatum. Reſpondemus Deum intrinſece eos

eos impuliſſe ad ſcribendum, & ſic impulſos, non tanquam privatos, ſed ut conſtitutos Apoſtolos, & divinitus illuſtratos Doctores, ſuas epiſtolas ſcripſiſſe. Atque adeo ſcripſerunt, & ut Prophetæ, narrantes ſibi revelata, & ut divinitus per naturam & Scripturam illuſtrati, & infallibiles Doctores, à Chriſto ad docendum in Eccleſia conſtituti. Ita ut *in Epiſtolis & ſcriptis, & Prophetent* ſeu revelata ſcribant, *& doceant* confirmantes ſua dogmata per Scripturas & rationes. *Duo* quidem, fatente etiam Calvino hic, *genera prædicandi indicat Paulus* 1 *Cor.* 14. 6, ſed nullo modo indicat ea ſimul ſecundum diverſas partes in eodem ſcripto adhiberi non poſſe, ſed tantum præfert ex dono linguarum incognitarum. Et idcirco non eſt quod hinc dubitetur, ſcribantne ut Prophetæ ex revelatione, an ut Doctores & privati. *Eorum* itaque *Stylum à Stylo Prophetiæ deflectere* mirandum non eſt. Singulis Deus conceſſit Stylum pro ſuo arbitrio & materia tradenda. *Prophetis uſitatum erat teſtari ſe ex Dei edicto loqui*, dicendo *ſic dicit Deus.* Apoſtoli vero idem teſtati ſunt, in inſcriptionibus ſuarum Epiſtolarum, quamvis aliis verbis, ut Rom. 1. 1. 1 Cor. 1. 1. &c. adde & locum expreſſum, 1 Teſſ. 2. 13. adde Gal. 1. 10. 11. Eph. 3. 2. 3. 4. 5. Act. 26. 22. Gal. 1. 7. 12. Rom. 15. 16. 20. 2 Tim. 3. 16. Paulus 1 *Cor.* 7. 40. quidem dicit ſe *ſecundum ſuam ſententiam loqui*, ſed uti verſ. 25 addit, *tanquam cui Deus per miſericordiam dedit fidum eſſe*, docens ita ſe non, ut privatum, cerebri ſui dictata, ſed ut fidum Domini Apoſtolum, quem ſingulari gratia dominus dignatus ſit, hæc tradere, ita & hoc verſ. 40. addit *ſe exiſtimare quod etiam habeat Spiritum Dei.* Sic emphatica Μειώσει ironice perſtringens æmulos, qui ad auctoritatem ſibi parandam, Spiritum Dei plenis buccis jactabant, & Paulo Spiritum Dei detrahere ſtudebant. Eſt hoc impoſtorum proprium Spiritum Dei & afflatus arcanos jactare, fidelibus Dei ſervis obtrectare, Spiritum detrahere, ut patet 1 Reg. 22. 24. Dicit igitur Paulus ſe quidem Spiritum nolle jactare, videri tamen ſibi ſe quoque illius compotem factum, non minus quam ipſos. Nullo modo vero negat ſe ex Dei edicto loqui. Nec ullo modo *perplexus modus loquendi eſt* qui occurrit *Rom.* 3. 28. ubi Paulus λογίζεσθαι *concludit* homines per fidem juſtificari ſine operibus legis. Nam fit illa concluſio ex revelatione facta Rom. 3. 21. & non niſi ductu ipſius Spiritus Sancti. Nec *Rom.* 8. 18. ceu dubitans *opinatur* cum dicit λογίζομαι, ſed ex animi certitudine ſtatuit, nitens iis quæ indubitata fide crediderat. Nam hoc ipſum eſt quod Latini ſignificant verbo Reor, unde ratum eſt, quod certum ac firmum cenſetur. Nec 1 Cor. 7. 6. dicit, *hoc dico ego tanquam infirmus* λέγω κατὰ συγγνώμην οὐ κατ' ἐπιταγήν, *non autem ex mandato.* Sed hoc dico *ex conceſſione*, non autem ex mandato, addens ita moderationem iis quæ in verſu præcedente dixerat, conjugatos, ſe ad tempus à ſe mutuo abſtinentes, iterum ſe mutuo accedere debere, quod hic ita limitat à ſe dici ex conceſſione non mandato,

dato, ne quis putet eum præcipere, ut peractis precibus ſtatim congrediantur rurſus & libidini frenos laxent, ſed tantum congreſſum legitimum concedere iis qui abſtinere non poterant ulterius, id eſt, infirmis, quare in interpretatione Arabica apud Bezam hic, legitur, *Dico hoc vobis vere ſicut infirmis, non ut in mandato deciſionis*, ſeu decreto deciſivo. Nullo modo vero Apoſtolus hic teſtatur ſe tantum dicere quid ipſe infirmus optimum factu putet, non autem quicquam ex autoritate dicere vel præcipere, uti hæc invertit Anonymus. Nec quicquam eſt unde probet, quod 1 *Cor.* 7. 25. Paulus *tantum neget ſe habere*
pag. 138. *Chriſti documenta, quæ diſcipulos in monte docuit*, & *non* etiam quodvis *præceptum vel mandatum ſibi à Deò* vel in Scriptura, vel quovis alio modo *revelatum.* Nuſquam enim Deus in veteri lege de cælibatu fœminarum præceperat, nec ullum occurret in Evangelio præceptum; nec ullum innoteſcit, & fatetur Paulus ſibi revelatum Dei mandatum.

§. 3. Quantum ad *modum tradendi Doctrinam Evangelicam*, ad quem à modis loquendi tranſit Anonymus, Fatemur *eum à modo Prophetarum valde diſcedere.* Voluit enim Deus alio plane modo docere ſuam Eccleſiam jam adultam quam in infantia cum eſſet ſub pædagogia; magis cum ratione & rationaliter, non tot ſervilibus præceptis, mandatis & ceremoniis. Quare ſæpius Apoſtoli tum ex natura notis, tum ex Revelatis in Scriptura Legis & Prophetarum, ratiocinati fuerunt, & homines cum ratione ad ſalutem ex Scriptura ducere conati. Quod etiam Prophetia dici poteſt, non minus quam in V. T. ubi homines ad Moſen & legem revocabant Prophetæ. Quidni enim Prophetia præter dogmata revelata continere poſſet æquitatem & veritatem multis rationibus etiam revelatis, vel ſaltem ex Revelatione cognitis comprobatam, ut maneat tamen Prophetia. Fateor *Deum pro abſoluto ſuæ naturæ imperio decernere* ſi velit: ſed negari nequit eum etiam ratiocinando per ſuas miniſtros homines ducere, docere, & patefacere poſſe quæ vult, ac convincere & permovere ad illa quæ ab iis fieri vult; ſi dicas *ſic ea arbitrali cujuſque judicio ſubmitti*, Reſpondeo id nil abſurdi continere, cum ipſe Deus omne cujuſque judicium regat & flectat pro arbitrio ſuo. Aliud foret ſi homo Princeps ſuorum judicio ſubjiceret ſua mandata, nam penes eum non eſt, de eorum judicio quicquam ſtatuere, cum id non ſubſit ejus arbitrio, uti omnium creaturarum Deo ſubeſt. Quomodo autem *Prophetæ* & quivis *etiam ratiocinando quid revelatum percipere poſſit*, ſi ſcilicet Deus ei patefaciat veritates in revelatis contentas, & inde deductas ſupra ad cap. 1. vidimus.

§. 4. Quantum *ad illationem Moſis Deut.* 31. 27 ea nullo modo conatur inferre *Iſraelitas poſt mortem ſuam à vero Dei cultu neceſſario deflexuros*, id enim per illam concludi non poterat; nec ullo modo *prædicit futuram aliquam populi vivide ſibi imaginatam defectionem*; ſed majus defectionis periculum de-

mon-

monſtrans, eos hac illatione, ſtudet magis reddere obſequentes & patefacere neceſſitatem cuſtodiendi legem eamque obſervandi in omnibus. Quare abſurdiſſime concludit, *hoc & omnia Moſis argumenta, non ex ſcriniis rationis eſſe deſumpta; ſed tantum eſſe dicendi modos, quibus Dei decreta efficacius exprimebat, & vivide imaginabatur.* Nihil enim hic prædicebat, ſed defectuum ſummum periculum patefaciebat, ut legem attentius cuſtodirent & obſervarent. Concedit tamen *Prophetas ex revelatione argumentari potuiſſe* & affirmat, *quo magis legitime argumentantur, eo quam habent revelatæ rei cognitionem, ad naturalem magis accedere.* Magis quidem utitur ratione, ſeu ſua ratione circa talem revelationem magis eget quidem: ſed tamen ideo cognitio rei revelatæ non magis naturalis fit. Non datur enim hic magis aut minus, nec gradatim à naturali ad revelatam aſcenditur cognitionem; nam plurima ſunt revelata, quæ ex ratione non innoteſcere poſſunt; imo omnia proprie revelata dicta, ſunt talia. Atque adeo abſurdiſſime ſtatuit *Prophetas maxime dignoſci cognitionem ſupra naturales habere, quod pura dogmata, ſive decreta ſive ſententias loquantur.* Nam inde nihil conſtare poteſt de revelatione, & ea revelata eſſe. Et multo abſurdius negat *Pauli deductiones & argumentationes, quales in Epiſtola ad Romanos reperiuntur, ex revelatione ſupernaturali ſcriptas fuiſſe.* Cur enim Deus hos non æque ac ipſa dogmata patefacere potuiſſet. Eas autem ei per ſenſus, ut Prophetis, revelatas fuiſſe, nec nos aſſerimus; ſed intrinſece menti patefactas, & ſpeciali, ac infallibili auxilio adjutam & ductam ejus mentem has inſtituiſſe, & ſcripſiſſe nobis indubitatum eſt. Ita ut ineptiſſima ſit, quam facit, concluſio, *eaſdem* Pauli deductiones *non ex revelatione & divino mandato, ſed tantum ex ipſius naturali judicio ſcriptas fuiſſe, & nihil continere præter fraternas monitiones mixtas urbanitate, qualis eſt iſta Pauli excuſatio Rom.* 15. 15. falſum enim ſic eſt quod dicit Gal. 1. 7. 12. 1 Teſſ. 2. 13. Non ergo ſcripta ſunt inſtinctu Sp. S. non divinæ, nec majoris auctoritatis quam cujuſvis doctoris, imo gentilis recte monentis. Quanta & quam impudens hæc ſacrarum Script. enervatio. Paulus vero *Rom.* 15. 15. non agnoſcit, fatetur aut excuſatam vult aliquam ſcriptionis culpam; dicens *paulo audacius ſcripſi vobis fratres*; ſed quia aculei, quos Sp. S. inſtinctu paſſim addiderat, delicatas Romanorum, hominum Politorum, & non nihil ob dignitatem & potentiam imperii tumidorum, aures, poterant offendere, non negat audacius dicta, ſed negat eſſe culpabilem audaciam; cum ex officii neceſſitate ſcripſerit; Quæ cum divina prudentia ſit, negari nequit, quin id divino pæſtetur mandato.

pag. 139.

§. 5. Quod autem cenſeat eandem concluſionem formari poſſe ex eo, *quod nullibi legamus, quod Apoſtoli juſſi ſint ſcribere, ſed tantum prædicare quocunque irent, & dicta ſignis confirmare*, à Scriptura alienum eſt. Nam quivis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

videt μαθητεύειν & διδάσκειν inſtituere & docere generaliter Apoſtolis mandata Matt. 28. 19. tam ſcribendi quam prædicandi mandatum comprehendere. Imo ipſe Paulus in prædicto loco Rom. 15. 15. 16. teſtatur ſe audacius ad Romanos ſcripſiſſe, ut ſe gereret tanquam leiturgos (de quo verbo vide Act. 13. 2. cum notis Belg:) id eſt publicus Miniſter Jeſu Chriſti &c. aperte innuens, hanc ſui Miniſterii partem eſſe, eis hæc & tali modo, ſcribere; imo tanquam Apoſtolum ſuas Epiſtolos ſcripſiſſe concedit pag. 141. Teſtatur etiam Petrus 2 Pet. 3. 1. 2. ſe ex Apoſtolatus ſui munere ſuam Epiſtolam ſcribere. Et Paulum de iiſdem rebus, pro à Deo conceſſa Sapientia, ſcripſiſſe, in omnibus Epiſtolis, quas verſ. 15. 16. eodem loco habet cum omnibus ſacris Scripturis. Paulus 2 Cor. 1. 12. 13. teſtatur ſe non tantum in carnali Sapientia inter eos verſatum non fuiſſe, ſed etiam nec ſcripſiſſe in ea; ſed gratia divina, directe contra Anonymum qui dicit Apoſtolos naturali tantum judicio ſcripſiſſe. Eadem ſcribere teſtatur ſibi non eſſe tædioſum & iis cui ſcribit certum, tutum & ſecurum Phil. 3. 1. & ideo neceſſarium. Sic & Johannes teſtatur neceſſitatem ſuæ ſcripturæ ad ſalutem Joh. 20. 31. & 1 Johan. 3. 13. Quomodo potuiſſent etiam ex Chriſti mandato Matt. 28. 19. 20. μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη inſtituere omnes gentes & nationes, & Chriſtus in eo iis adeſſe ἕως τῆν συντελεία τοῦ αἰῶνος uſque ad conſummationem ſeculi, ſi ſcriptis non mandaſſent ſuam Doctrinam. Quomodo Paulus ſolum loquendo ſuum præſtitiſſet officium, πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, omnibus nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti invocantibus in omni loco, quod fecit ſcribendo 1 Cor. 1. 2. Præterea quoties non legitur Johanni in Apocalypſi expreſſe mandatum ſcribere Apoc. 1. 11. 19. & 2. 1. 8. 12. 18. & 3. 1. 7. 14. & 14. 13. & 19. 9. & 21. 5. Sed hæc omnia vel ignorat vel diſſimulat Anonymus. *Ad Rom.* 1. 10. 11. 12. Paulus quidem fatetur ſe valde deſiderare Romanis adeſſe, ut ipſis non tantum, quod etiam ſcribendo poterat, & faciebat, impartiretur χάρισμα πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι donum ſpirituale ad confirmandos eos: ſed etiam ut ſimul inter ipſos exhortaretur ſeu conſolaretur per inclitam & mutuam fidem tam illius quam eorum, ad quod utilis valde eſt ipſa præſentia. Verum ne minima quidem litera ſignificat, *ſuam præſentiam ubique abſolute requiri ad gentes ad religionem convertendas, eaſque in eadem confirmandas*, ut hinc infert Anonymus. Quantum ad Apoſtolorum prædicationem, *an tanquam Prophetæ prædicaverint*, non minus ambiguum, quam prædictum, an ut tales ſcripſerint. Prædicaverunt, mandato, inſtinctu, & ductu Spiritus Sancti, Gal. 2. 8. 9. uti & Prophetæ, unde & Prophetæ dicuntur Act. 13. 1. de munere Prophetia eorum Ravanell. t. 1. p. 195. ; ſed id nihil obeſt quin tamen hic multiplex ſit diſcrepantia & differentia, jam ſupra modo demonſtrata, nam Eccleſia jam adultior alio modo inſtituenda erat quam in infantia prima.

§. 6. Quod

§. 6. Quod autem *inſtar Prophetarum expreſſo mandato huc aut illuc prædicatum non ibant*, fuit quod ad omnes gentes docendas miſſi eſſent Matt. 28. 19. ut etiam docet Apoſtoli nomen abſolutum ipſis paſſim conceſſum Luc. 6. 13. præterquam quod Paulus in ſpecie gentium Apoſtolus eſſet Eph. 3. 8. 1 Tim. 2. 7. Gal. 1. 15. 16. & Act. 13. 4. 5. ab ipſo Spiritu Sancto emiſſus ex Antiochia. Gal. 2. 8. 9. Atque adeo mirum non eſt *eos etiam proprio conſilio*, *pag. 140.* ſed Deo id ſpecialiter dirigente *elegiſſe loca* particularia *ad prædicandum*. Diſſidium autem de quo Act. 15. 17. 18. 37. 38. non fuit de eligendo loco ad prædicandum, ſed de itineris comite; quamvis non negem etiam in his eſſe ~~locum~~ conſiderationi conſilii divini: ita enim factum eſt, ut diverſis in locis exerceretur Doctrina Evangelii. Quod autem ſæpe etiam fruſtra aliquo ire tentaverint, à Deo & ejus Spiritu impediti, ut Rom. 1. 13. & 15. 22. coll. Act. 16. 7. plane convincit, eos ſolo proprio conſilio loca ad prædicandum non elegiſſe. 1 Cor. 16. 12. Paulus ſe excuſat, quod non fuerit impedimentum, cur Apollos Corinthios non acceſſerit, ſignificans ſe feciſſe quod poterat, ipſum autem perſuaderi non potuiſſe, quia vel forte nullnm ſentiebat inſtinctum divinum, vel ipſe valida ratione videbat opportunum necdum eſſe eo tranſire, propter diſſenſum 1 Cor. 1. 12. ne magis in eo confirmarentur Corinthii, Deo ſic ipſum & ipſius cogitationes dirigente. Verum ex *Matt.* 10. 19. 20. minime probatur *Apoſtolos antequam irent*, *revelatas non habuiſſe res prædicandas*: Nam ibi Chriſtus Apoſtolos præmonitos de magntudine periculorum quæ imminebant, docet, quod ſuam conſtantiam viribus propriis metiri non debeant, quippe qui non ſua ſed ſpiritus Sancti virtute loquebantur, qua certo victores futuri eſſent, & idcirco omnem anxiam nimis curam, qua ſe ut plurimum homines impediunt, abiiciendam eſſe, addens, ne præſenti ſuo defectu terreantur, vel in ipſo momento ſuperventurum auxilium divinum: ita ut minime excludat præcedentem rerum dicendarum cognitionem & meditationem, ac Spiritus Sancti ardentiſſimis precibus factam efflagitationem, ſed unicam ſollicitudinem ſuperfluam, & propriarum virium confidentiam vel conſiderationem: ac doceat eos omniono ſemper in Deo acquiſcere & tutos de victoria eſſe poſſe.

§. 7. Quod itaque concludit *Apoſtolos ea tantum ex ſingulari revelatione habuiſſe*, *quæ viva voce prædicaverunt & ſimul ſignis confirmaverunt*, *quæ autem ſimpliciter nullum ad hibitis tanquam teſtibus*, *ſignis*, *ſcripto vel viva voce docuerunt*, *ea ex cognitione* (*naturali ſcil.*) *locutos eſſe & ſcripſiſſe*, à veritate plane alienum eſt. Nam ſigna quibus ſuas Doctrinas confirmarunt, non faciebant eas magis divinas & revelatas, ſed addebantur tantum propter auditores; præterea eadem quæ prædicarunt ſcripſerunt. Non etiam naturalis cognitio adſcendit ad ea quæ ſcriptis tradiderunt. Nec ulla ratio quæ probet, omnia ſcrip- *pag. 141*

tis tradita minus fuiſſe ſcripta divino auxilio, quam omnia viva vocē prædicata & ſignis confirmata, imo contrarium concludendum ex promiſſione Chriſti Matt. 28. 19. 20. quod fuis ſpiritu ſuo ſit ad futurus ad finem ſeculi in omni omnium gentium inſtitutione. *Paulus* 1 *Cor.* 14. 6. *duo quidem indicat prædicandi genera*; ſed utrumque, ab Apoſtolis adhibitum fuiſſe ſupra diximus, & hic facile Anonymo concedimus, ſi modo non neget, eos, & in utroque divino ſpiritu directos & inſtinctos fuiſſe, quod ex prædicto Matthei loco dubio caret. Quod autem putet *omnia quæ in Epiſtolis de Apoſt. vocatione, & Spiritu Sancto & divino quem habebant*, continentur, *& non referuntur ad prædicationes eorum ſumi promente ſana, beata, & Deo dicata*: ſolum Anonymi præjudicium eſt, quo ſine ratione putat, eos tantum ductu Spiritus S. prædicaſſe, & ſcripſiſſe naturali tantum judicio. Nam contrarium patet ex ipſo quem adducit loco 1 *Cor.* 7. 40. ubi Paulus *per Spiritum Dei*, non *intelligit ipſam ſuam mentem*, nullus enim foret ſenſus verborum beatiorem (Μακαριωτέρα enim non ſignificat, ut vertit Anonymus *beatam*) *judico ſecundum meam ſententiam, qui cælebs vivere decrevi, & me beatum puto*; nam non agit de beatitudine cæleſti, cum viduam beatiorem pronunciat ſi non contrahat, quam ſi contrahat, ſed de œconomica; tranquillius ſcil. vivet, carebitque moleſtiis, quibus ſecundæ nuptiæ magis ſunt obnoxiæ. Sed contra per Spiritum Dei intelligit ſpirituale donum gratiæ divinæ, quo fideliter reſpondeat Corinthiis ad interrogata & quod alii vaniſſime ſæpe jactabant, licet eo diſtituti. Atque adeo plane abſurde & ſine fundamento ſtatuit *Epiſtolas Apoſtolorum à ſolo lumine naturali dictatas fuiſſe.* Nam præterquam quod contineant ipſas Apoſtolorum revelationes & prædicationes, quas ipſe Anonymus adſcribit Spiritui S. & divino, in omnibus quæ etiam naturali lumine cognita dictarunt, non minus habuerunt præſens auxilium Sp. S. cum ea ſcriberent, quam cum prædicarent, cum in omnibus id ipſum promiſerit Chriſtus ad ſæculorum conſummationem.

§. 8. Quantum vero ad *modum quo* putat *Apoſtolos ex ſola naturali cognitione docere potuiſſe res quæ ſub eandem non cadunt*, de eo ſupra ad pag. 102. demonſtravimus quam ineptus ſit, & deſtruat omnem Myſteriorum divinorum revelatam cognitionem, ac pro ea introducat Doctrinam & diſcurſus omni pereptione & certitudine deſtitutos, id eſt, Doctrinam non Doctrinam.

pag. 142. §. 9. Quod autem quis *totam Chriſti Doctrinam lumine naturali facile poſſit aſſequi*, ſummam patefacit hominis ignorantiam & ineptitudinem, nam ipſe poſtea fatetur natura non innoteſcere Deo præſtandam obedientiam. Et quis Trinitatis myſterium & ipſam Chriſti Perſonam & officium, aut ſalutis per Chriſtum obtinendæ viam naturali lumine ſe aſſecutum eſſe aut aſſequi poſſe fateatur. Ut & *Apoſtolos non indiguiſſe lumine ſupernaturali*, ſeu auxilio Spiritus divini plus quam naturali, *ad Religionem Chriſtianam* docendam, quod

Ano-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Anonymus abſurde dicit *ad communem hominum captum accommodandam*(nam non fuit Religio eorum captui accommodata, ſed tantum ad eorum captum propoſita) plane abſurdum eſt; nam non minus egent auxilio in docendo & monendo de eadem ſuo tempore & modo quam pertipiendo. Cum itaque fatente Anonymo *finis Epiſtolarum ſit homines* de religione Chriſtiana *docere & monere*, *ad eoſdem in ea confirmandos*, certiſſimum eſt, eos in eo neceſſario etiam indiguiſſe auxilio Spiritus Sancti. *Quemvis* autem *Apoſtolorum* id præſtitiſſe, *ea via*, *quam quiſque*, pro divini ſui doni, & gratiæ menſura ex ſola Dei directione & diſpenſatione, *optimam exiſtimabat*, non negamus, nam dona diverſa ſunt & diſcreta; ſed idem eſt Spiritus. Miniſteria diverſa, ſed idem Dominus. Diverſæ ſunt operationes, at idem eſt Deus efficiens omnia in omnibus. & unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, huic &c. omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus diſtribuens ſingulos prout vult, ut teſtatur Paulus 1 Cor. 12. 4. 12. & per totum caput ad finem uſque. Sed aperte *pag.* negamus *quemvis id ex ſola naturali cognitione præſtitiſſe*, quod hic probandum *143.* fuiſſet Anonymo.

§. 10. Quod autem *Paulus Philem.* 8. *maluerit precari* quæ *tanquam Apoſtolus mandare poterat*, quiſque videt apertiſſimum exemplum eſſe ſummæ prudentiæ divino Spiritu in eo operatæ. *Non* enim ibi *mutat Dei præceptum in preces*, ſed quæ ſecundum Dei præceptum mandare poterat, ut prudens, & Dei ſpiritu plenus miniſter, precari maluit. *Quemvis* autem *qui authoritatem docendi habet*, *habere etiam autoritatem eligendi*, *quam velit viam*, nullo modo ſequitur, nam in humanis qui habet facultatem concedendi auctoritatem etiam habet jus præſcribendi viam; multo magis Deus, qui concedit authoritatem docendi ea quæ naturæ lumen non attingit, & qui ſolus novit viam optimam, & qui operatur in omnibus omnia, & ſine quo nullus aliquam poteſt eligere vel inire viam quamcunque.

§. 11. Paulus *ad Romanos cap.* 15. 20. nullo modo ſignificat ſe *aliud habere fundamentus religionis. Chriſtianæ*, quam cœteri Apoſtoli: novit enim Jeſum Chriſtum eſſe Lapidem angularem omnium Apoſtolorum & Prophetarum, Eph. 2. 20. nec quemquam aliud fundamentum locare poſſe præter eum, 1 Cor. 3. 11. ſed dicit ſe tanquam genuinum Apoſtolum, quorum officium erat prima religionis & Chriſtianiſmi fundamenta locare, quibus alii ſuperſtruebant ſummo proferendi Evangelii ſtudio, conatum fuiſſe prædicare Chriſtum ubi nondum innotuerat, & alius quis fudamenta Chriſtianiſmi locaverat, quamvis interdum etiam neceſſitate cogebatur, Hieroſolymam, Antiochiam & Romam tendere, quibus in locis alii Apoſtoli jam prædicaverant. Ita ut alienum fundamentum nihil aliud ſit quam alterius manu jactum, quod evitavit, ne alienos labores ad gloriam ſuam verteret &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

fraudulenter agerêt, laudem fidelitatis in re facili & prompta affectans, ut patet ex Coll. 2 Cor. 10. 16. Quare ab Apoſtolo plane alienum eſt, quod hic ei attribuit Anonymus, quod ſcil. noluerit ab aliis inſtitutos docere, quia minus apti eſſent, ſuis fundamentis recipiendis, utpote ab aliorum fundamentis alienis. Niſi per alios velit intelligere Pſeudo-Apoſtolos & falſa fundamenta, quæ Paulus anticipare conatus fuerit, ut videtur voluiſſe Ambroſius apud Paræum ad Rom. 15. 20. *Apoſtolos enim in religione convenire, ſed in fundamentis admodum diſcrepare*, nullus ſanæ mentis dixerit, aut conceperit; nam omnis religio ex fundamentis profluit; quod ſi non fiat, abſurda & inſana, ac fundamento vero deſtituta, religio non eſt, ſed error *Paulum Rom.* 3. 27. 28. *aliud Religionis Chriſtianæ fundamentum ſtruere, quam Jacobum cap.* 2. 24. ſi recte perpendatur, falſiſſimum eſſe patebit. Aliud enim plane argumentum eſt quod Paulus & quod Jacobus tractat; Ille enim agit de juſtificatione hominis peccatoris apud Deum; Hic vero de fide, & manifeſtatione hominis fidelis, ſeu fidei demonſtratione per facta externa, quare nihil hic Jacobus poteſt dici diſcrepare à Paulo, taceo, diverſum ſtruere religionis fundamentum. Occurrit quidem apud Jacobum vox Juſtificationis, ſed non ideo agit de hominis juſtificatione coram Deo: nam & alibi eadem vox legitur, ubi nihil minus quam peccatoris juſtificatio coram Deo, ut Matt. 11. 19. 1 Tim. 3. 16. Rom. 3. 4. Reſpiciatur Jacobi propoſitio & concluſio 1. 14. & ultimo verſu, patebit de fide quæſtionem eſſe, eaque oſtendenda citra προσωποληψίαν de operum neceſſitate ad fidem & ſalutem: non de juſtificatione: concludi etiam de fide, quæ ſit vera & vitalis; non vero de hominis juſtificatione.

§. 12. *Quod* autem *hinc*, ſcil. quod Apoſtoli diverſis fundamentis religionem ſuperædificaverint, dicat *ortas eſſe multas contentiones & ſciſmata, quibus*
pag. 144. *Eccleſia jam inde ab Apoſtolorum temporibus indeſinenter vexata fuit, & profecto æternum vexabitur*: Eſt non tantum ex abſurdis præmiſſis abſurdiſſimam facere concluſionem: ſed etiam ſibi contradicere: nam ex diverſis illis fundamentis eandem religionem traditam eſſe dicit: Et quod ineptius, Apoſtolos ſciſmatum & contentionum cauſas ſtatuere, & ſemina ſperſiſſe calumniari. Quæ odioſius examinare non lubet.

§. 13. Nec minorem cenſemus eſſe calumniam, qua ſtatuit Apoſtolos inter gentes & præcipue Paulum *Evangelium & Doctrinam ſuam hominum ſui temporis ingenio accommodaſſe, & fundamentis tunc maxime notis & receptis ſuperſtruxiſſe, ac religionem à ſpeculationibus Philoſophicis non ſatis ſeparaſſe. Alios vero qui Judem prædicaverunt religionem nudam propoſuiſſe à ſpeculationibus Philoſophicis.*

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De vero legis Divinæ Syngrapho. Et qua ratione Scriptura Sacra vocatur. Et qua ratione verbum Dei. Et denique oſtenditur, ipſam, quatenus verbum Dei continet, incorruptam ad nos perveniſſe.

§. 1. QUantum committat Anonymus peccatum, dum hactenus ut vidimus, non modo Scripturam, ſed & rationem omnem, conatus fuit enervare, & quantum poſſet evertere, non determinabimus: ſed Deo committimus. Rideat eos qui Scripturam ut divinam & *tanquam à Deo* Eccleſiæ *traditam epiſtolam* de ſua Voluntate retipiunt; Deus novit & videt & ridet irriſores ſuos, & tandem inveniet eos qui jam dicunt in corde non eſt Deus. Ut itaque pergat ſuas ineptire ineptias, & hactenus propoſitas abſurditates adſtruere, aſſerit quod *tam ipſa Ratio, quam Prophetarum & Apoſtolorum ſententiæ, aperte clament, Dei æternum verbum & pactum, veramque religionem hominum cordibus, hoc eſt, humanæ menti divinitus inſcriptam eſſe Dei Syngraphum, quod ipſe ſuo ſigillo, nempe ſui idea, tanquam imagine ſuæ divinitatis conſignavit.* Alibi ſcilicet quærenda erat lex & verbum ac pactum divinum, poſtquam inutilis erat reddita ſacra Scriptura, ſed videamus, quo vergat Planeta. Videtur quod Atheiſmo Enthuſiaſmum ſuperaddat. Docet quidem & Ratio & Scriptura Deum Humanæ menti indidiſſe ſui Deique notitiam & imaginem, opus legis cordibus inſcripſiſſe, conſcientia cujuſque id atteſtante & quemvis accuſante vel excuſante ſecundum naturalem illam legem, ſi Deum cognoſcentes, eum ex ejus dictatis non glorificaverint ac gratias debitas egerint. Sed hujus defectum & maximam imperfectionem univerſa docet Scriptura & ipſa Natura & Ratio in omnibus clamat. Ita ut vel & contra Scripturam & Naturam Anonymus reliquas in nobis naturalis luminis Scintillulas, evacuata & enervata Scriptura, obtrudere velit, pro æterno Dei verbo & pacto, ac vera & ſalutari religione, hominum cordibus ſub novo Teſtamento, ex Prophetarum prædictionibus à Spiritu Sancto inſcriptis. Vel cum Enthuſiaſtis confugere debeat ad cujuſque vagas errabundas, & omni cynoſura deſtitutas inſpirationes, abſque ullo certo & ſcripto Dei verbo. Non enim vel Moſes vel Jeremias aut ullus Prophetarum vel Apoſtolorum abjecerunt legem tabulis inſcriptam, ſed ſemper ad eam provocarunt, ut Jeſ. 8. 20. Hanc inquirendam examinandam ſimul cum ipſo Chriſto docuerunt Joh. 5. 39. Luc. 16. 29. 30. 31. Act. 17. 11. imo omnia ſcripta ſunt in noſtram utilita-

Anony. cap. 12. pag. 144.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pag. 145. utilitatem Joh. 20. 31. 2 Tim. 3. 16. 17. 2 Pet. 1. 19. 20. 21. Rom. 15. 4. Prædixerunt quidem *Moſes Deut.* 30. 6. *&* *Jeremias cap.* 31. 33. *tempus futurum quo Deus ſuam legem eorum cordibus inſcribet*, id eſt, ſalutarem juſtitiæ viam, cui tempore veteris Teſtamenti, per legem præcepti carnalis, quæ propter inobedientiam ad promiſſionem & legem fidei addita eſt, & occaſionem dedit hominibus non ſatis attentis cogitandi, quod, quum peccatores eſſent, in operibus ſuis vivere poſſent, & quod ea opera ſint partim non mæchari, non furari, non occidere, partim circumcidi, & cætera legis dogmatum obſervare, denſum quaſi velum fuit injectum, non tantum abſque velo ita in propatulo collocaturum, ut quivis eam audiens annunciari verbi prædicatione, & legens in Scriptura per fidiſſimos Dei ſervos, divino ductu & inſtinctu memoriæ proditam, & ad conſcientiam ſuam attendens, nullo negotio, apertiſſimam videat fateatur & agnoſcat, nec ullo egeat, qui aliquod adferat verbum præter illud quod omnibus in Scriptura nunciatur ad Deum recte cognoſcendum & colendum: verum etiam effecturum Spiritus ſui efficacia, qua infuſa Charitate corda emolliuntur, & ad obedientiam flectuntur, eam ipſam non extrinſece tantum in tabulis, ſed intrinſece animitus & in corde recipiant, eaque non externis tantum operibus, ſed & interna animi complacentia delectentur, & ejus nunquam obliviſcantur. Quo videtur reſpexiſſe Paulus cum diceret Corinthios non eſſe epiſtolam ſcriptam atramento, ſed ſpiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis 2 Cor. 3. 3. Quicum conferri poteſt Ezech. 11. 19. 20. & 36. 26. 27. Videmus autem hanc legis inſcriptionem contigiſſe extra ordinem in Apoſtolis & Eccleſia Apoſtolica Act. 2. 16. 17. & 10. 44. 47. & 6. 7. & 2. 37. 41. Ordinarie vero per prædicationem Evangelii 1 Cor. 3. 5. 6. conjuncta operatione ſpiritus Sancti. Ita ut hic Anonymo nihil ſit præſidii, quo ſe excuſet à tanta *Sacræ Scripturæ* evacuatione, & profaniſſima dejectione, qua eam ſupra ſine ratione dixit *mendoſam*, *adulteratam*, *truncatam*, *ſibi non conſtantem*, & plura. Cum hæc inſcriptio legis abſque Scriptura concipi nequeat.

§. 2. Quo vero jure hic dicat ſe hoc modo *fidem & veram Religionem confirmare*, quibuſcunque patet, & jam ſupra ad pag. 135. examinatum fuit. Quemadmodum etiam ſupra ad pag. 84. vidimus incommoda quæ ex vera Scripturæ interpretatione iniquiſſime deducit. Scrupuloſe cavet ne homines ſint *nimis Sancti & religionem in ſuperſtitionem convertant*, & profecto optime eorum profanitatem auget, omnem enim pietatis veram ac certam regulam mendoſam, truncatam, adulteratam, & ſibi non conſtantem dicit & abjicit, ac pro ea vel ſubſtituit ſcintillas naturalis & admodum obtenebrati luminis, quo nullus non plurimum abutens in infinita præcipitia & devia ruit & miſere perit,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

vel cum enthuſiaſtis quemvis ſuo carnali impetu & deſiderio committit: ſic incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin. *Hoc tamen*, ut inquit, *ſcit, ſe nihil indignum ſacra Scriptura, aut Dei verbo dixiſſe, nihil quod impium ſit, vel impietatem redoleat.* Sic ſolent. Lectori hoc committimus. An *nihil ſtatuerit quod non evidentiſſimis rationibus verum eſſe demonſtraverit.* Et his noſtris ſatis liquet. Si inverteretur, & diceretur eum nihil demonſtraſſe, imò nihil proferre de ſuo quod non evidentiſſimis rationibus falſum, ineptum, abſurdum & impium ſit, minus à vero diſcederetur. Nec *Prophani & voluptatibus dediti homines* his ejus dictatis vel minimum invertere opus habent, adeo accurate hæc ipſis conveniunt, quaſi à perfectiſſimo eorum patrono in eorum gratiam conſcripta & edita fuiſſent; quid de eo ſit ipſe noverit Anonymus.

§. 3. Ut itaque *omne ſcrupulum amoveat*, primo aggreditur demonſtrare *quomodo Scriptura, & quæcunque res muta ſacra & divina dici debeat. Id*, inquit, *ſacrum & divinum vocatur, quod pietati & religioni exercendæ deſtinatum eſt.* Hoc tranſeat, quamvis ſi rigido examini ſubjiciatur, non undiquaque ſatisfaciat, cum etiam omne morale bonum ſacrum dici videatur Levit. 10. 10. Ezech. 22. 26. Sed id *tamdiu tantum ſacrum eſſe, quamdiu homines eo religioſe utuntur*, prætermitti nulla ratione poteſt. Nam hominum abuſus rerum à Deo pietati & religioni deſtinatarum, divinum inſtitutum non mutat. *Si pii eſſe deſinant*, deſinit quidem ut plurimum rerum ſacrarum rectus uſus, nullo modo vero deſinit inſtitutum divinum, quo illæ religioni & pietati deſtinatæ ſunt, & idcirco *nec res deſinunt eſſe ſacræ. Si vero* impius, *idem quod pietati & religioni deſtinatum fuit* à Deo *ad res impias patrandas dedicet, tum id ipſum quod antea ſacrum erat*, ſeu à Deo pietatis & religionis uſui deſtinatum, contra Dei mandatum *immundum & profanum reddetur*, ſeu immundis & profanis uſibus adhibetur; nullo modo vero mutatur inſtitutum Dei, & idcirco ea ſemper manet rei ſacræ illicita plane profanatio, id eſt, profanus rerum ſacrarum uſus mandato divino contrarius. Ut patet in variis exemplis Levit. 19. 5. 8. Num. 18. 32. & 19. 13. 20. Zeph. 3. 4. Levit. 21. 12. 23. Pſalm 74. 7. Levit. 20. 3. Act. 21. 28. & 24. 6.

pag. 146.

§. 4. Quantum ad locum celeberrimum ex ſpeciali Jacobo facta revelatione & apparitione divina, facta in eo, Gen. 28. 19. & 36. 6. 9. &c. qui *Bethel dicebatur* à Patriarcha, id eſt, *Domus Dei*, eundem poſtea quidem ob idololatriam Jeroboami 1 Reg. 12. 29. à Deo videmus dictum fuiſſe *Bethaven* ſeu *domum* vanitatis, confuſionis vel *iniquitatis Hoſ.* 4. 15. & 10. 5. ſed nullibi legitur eam fuiſſe Jeroboami inculpabilem illius loci prophanationem. Si modo conſtet & ſacrum & Deo dicatum fuiſſe, vel ſaltem à Deo cultui ſemper deſtinatum.

§. 5. *Verba* vero *uſu ſuam obtinere ſignificationem* nullus ambigit. Sed notandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tandum ea plerumque præter primariam ſuam ſignificationem etiam admittere varias ſecundarias quibus patefiunt dicentis de primario ſignificato judicia & paſſiones variæ, unde præcipuæ oriuntur eorum differentiæ quibus tanquam pudicæ vel impudicæ, honeſtæ vel inhoneſtæ, dulces & injurioſæ, religioſæ, politicæ, ſuperſtitioſæ diſcernuntur. Sic Adulterii, inceſtus, & peccati Sodomitici verba, licet primario turpiſſima crimina ſignificent, impudica tamen non ſunt, quia ſecundario patefaciunt eadem adhibentis pudicitiam ſeu averſionem & horrorem; cum alii eadem exprimant crimina vocibus eorum complacentiam in iis criminibus aperte prodentibus. Sic & ſuperſtitioſa ſunt nomina Canonicorum, Decanorum &c. vel omnino Politica, prout præter rem ipſam primario ſignificatam, ſecundario ſignificant vel conſecrationem & cultum ſuperſtitioſum, vel munus aut ſtatum aliquem politicum. Ita ut eadem vox alicui quidem poſſit eſſe politica & alii religioſa & ſacra, ſed non eadem ſignificatione, verum diverſa, à diverſis ſecundario ei annexa, id eſt, poteſt ab uno politice, ab alio religioſe aſſumi. Quare liber qui agit de rebus pietati & religioni dicatis, non minus religioſus manet, ſi nullus, eum legens, ſuo vitio, ad religionem & pietatem moveatur, quam ſi omnes, id eſt, ſi nullus eum religioſe aſſumat & intelligat, & vel omnis eum politicum cenſeat vel ſuperſtitioſum, quam ſi omnes eum aſſumant religioſe, nam non ex hujus aut illius opinione pendet rem eſſe deſtinatam pietati & religioni, quamvis quivis talem pro politica poſſit habere, & contra Dei inſtitutum à religione aliena & ſic ſacrum librum profanare. *Si vero poſtea uſus ita pereat ut verba nullam habeant ſignificationem, vel quod liber prorſus negligatur, ſive ex malitia, ſive quia eodem non indigent perit & negligitur* omnis ſacer & religioſus uſus illius libri ſacri, imo liber ille deſinit eſſe liber, quippe qui nullius ſignificationis verba continens, non niſi impura & commaculata charta eſt, multo minus liber ſacer eſt. *Si vero verba libri ita diſponantur ut uſitate poſſint ſumi in contrariam ſignificationem, tunc & verba & liber qui antea ſacri, impuri & profanierunt.* Sed rectius diceret tunc verbis libri ſacri ſignificabuntur impura & profana, nam tunc idem non poſſet dici liber, ſed alius plane profanus verbis libri ſacri conſtans & compoſitus.

§. 6. Ex quibus quidem ſequitur *nihil ſacram dici niſi alicui menti*: nullo modo vero *rem ſacram tantum eſſe quia à mente pro tali habetur*: talis enim eſt quia divina quadam ordinatione ad cultum & pietatem pertinet & deſtinata eſt, propter quam ordinationem mens etiam eam pro tali habet, & tantum propter eam; ſi vero non habeat, profanat id quod ſacrum eſt; id eſt, pro alio habet quam Deus id haberi voluit. *Jeremias cap.* 7. 4. nullo modo ait *Judæos ſui temporis falſo vocaviſſe templum Salomonis, templum Dei*, ſed falſo confidiſſe templo & externo cultui, & in templo ſe geſſiſſe quaſi templum Dei verſ 10. 11.

haberent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

haberent pro ſpelunca latronum, id eſt, illud contra Dei mandatum admodum prophanaſſe. *Periit* etiam *arca fœderis res* ſacerrima. Sed quid hoc ad rem? quis unquam negavit res ſacras perire & prophanari poſſe. Nullus profectò. *Sed* inquit, *hac ratione Scriptura etiam tamdiu ſacra eſt, & ejus orationes divinæ, quamdiu homines ad devotionem erga Deum movet.* Falſum eſt, manet enim ſacra quamdiu à Deo ad id eſt deſtinata, quamvis nullum eo permoveret & omnes ex malitia eam negligerent ac prophanatæ ſacræ Scripturæ crimine ſeſe commacularent. Et hoc modo neglecta ſacra Scriptura, à Deo ordinata & tradita ad homines ad devotionem erga Deum permovendos, negligitur ipſum verbum Dei, quod ſic omnino perit inter eos. Verum ab hoc interitu plurimum abeſt tabularum ſeu libri & chartæ neglectus & interitus, quæ hic Anonymo ſophiſtice confunduntur: nam poſſunt has magni facere, intereunte tamen ipſo verbo Dei: & harum aliquod etiam perire poteſt exemplar, ſalvo manente Dei verbo. Sic *Moſes legis tabulas frangens, verbum Dei non fregit*, neglexit aut irritum fecit & ad interitum reduxit. Nec etiam ipſas *tabulas fregit*, *quia tunc poſt adoratum vitulum nullius prorſus erant ſanctitatis.* Sed quia Iſraelitæ per eam idololatriam ſanctiſſimum fœdus Dei, cujus leges iis tabulis ſpeciali Dei gratia erant inſcriptæ, impudentiſſime profanaverant, ſeu fregerant & irritum fecerant, atque adeo indigni erant non tantum bonis ex tali fœdere promiſſis & expectandis, ſed etiam divinis & ſacratiſſimis tabulis, ab ipſo Deo conſcriptis, ut in eorum medio tanquam illuſtre divinæ præſentiæ ſymbolum in arca collocaretur. Ita ut nullo modo dubitandum ſit, quin ſanctiſſimas fregerit tabulas legis & fœderis divini, ab Iſraelitis prophanati: uti & *templum*, *Jeremiæ tempore* profanatum, & flammis conſumptum, recte dicitur *templum Dei*, quod profanaverant, id eſt, contra Dei mandatum intraverant & abuſi fuerant Judæi: quemadmodum & *lex Dei*, manſit talis, licet Judæorum ſcribæ *Jerem.* 8. 8. *mendaci ſtylo legem Domini in mendacium verterint*, id eſt, ſuis explicationibus ita interpretati fuerint, ut videatur falſum dicere, unde falſas illas legis detorſiones, pro lege accipientes, & ex iis ſe ſapientes gloriantes, ac dicentes *lex Domini nobiſcum eſt*, à Propheta rectiſſime confutantur, dicendo eos legem Domini non habere, ſed falſas ſcribarum interpretationes, minime vero dicit legem Domini non manere talem, ſed aliud quid pro illa per errorem aſſumi.

§. 7. Hinc concludi ergo non poteſt *quod mirum non ſit ea, quæ ſupra* dixerat, ſcil. Scripturam eſſe mendoſam, corruptam adulteratam, &c. *contigiſſe libris quos habemus*, *cum*, ut inquit, *verum originale fœderis Dei & omnium ſanctiſſimum totaliter perire potuerit.* Nam perierunt originales tantum tabulæ, minime vero earum contentum. Qui unum vel plurima Scripturæ exemplaria corrumpit, non ideo Scripturam. Qui mentem Scripturæ per-

pag. 147.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

vertit, aliud ſubſtituit pro veritate præter eam; ſed non veritatem deſtruit, ut non ſit talis. Probandum fuiſſet noſtris tabulis aliud quid contineri quam primis & originalibus à Prophetis & Apoſtolis aliiſque viris Theopneuſtis conſcriptis & Eccleſiæ traditis ac receptis. Nam non negamus tabulas quaſdam & primas ac ſanctiſſimas poſſe mutilari, corrumpi, perire, earum contenta falſo explicari, negligi: &c. Sed ſubſtitui quid in illis pro divino quod tale non eſt, & obſervari vel emendari nequit, plane negamus. Nec hactenus ulla ſpecie probari poteſt.

§. 8. Quod autem putat ſe in prædictis *nihil contra verbum Dei locutum eſſe*, ſed tantum contra tabulas, plane aberrat; nam ſubſtitutis tabulis mendoſis, corruptis, adulteratis & ſibi non conſtantibus, pro veris incorruptum, purum & certiſſimum verbum Dei nobis patefieri & innoteſcere non poteſt; & in tantum nobis perit Dei verbum quantum illis mendis & corruptionibus impedimur imo univerſæ tabulæ ſuam amittunt certitudinem, cum ſecundum partes corruptioni ſubjiciuntur, id eſt, admittitur quod in quibuſdam contineant aliud quam originales, atque ita perit totum Dei verbum: nam ſi per partes aliæ quam divinæ tabulæ tradi potuerint nihil obeſt cur illæ non plures & majores accreſcendo, tandem totas mutaverint Scripturas. Dicuntur quidem 2 *Cor.*
pag. 148. 33. Corinthii *Epiſtola Chriſti ſcripta non in tabulis lapideis, ſed carneis cordis*, verum additur quod διακονηθεῖσα *miniſtrata*, ſeu adaptata vel adornata ſit miniſterio prædicationis Apoſtolorum ſecundum Scripturas Sacras. Quare ea non niſi pro apographo habenda, cujus autographum eſt ipſa Scriptura ſacra, quæ ſi corrupta foret, & hæc eaſdem neceſſario mendas contineret, unde etiam pro illa præcipua gerenda cura. Atque ita puto conſtare Scripturam ſacram & divinam eſſe, quia à Deo tradita eſt hominibus, ut eos de ſua voluntate certos redderet, & ad pietatem & religionem duceret, regeret, inſtigaret & propelleret & minime vero quia homines ea religioſe utuntur, & ſacram eſſe deſinere, ſi eadem abutantur. Cum ejus ſanctitas non ab humano inſtituto, ſed divino pendeat, utpote quæ ipſam religionem ſequitur, etiam nullo modo hominis arbitrio ſubjectam, ſed ſoli Divino.

§. 9. Sequitur videamus *quid proprie per Verbum Dei intelligendum* exiſtimet. Quæ ſupra Cap. 1. dixit *de cauſis cur aliquid ad Deum referatur*, cum ipſe non cenſeat repetenda, nec noſtra eſt quod repetamus. Nec ea quæ ad Cap. 6. tertio loco, dicta fuerunt. Sufficit examinare quæ hic dicuntur. Primo dicit *Verbum Dei* ſignificare *religionem toti Humano generi univerſalem ſive Catholicam*. Sed quis novit talem. Chimera hæc eſt. Omnibus quidem innata ſunt cognitionis & cultus divini principia, ſed cum eorum tam pauca remanſerint à lapſu rudera, & adeo debilia, inculta & denſiſſimis tenebris obruta, nunquam ex iis oriri potuit religio toti Humano generi univerſalis, quam fingit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

fingit Anonymus, ſed infiniti fuerunt orti circa religionem errores, & ſingularum pene nationem abſurdiſſimæ & corruptiſſimæ formatæ religiones ſi ita dicere liceat, cum potius defectus à Deo quam religiones fuerint. Nec talem aliquam reſpicit *Eſa.* 1. 10. ſed ſuum ſignificat ſpeciale Dei mandatum continens veram mentem & expoſitionem totius legis à Moſe perſcriptæ, quod *verbum Dei* & *legem* dicit; confer hic Muſculum & nos ſupra ad pag. 55. Secundo dicit *verbum Dei Metaphorice* ſumi, *pro ipſo naturæ ordine & fato*, *quia ab æterno divinæ naturæ decreto pendet & ſequitur.* Sic ſumi poſſe, ſi per decretum intelligatur, liberrima Dei voluntas & ordo ab ea conſtitutus, non vero immutabile fatum, Deum adſtrictum tenens, non negamus. Sed tamen ſic ſumi in Scriptura, probandum ex eadem fuiſſet. Et *verbum Dei in Prophetis* non aliud eſſe: quam *id quod Prophetæ hujus ordinis ſeu de* hoc ordine *præviderant*, *quia ipſi res futuras per cauſas naturales non percipiebant*, *ſed tanquam Dei placita & decreta*, ſapit Anonymi Myſterium jam ſupra confutatum. Provabimus enim Deum etiam præter cauſas naturales & earum ordinariam conſtitutionem plurima feciſſe & prædixiſſe, quæ ad illum non pertinent, pro ſumma ſua libertate. Tertio dicit *Verbum Dei pro omni cujuſcunque Prophetæ edicto*, *quatenus id ſingulari ſua virtute*, *vel dono Prophetico & non ex communi naturali lumine perceperat.* Nobis ſignificat omnem Doctrinam quam Propheræ & Apoſtoli ac omnes viri Theopneuſtoi, ex mandato, revelatione, & inſpiratione, ac ductu Spiritus S. propoſuerunt, & ſcriptis Eccleſiæ tradiderunt, quo modo ſumitur Pſalm 12. 7. & 119. 9. 16. 89. 105. Jerem. 8. 9. Amos. 8. 11. 12. Luc. 5. 1. Joh. 8. 47. Eph. 6. 17. Tim. *pag.*
4. 5. 1 Pet. 1. 23. 25. Eſa. 40. 8. & alibi. Atque non concedimus quod 149.
Deus author Bibliorum tantum ſit dicendus, *propter veram religionem quæ in iis docetur*; ſed multo magis propterea quod viros ſanctos veram illam religionem ex ſuo mandato, auxilio & virtute divina per Sp. S. conſcribere fecerit; poſſunt enim & alii libri veram religionem continere, qui tamen ideo non poſſunt dici verbum Dei. *Librorum numerum ad verbum Dei nihil facere* facile concedimus, cum Deus ſuam voluntatem nobis conſtare ſatis efficere potuerit multo paucioribus libris. Hunc tamen librorum numerum à Deo determinatum, & ab Eccleſia receptum exiſtimamus. Atque adeo ſi quibuſdam ex his libris deſtitueremur, ſi non Dei verbo, ſaltem quibuſdam ex tabulis quibus Deus verbum ſuum Eccleſiæ conſcribi & tradi voluit privaremur. Quo tamen referendos non putamus alios illos *libros bellorum & Chronologiarum*, jam deperditos, quos nunquam Eccleſiæ traditos & receptos fuiſſe conſtat.

§. 10. Quæ autem hic inſerit Anonymus de diſtributione *librorum in libros V. & N. Teſtamenti* nihil moramur, cum nudam contineant repetitionem eorum quæ ſupra confutata ſunt. Nec diverſam aliam recentio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rem doctrinam, aut diverſorum fœderum ſyngrapha iis contineri exiſtimamus. Sed varias ejuſdem fœderis adminiſtrationes. Uti utriuſque Teſtamenti explicationem vide apud Coccæjum Syſt. cap. 54. §. 2. 3. &c. p.543.&c.

§. 11. Verum ut ſe non tantum omnibus viris in Eccleſia Doctiſſimis ſapientiorum demonſtret, ſed etiam ipſo Deo, quinque rationibus aggreditur demonſtrare, *nos Dei verbo deſtitutos non fore, quamvis pauciores libros V. quam N. T. haberemus.* Sed ut nobis quidem videtur, inutilem omnino ſumit operam. Concedimus enim Deum ſuam voluntatem paucioribus libris nobis tradere potuiſſe; ſed cum hos tradi voluerit, cenſemus eum exiſtimaſſe hos ad perfectam ſuæ voluntatis cognitionem neceſſarios eſſe vel ſaltem apprime utiles; & conſequenter nos, ſi iis deſtitueremur, futuros privatos iis mediis, quæ Deus Eccleſiæ ſuppeditari voluit. Sed examinemus rationes ejus.

§. 12. Prima eſt, *quia libri utriuſque Teſtamenti non fuerunt expreſſo mandato, uno eodemque tempore, omnibus ſæculis ſcripti, ſed caſu, quibuſdam hominibus, idque prout tempus & eorum ſingularis conſtitutio exigebat.* Sed quid ſi hæc omnia concederemus, excepto hoc unico quod caſu, conſcripti ſint, & ſine mandato. Nihil concludi poſſet quam Deum voluiſſe hos omnes omni tempore & ſeculo, inter omnes homines in Eccleſia exiſtere, & pro ſuo arbitrio voluntatem ſuam Eccleſiæ diverſimode pateſeciſſe. Cur non addit Eccleſiam fuiſſe ſine ullis libris, & conſequenter etiam jam omnibus carere poſſe, nam eadem eſt ipſius argumentandi ratio. Quoſdam vero caſu & ſine mandato ſcriptos fuiſſe, ipſi adverſum eſt Anonymo, quippe qui omnia certo & immutabili Dei decreto fieri ſupra aſſeruit. Quam expreſſum autem fuerit mandatum, non eſt quod inquiramus, ſufficit ſi agnoſcamus eos ductu & inſtinctu Spiritus Sancti conſcriptos fuiſſe.

§. 13. Secunda eſt *quia aliud eſt Scripturam & mentem Prophetarum, aliud autem mentem Dei, hoc eſt, ipſam rei veritatem intelligere. Atque hoc de locis in quibus de vera religione & vera virtute agitur, minime dici poteſt.* Verum quis hinc concluſerit quod probandum eſt; ſcil. nos verbo Dei deſtitutos non fore qnamvis pauciores libros V. quam N. T. haberemus. Præterea falſiſſimum exiſtimamus mentem Prophetarum & ſanctorum virorum non eſſe mentem Dei ſeu rei veritatem. Nunquam enim in iis quæ ſibi proponebant docere declinarunt à veritate. In aliis quidem uſi ſunt popularibus dicendi modis, ſed tamen ideo nihil docuerunt præter veritatem, uti ſupra ad Cap. 2. & 6. late diſputatum.

pag. 150. §. 14. Tertia eſt, *quia libri V. T. ex multis electi fuerunt, & à concilio tandem Phariſæorum collecti & probati. Libri autem N. T. decretis etiam conciliorum in Canonem aſſumpti ſunt, quorum membra non conſtabant ex Prophetis, ſed tantum ex Doctoribus & peritis, qui in hac electione verbum Dei pro*

norma

norma habuerunt: adeoque antequam omnes libros probaverant, debuerunt neceſſario notitiam verbi Dei habere. Sed particulatim hæc diſſolvenda ſunt, nam plurima confunduntur plane heterogenea. I. non conſtat libros V. T. ex multis electos fuiſſe: cum nullibi pateat præter hos ullos alios in Eccleſia receptos fuiſſe, aut ei traditos à veris Theopneuſtis. II. falſum eſt quod à conſilio Phariſæorum tandem demum ſint collecti & probati, nam diu poſt ſynedrium magnum, in quo & ante quod jam aliquam eorum collectionem factam fuiſſe multis argumentis probari poteſt, orſi demum ſunt Phariſæi. III. In magno ſynedrio fuerunt varii Prophetæ, & ejus præſes Ezras. vide Boxtorfii Tiberias pag. 93. cap. 10. IV. in Conciliis fuerunt viri qui vel ex ipſis Apoſtolis de eorum ſcriptis multa ſcire potuerunt, ad diagnoſin librorum ſacrorum utiliſſima & certiſſima. V. verbum Dei habebant in Moſe & Prophetis, ac copioſiſſimis Apoſtolorum prædicationibus, unde nos ſine Scriptura eam haurire non poſſumus. VI. Nihil ergo concludi poteſt quam illis de verbo Dei conſtitiſſe antequam ſcriptis traditum eſſet; quod facile concedimus. Sed an idem de nobis dici poteſt? An ideo nec nos divinæ voluntatis tabulis deſtituti, ſine quibus nobis de ſuæ voluntate conſtare voluit, verbo Dei privaremur? Egregie ſane.

§. 15. Quarta eſt, *quia Apoſtoli non tanquam Prophetæ, ſed tanquam Doctores ſcripſerunt, & viam ad docendum elegerunt, quam faciliorem judicaverunt fore diſcipulis quos tum docere volebant, ex quo ſequitur in iis multa contineri quibus jam ratione religionis carere poſſumus.* Sed I. ſupra ad cap. præcedens demonſtravimus parum intereſſe ſive dicantur Apoſtoli ut Prophetæ, ſive ut Doctores ſcripſiſſe, ſi modo concedatur quod etiam inſtinctu & ductu divinæ virtutis docuerint. II. Maxime appoſitam eligiſſe docendi viam, etiam conceſſimus, ſed tamen idem omnium fuiſſe fundamentum adſtruximus ſupra. III. concedimus etiam in eorum ſcriptis multa contineri, quæ prætérita tempora ſpectant, & quibus nos jam forte carere poſſemus, non enim omnibus, & omnibus temporibus, omnia ſcripta fuiſſe, neceſſarium eſt. IV. Sed quis hinc deduxerit, quod ergo ſalvo nobis verbo Dei pluribus libris privari poſſimus? Nullus profecto.

§. 16. Quinta eſt, *quia quatuor habentur in N. T. Evangeliſtæ, & quis credet, quod Deus quatuor Hiſtoriam Chriſti narrare voluerit, & ſcripto hominibus communicare.* &c. *Nam unusquiſque ſuum Evangelium diverſo loco prædicavit, & unuſquisque id quod prædicaverat ſcripſit, idque ſimpliciter, ut Hiſtoriam Chriſti dilucide narraret, & non ad reliquos explicandum. Si jam ex eorum mutua collatione facilius & melius quandoque intelliguntur, id caſu contingit, & paucis tantum in locis, quæ quamvis ignorarentur, Hiſtoria tamen æque perſpicua eſſet, & homines non minus beati.* Reſpondemus I. quod ſi nullus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nullus crederet Deum quater Hiſtoriam Chriſti narrare voluiſſe, ipſi id credendum foret, utpote qui omnia neceſſario à Deo fieri ſtatuit. II. quid ni voluerit quater? cum multiplex admodum hinc oriatur utilitas ad Hiſtoriæ Evangelicæ confirmationem & certitudinem. III. imo quod quiſque diverſo loco, & tempore ſua ſimpliciter ſcribens, adeo cum ceteris conveniat, maximum veritatis argumentum eſt. IV. licet ipſi non intenderint aliorum explicationem, unde forte colluſio & perverſa conſpiratio inferri poſſet, quid ni Deus eam intenderit; & cur caſu id fit. V. Hiſtoriam non æque perſpicuam futuram unicuique notum eſt. VI. quid ſi Deus hic abundantiam voluerit, An non niſi ex Anonymi cerebro ſuam voluntatem patefacere, & ſcriptis conſignatam Eccleſiæ tradere debuit: An non ipſe ſibi plurimas, occultas nobis, poteſt ejus habere rationes? Quid itaque carpit hic Momus.

§. 17. Ex his tandem concludit *Scripturam tantum ratione legis univerſalis poprie vocari verbum Dei.* Atque ita, cum & religio & lex illa univerſalis, ſi maxime ſano ſenſu ſumantur, nam alioquin chimeræ ſunt & figmenta, nil niſi naturalis & omnibus communis lex & religio ſit, Scriptura non aliud Dei verbum erit quam ipſa natura, & ſic iterum nulla revelatio ſupernaturalis. Nec Scriptura Verbum Dei, niſi quatenus continet legem & religionem natura notam.

§. 18. Jam autem aggreditur demonſtrare, *eandem quatenus proprie ſic* Dei verbum *vocatur*, *non eſſe mendoſam*, *depravatam neque truncatam.* Deſcribit autem primo, quid pro tali habeat ſcil. *id quod adeo perperam ſcriptum & conſtructum eſt*, *ut ſeuſus orationis ex uſu linguæ inveſtigari*, *vel ex ſola Scrip-*
pag. 151. *tura depromi nequeat.* Quod accipimus. *Eoſdem tamen* non putat *ad nos perveniſſe apices*, *literas & verba* quibus olim conſtabat Scriptura, *ſed tantum ſenſus*, *tametſi verba ſæpius mutata fuiſſe ſupponantur.* Sed cum de eo ſupra diſputaverimus, non eſt quod repetamus. Probat itaque Theſin ſuam ex eo *quod hæc ſumma*, *Deum ſupra omnia*, *& proximum tanquam ſe ipſum amandum eſſe*, ex Scriptura & *natura ſint adeo manifeſta ut cuique nota ſint*; & conſequenter infert, *hic nullum errorem qui ſenſum corrumpere poſſit*, *incidiſſe*, *qui ſtatim ab unoquoque non animadverteretur*, *nec aliquem hoc depravare potuiſſe*, *cujus malitia non illico pateret.* Idem aſſerit fatendum eſſe *de reliquis*, *quæ ex eo abſque controverſia ſequuntur & quæ etiam fundamentalia ſunt.* Atque ita concludit, *totam legem univerſalem*, *quam* & natura & *Scriptura docet*,
pag. 152. *incorruptam ad noſtras manus perveniſſe.* Quæ omnia facile concedimus; nam cum eam incorruptam exiſtimemus in omnibus non eſt quod in his corruptionem admittamus. Nec videmus in Scriptura ulla occurrere dogmata, quæ à natura ſana ratione redargui poſſunt, cum idem Deus utriuſque auctor ſit. Sed hæc ſufficere minime putamus, nam cum Dei providentia non minus efficax

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cax ſit in cæteris quam in his, & naturæ noſtræ admodum variabilis & corruptæ dictata non minus erronea, quam quævis alia ſigna, unde corruptio etiam in aliis dignoſci poſſet. Exiſtimamus etiam in cæteris non minus impoſſibilem fuiſſe corruptionem quam in his, nec majori cum facilitate in his quam in aliis patefieri. Imo cenſemus hac ratione ab Anonymo deſeri & rejici omnem Scripturam Sacram & ſolam retineri naturam, regulam & normam Scripturæ S. Nam quod addit *de ſumma Hiſtoriarum Scripturæ, & rerum à Chriſto geſtarum*, adeo parum eſt, ut ex quovis etiam profaniſſimo ſcriptore hauriri poſſit, & Scripturam ſupra eos non extollat. Quam *parum* autem *referat ad ſalutem Scripturam adulteratam & mendoſam eſſe in Hiſtoriarum & Prophetiarum*, ex quibus ejus divinitas non parum evincitur, *circumſtantiis*: in *enarratione miraculorum* quibus de Prophetiis conſtare debuit: *& in Speculativis* quæ fundamenta ſunt omnis praxis, facile quivis, cui ſatis ſanum eſt cerebrum, facillime perſpexerit. Sed cum de his in ſequenti capite prolixius, hæc ulterius inquirere nihil juvat.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Oſtenditur Scripturam non niſi ſimpliciſſima docere, Nec aliud præter obedientiam intendere: Nec de divina natura aliud docere, quam quod homines certa vivendi ratione imitari poſſunt.

§. 1. UT hanc primam hujus Capitis Concluſionem formet ſcil. *Scripturæ Doctrinam non ſublimes Speculationes, neque res Philoſophicas continere, ſed res tantum ſimpliciſſimas, quæ vel à quovis tardiſſimo poſſunt percipi*: ex ante dictis plurima, quaſi certiſſima, repetit; quæ jam ſupra nobis aperte debellata fuerunt. Præterquam quod facile concedi poſſit ea quæ in Scripturis tradunrur, ita proponi, ut vel à tardiſſimo, quantum ad ſalutem ſufficit, ſi requiſitam adhibeat diligentiam, divina gratia auxiliante percipi poſſint. Si etiam per res Philoſophicas & ſublimes Speculationes intelligat, veritatum natura cognoſcibilium & ex primis principiis deductarum, per plurimas conſequentias, non niſi difficiſſime ſuperabiles, concatenatas demonſtrationes; eas in Scriptura non reperiri, quiſque facillime concedet. Quamvis in ea per revelationem & admodum perſpicue non tantum plurimæ tradantur veritates, ex natura notæ, & ex ea non niſi diligenti ſpeculatione deducendæ, ſed etiam adeo ſublimes, ut nullus natutæ viribus eas capere, attingere

Anony. cap. 13. pag. 153.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

gere aut penetrare & comprehendere poſſit. Sed videamus ex quibus præmiſſis hanc concluſionem colligat. Primo dicit ſe cap. 2. oſtendiſſe, *Prophetas ſingularem tantum potentiam imaginandi ſed non intelligendi habuiſſe.* Nos autem demonſtravimus eam ad percipiendas Prophetias minime ſufficere potuiſſe, ſed Deum etiam neceſſario intellectui immediate pateſeciſſe res per imaginationi occurrentia ſigna ſignificatas. *Deumque nulla Philoſophiæ arcana ſed res ſimpliciſſimas tantum iiſdem revelaviſſe.* Sed nos eadem prædicto jam modo limitavimus *ſeſeque eorum præconceptis opinionibus accommodaviſſe.* Cui reſpondimus Deum quidem in modo revelandi ſuas Prophetias, ſe ita attemperaſſe Prophetis, ut eorum præconceptæ opiniones non obeſſent, vel ipſi Prophetiarum revelation,i vel ei quod Deus in illarum revelatione ſibi propoſuerat; nullo modo vero res revelatas præconceptis & erroneis ſæpe opinionibus Prophetarum accommodare potuiſſe, cum ſimplex & immutabilis veritas ſemper ab omni errore remotiſſima manere debeat, & nunquam alicui ullo modo accommodari poſſit. Secundo dicit ſe Cap. 5. & 6. oſtendiſſe *Scripturam res eo modo tradere & docere, quo facillime ab unoquoque percipi poſſunt.* Quod conceſſimus in plurimis, vel ad convictionem & inexcuſabilitatem, adhibita requiſita diligentia, vel ad ſalutem, accedente etiam divinæ gratiæ auxilio, neceſſariis, præter quæ tamen etiam in ea tradi diximus plurima difficilia: teſtante id Petro Apoſtolo 2 Pet. 3. 16. Tertio dicit ſe Cap. 7. oſtendiſſe, *Difficultatem intelligendi Scripturam, in ſola lingua, non in difficultate argumenti ſitam eſſe.* Cum tamen ipſe ſupra alibi concedat, maximam Sripturæ partem continere myſteria, miracula & quæ nobis penetrari nequeunt. Et his addit, *quod Prophetæ non peritis ſed omnibus abſolute Judæis prædicaverunt; Apoſtoli autem in Eccleſiis ubi communis omnium erat conventus.* Et his tandem ſuperſtruit prædictam concluſionem. Tantæ molis erat, ad tantam ſubtilitatis altitudinem adſcendere, & non veritatem notiſſimam ſine tenebris proponere, ſed plurimis ambiguitatibus abſurdiſſimis involvere. Admiſſa enim prædicta noſtra diſtinctione, & perpenſis reſponſis ejus erroribus oppoſitis, res eſt facillima ſimul & notiſſima ac ſimpliciſſima.

§. 2. Quod autem adeo *miretur eas, qui tam profunda in Scriptura vident myſteria, ut nulla humana lingua poſſint explicari*, plane ineptum eſt, nam ipſe ſupra cap. 7. & alibi fatetur plurima in Scriptura talia eſſe, quæ noſtrum captum longe ſuperant, imo ipſe tradit methodum de iis ſecure diſcurrendi licet non intelligantur. *Miratur etiam eos qui in religionem tot res Philoſophicæ ſpeculationis introduxerunt*, & cap. 11. pag. 144 fatetur eos fuiſſe ipſos Apoſtolos. Non negamus culpandos eſſe Scholaſticos, qui Philoſophicis ſuis cogitatis integram pene Theologiam conſtuprarunt; nec abſolvimus alios, qui tales Doctores nimio affectu amplectuntur, & cum paucis bonis plurima recipiunt eorum mala

& er-

& erronea. Sed cum infra latius dicendum ſit de Separatione Theologiæ à Philoſophia, his non inhærebimus. Verum *S. Scripturæ Myſteria nihil eſſe præter Ariſtotelis aut Platonis, aut alterius ſimilis commenta, quæ ſæpe facilius poſſit quivis Idiota ſomniare, quam literatiſſimus ex Scriptura inveſtigare*, tam deteſtabilis calumnia eſt, & horribilis blaſphemia, ac execrabilis profanatio ſacrarum literarum, ut quivis pius ad eam exhorreſcat; Mille loci de ſacroſancta Trinitate, de Chriſti multiplici promiſſione, incarnatione, morte, reſurrectione & in cœlum aſcenſione, de futura hominis reſurrectione &c. & univerſa noſtra ſalute per Chriſtum ſola fide comparanda, hanc impudentiam plane confundunt. Si cujuſdam momenti fuerit, quod in illorum Philoſophorum ſcriptis reperitur, & à quibuſdam viris doctis, vereor ne nimis ſcrupuloſe, colligitur, ut ita gentilium conſenſum etiam in Myſteriis probent, id non niſi minime ſcintillulæ poſſunt eſſe divinæ revelationis, ex Judæis & cæteris diſperſæ etiam inter gentiles, qui continuo ad lucidiſſimam divinæ revelationis facem, vagabundas ſuas flammulas accendere conati fuerunt; ſed mirabiliter obfuſcatas denſiſſimis nebulis & tenebris, ita ut vix ultra quam pro ſomniis haberi poſſint, ſi cum ſacræ revelationis luce comparentur. Verum quod nobis obtrudere conatur Myſterium de Deo corporeo ab univerſo non diſtincto, vix quis in ſomnio ſibi repræſentaverit; & jam ante ſæcula ſolidiſſime confutatum fuit ab ipſis Gentilium ſapientibus. Sed quid adverſus eos non audeat, qui talia non veretur dicere adverſus Deum & ſacratiſſimas ejus litteras. *pag. 154.*

§. 3. *Negare* tamen *non vult, ad Doctrinam Scripturæ nihil pertinere, quod ſolius ſit ſpeculationis*: ſed *hoc tantum, ea admodum pauca, atque admodum ſimplicia eſſe.* Quæ ipſiſſima Socinianorum vox. Sed noſtra parum refert, unde ſuas abſurditates collegerit Anonymus. Videamus quomodo eas adſtruere conetur. *Quænam ea ſint, & qua ratione determinentur, hic oſtendere conſtituit.* Eum autem in finem jam ſupponit conſtare, *Scripturæ intentum non fuiſſe Scientias docere.* Quod concedimus, ſi per Scientias intelligat veritatum concatenatam deductionem ex primis principiis. Negamus vero ſi per eas intelligat quamvis cognitionem certam & evidentem: Nam non pauca docet de Deo, mandatis divinis, lege, gratia, Chriſto, de homine, ejus corruptione & reſtitutione, aliaque. Nec eorum cognitio per revelationem in Scriptura minoris certitudinis eſt, quam ſi hæc omnia, ſi poſſent, ex ipſa natura demonſtrata fuiſſent. Ita ut ex eo inepte concludat. *Scripturam nihil præter obedientiam ab hominibus exigere, & ſolam contumaciam, non autem ignorantiam damnare.* Nam præter obedientiam, quam etiam exigit ipſa natura, ſimul contumaciam damnans, ut & omnem voluntariam ac culpabilem ignorantiam, docet veram æternæ ſalutis viam divinæ auxilio gratiæ ineundam & comparandam, nec ullo modo natura cognoſcibilem, ut & quicquid de Deo, de Chriſto & Ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mine cognoſcendum eſt, tam abundanter tradit & copioſe, ut non modo minimis ingeniis ſufficientia facillime occurrant, ſed etiam ſummis plurima ſuppetant, in quibus ſe ſine fine exercent: Ita ut nullum non reddat plane inexcuſabilem coram Deo. Perfectam dilectionem proximi hoc efficere, ut Deus omni modo à nobis honoretur & glorificetur, non eſt quod dubitemus: nam qui recte proximum diligit, diligit Deum; cum ex amore Dei fluat dilectio proximi, & proximus non recte diligatur, niſi in eo diligatur Deus & ipſe propter Deum; qui autem proximum non diligit, quem videt, quomodo Deum diliget, quem non videt? inquit Apoſtolis 1 Joh. 4. 20. Atque adeo vere legem implevit, qui ſic proximum diligit Rom. 13. 8. Verum cum hic ſit fructus unicæ juſtitiæ divinæ nobis in Chriſto donatæ, & vitæ æternæ initium, & via ad glorificationem, & pignus ejus, & fœderis Dei, ſive pacis & amicitiæ cum ipſo, qualem Deus ordinairie in nobis operari per Spiritus ſui gratiam noluit, niſi mediante verbo ſuo nobis in Scriptura propoſito, & de Deo, Chriſto & homine ejuſque corruptione, reſtitutione per Chriſtum, & Deo debita gratitudine, nos inſtituente, ad talem proximi dilectionem, ea requiritur ſcientia quam Deo placuit in Scriptura omnibus eum in finem per Prophetas & Apoſtolos proponere & docere, & ſine qua in nullo, pro modulo gratiæ à Deo conceſſæ, talem charitatem operari noluit. Cum autem divinæ miſericordiæ fines non comprehendamus, temerarii ſumus, ſi præciſe, & punctim determinemus, quanta ſcientia eorum in ſingulis requiratur, ut Deus talem in iis velit operari charitatem; Deus enim hæc omnia operatur pro ſua complacentia, ſeu prout vult. Alia ſeu perfectior in docente quam diſcente, in adultis, quam junioribus & incipientibus &c. Alia ſecundum infinitas hominum & donorum à Deo conceſſorum differentias, ita ut hic impoſſibile ſit, determinare illud minimum quod ſit, ſine quo abſolute ſalvari non poſſet. Veruntamen cum hominis ſalus conſiſtat, & in Scriptura Sacra conſtituatur, in unione ſui cum Deo per Chriſtum, & in Scriptura revelatam habeamus ordinariam ad ſalutem viam, ex eadem Scriptura etiam quodammodo determinare poſſumus quæ dogmata ſalutem ordinarie fundent; reſpicientia ſcil. tum Deum, à quo, & in quem integra noſtra ſalus; tum Chriſtum per quem; tum hominem qui ipſum ſalutis ſubjectum eſt, omnia talia ſine quibus homo veram ſalutis per Chriſtum acquirendæ viam per fidem inire, & Deum cum & in proximo, ut & proximum cum Deo recte diligere non poteſt.

§. 4. Verum *de tota hac re*, ſuam ſententiam Anonymus ſuo modo *accuratius oſtenſurus*, & *clarius explicaturus*, ante omnia duo demonſtranda proponit, ſcil. *intellectualem*, *ſive*, ut loquitur, *accuratam Dei cognitionem*, *non eſſe donum omnibus fidelibus commune*, *ſicuti obedientiam*. Sed OEdipus ſit oportet qui hæc intelligat, non Davus. Qualis enim foret cognitio Dei non itellectualis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

lis & minus accurata? An Dei non intellecti; An ſine intellectu? vel an Cognitio non intellecta ſeu cujus cognoſcens ſibi non eſt conſcius. Quis hæc attingat intellectu ſuo vel ſubtiliſſimo? Qualis etiam eſt obedientia omnibus commune donum? An nullus itaque non eſt obediens Deo? quis hoc admittat? Omnibus hominibus innata eſt non minus cognitio Dei, quam eorum obligatio ad obedientiam. Sed cum hic de fidelibus loquatur, an putat quibuſdam concedi donum obedientiæ ſine intellectuali cognitione Dei, cui eſt præſtanda obedientia? Sic profecto irrationalem facit obedientiam fidelium, imo tollit omnem obedientiam; nam abſque cognitione & intellectu non poteſt obedientia concipi.

§. 5. Secundo proponit demonſtrandum *cognitionem illam, quam Deus per Prophetas ab omnibus univerſaliter petiit, & quiſque ſcire tenetur, nullam eſſe præter cognitionem divinæ ejus Juſtitiæ & Charitatis, quæ ambo ex Scriptura facile demonſtrantur.* Sed docet ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus Joh. 17. 3. hanc eſſe vitam æternam, ut cognoſcant unicum, verum Deum, & Jeſum Chriſtum quem miſit, quæ ſi comprehendat ſub divinæ Juſtitiæ & Charitatis cognitione, addens etiam cætera quæ ad perfectiorem ejus notitiam de Deo, Chriſto & homine ſunt cognoſcenda, aliud quam videri voluit, dixiſſet; verum de his mox in ſequentibus.

§. 6. Prius ex Scriptura Sacra ſic probare aggreditur, unicum proferens *pag.*
locum *Exod* 6. 2. Ubi Deus à Moſe ſic introducitur loquens, *Ego Dominus* *155.*
revelatus ſum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in Deo Sadai שדי *omniſufficiente* vel potente. *Sed nomine meo Jehova non ſum cognitus ipſis.* Conqueſtus erat populus de aggravata ſua ſervitute, & eo nomine ſe importunius geſſerat in Moſen & Aaronem; hinc Moſes attonitus, Deum rogavit cur hæc ita fierent. Reſpondet Deus, *nunc videbis &c.* ſcil. rationem, & quod id nullo modo repugnet promiſſioni à me factæ, quod Pharao eſſet dimiſſurus populum, ſed eam promoveat, & ut Moſen, quaſi vacillantem, magis confirmaret in ſuſcepta ratione ac ad eandem iterandam animaret, inſtituit comparationem inter modum quo revelatus fuit patribus, & quo jam ſe ſpecialiter Moſi & reliquis Iſraelitis manifeſtaturus erat, ac oſtendit hujus prærogativam præ illa. Illis ſcil. me oſtendi & patefeci omnipotentem & omniſufficientem, largiendo ipſis quantum ſufficiebat, & multo plura promittendo futura, ut & conſervando eas adverſus omnis generis difficultates & pericula; verum conſtantiam meam in præſtandis illuſtriſſimis meis promiſſis, qua ſum quod ſum & innoteſco Jehova, qui eſt quod eſt, experti non fuerunt. Nunc autem vobis eam exhibebo, vos ex Ægypto, ut illis promiſeram, educturus, & cunctis hoſtibus debellatis, in plenam poſſeſſionem terræ Canaan deducturus. Non nego *nomen Jehovæ abſolutam Dei Eſſentiam ſine relatione ad res creatas ſignifi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

care. Sed probandum fuiſſet, illud nihil præterea, & quidem hoc loco ſignificare. Quænam enim ratio cur experimentali patrum cognitione Dei, opponeretur Moſis & Iſraelitarum theoretica, & non experimentalis cognitio. Præcipue cum Deus non minus cognoſcatur Jehova ſeu exiſtens id quod eſt, ex immutabili conſtantia in præſtandis ſuis promiſſis, quam ex immutabili & ſimplici ejus eſſentia, ab ea non diverſa. Quocirca hinc concludi non poteſt *Patres nullum Dei attributum noviſſe, quod ejus abſolutam eſſentiam explicat.* Sed tantum quod abſolutam Dei eſſentiam tam luculenta experientia comprobatam non habuerint. Omnia enim Dei attributa abſolutam Dei eſſentiam explicant, nam eſſentia Dei non niſi abſolutiſſima poteſt eſſe, cum omnino per ſe ſibi ſufficiat in omnibus. Et cum Deus dicitur juſtus, miſericors &c. tantum exprimitur quomodo abſoluta Dei eſſentia ſe habeat ad nos: ita ut ne quidem illa attributa cognoſci poſſint, non cognita abſoluta Dei eſſentia. Et conſequenter Deus hæc non refert *ad laudandam Patrum ſimplicitatem*, ſed ad enarrandam, in majorem Moſis confirmationem, gratiam revelationis Patribus factæ & cum ea comparandam eam, quæ jam, hoc ipſo tempore, cum loco promiſſæ ſalutis, Judæorum res in pejus mutatæ viderentur, Moſi & omni populo eſſet futura longe major & excellentior. Ita ut hinc quidem manifeſtum ſit, *divinam cognitionem non eſſe omnibus æqualem fidelibus*, & hunc gradum *eſſe peculiare donum quibuſdam tantum fidelibus conceſſum*; nullo modo vero *homines non teneri ex mandato Dei attributa cognoſcere.* Nam abſque attributis non cognoſcitur Deus: Nec Patres Deum cognoviſſent, ſi abſque attributis cognoviſſent. Si itaque teneantur cognoſcere Deum, eadem erit ratio attributorum. Et ſi neget nos teneri ex mandato Deum cognoſcere, reſpondebo quod Rom. 1. 19. & 2. 12. 13. ex natura teneamur, & quod illud ſit mandatum à Deo noſtræ naturæ inſcriptum; præterquam quod etiam inſcriptura mandetur. Præterea rogabo, unde ergo teneamur Deum cognoſcere ſi non ex naturali, nec ex revelato mandato; nullum enim aliud excogitari poteſt. Vel An forte non teneamur, hic eſt genuinus Atheiſmus, qui ſua abſurditate ruit. Fateor *omnes ex mandato obtemperare* quidem *æque poſſe*, *non autem ſapere.* Sed tamen quemadmodum omnes ex mandato ad ſtudium obtemperantiæ, ita & ad ſapientiæ ſeu divinæ cognitionis ſtudium obligari poſſunt æqualiter. Et præterea ſicut non omnibus æqualiter datur ſapere, ita æqualiter datur obtemperare, quamvis ad utriuſque ſtudium pro ratione vocationis & donorum æqualiter ex mandato teneantur. Quod autem putet *ea quæ mentis objecta ſunt non niſi per demonſtrationes cognoſci poſſe*, & idcirco inviſibilis Dei attributa, abſque tali demonſtratione *credi non poſſe*: id ſane nugari eſt, nam non modo ex Scriptura, ſed etiam ex viſibilibus cognoſcuntur inviſibilia Dei Rom. 1. 19. 20. & uti opus legis omnium cordibus inſcriptum eſt, ita & γνωστὸν τοῦ θεοῦ mani-

pag. 156.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

manifeſtum eſt in illis; nam Deus illis; manifeſtavit: & omnes tam revelato quam naturali mandato tenentur eadem utroque modo, quantum pro modulo poſſunt, ſibi quam manifeſtiſſima reddere, Quod addit *Deum in Geneſi Patriarchis prædicatum nomine Jehova indicari, non quia Patribus hoc nomine innotuerat, ſed quia hoc nomen apud Judæos ſummæ erat reverentiæ*, eſt per Judæorum reverentiam hujus textus veritatem everſam dicere, nam ſi hic Jehovæ nomen patribus revelatum & cognitum negetur à Deo, Judæi vero ex reverentia contrarium velint, hæc illam evertit. Sed cum hoc totum cap. 8. confutaverimus & probaverimus non alium à Moſe Pentateuchi auctorem eſſe, quicquid hic de Judæorum reverentia profert, nullius momenti eſt. Nec *Moſes Exod.* 3. 13. 14. *quærit Dei nomen, quaſi antea ignotum*, nam quis credat in tanto Propheta fidem adeo abolitam fuiſſe, ut veri Dei, cui antea tam devote ſervierat, ne quidem nomen noviſſet. Nec hac occaſione de nomine Dei interrogavit, aliqua curioſitate ductus, ut præter notitiam Dei, quam majores habuerant, altius penetraret in ipſam Dei naturam; nam præterquam quod id de viro pio nulla ratione dici poſſit, aliam plane reddit illius quæſtionis rationem, ſcil. ut apud populum de divina auctoritate conſtaret. Quare nec voces illas intellexit, cum Dei nomen quæſivit, quibus ſe Deus in verbo ſuo voluit appellari, utpote quæ ei procul omni dubio notiſſimæ fuerunt: Sed tanquam vir prudens literas, ut vocant, credentiæ requiſivit, quibus apud populum conſtaret auctoritas adeundæ legationis, & inſtructionem eorum, quæ Dei mittentis nomine acturus & locuturus eſſet. Quare etiam Deus Moſi his convenienter, ſeu hoc ſenſu reſpondet; nam, ſicut in omnibus legatorum inſtructionibus uſitatum eſt, ſe titulo & nomine ſuo deſcribens, & tunc mandata ſuperaddens, late explicat & præſcribit quid ſuo nomine Moſes dicturus & facturus eſſet; imo ipſa verba ſuggerit, quibus & apud Seniores Iſraelis & apud ipſum Pharaonem uteretur. Atque adeo cum Anonymo nullo modo concludi poteſt, *Patriarchas fideles hoc Dei nomen ignoraviſſe.* Multo minus *mandatam non eſſe Dei cognitionem*, quam ipſi naturæ à Deo inſcriptam ſupra provabimus.

§. 7. Tranſeamus jam ad alterum quod ad rem totam accuratius oſtendendam demonſtrandum propoſuerat, *Deum* ſcil. *nullam aliam ſui cognitionem ab hominibus per Prophetas petere, quam cognitionem divinæ ſuæ Juſtitiæ & Charitatis, hoc eſt*, inquit, *talia Dei attributa, quæ homines certa vivendi ratione imitari poſſunt.* Sed quid hoc ſibi vult, quod homines certa vivendi ratione, dicantur imitari attributa Dei. Si intelligat attributorum divinorum in homine intelligente & vivente quandam quaſi imaginem dari, nullum erit in Deo, cujus non aliqua poterit reperiri imago in homine. Nam non magis in homine reperitur imitatio juſtitiæ & Charitatis divinæ, quam Eſſentiæ, æternitatis, infini-

infinitatis, immenſitatis, immutabilitatis &c. nam non minor differentia eſt inter hominis & Dei juſtitiam ac charitatem, quam inter hominis & Dei durationem, perfectionem, præſentiam &c. Si vero putet ab hominibus per Prophetas non aliam peti cognitionem quam divinæ juſtitiæ & charitatis, ſub iis comprehendens quæ de Deo, Chriſto, & homine ad perfectam ſatis divinæ Juſtitiæ & Charitatis cognitionem requiruntur & in Scriptura revelantur, tantum nomine tenus novum quid dicit, nam huc omnia quæ in tota Scriptura continentur reduci poſſunt; plura tamen exprimit ipſe Chriſtus Joh. 17. 3. qui etiam Joh. 4. 24. inter prima Deum cognoſcendi & colendi fundamenta poſuit, Deus eſt Spiritus; quo reſpicitur Deut. 4. 12. 15. 1 Tim. 6. 16. ut nihil jam latius dicam de Dei infinitate, omniſufficientia, omnipræſentia, immutabilitate &c, quæ quantum ad religionem momenti attulerint, cum per integram Scripturam manifeſtiſſimum ſit, plurimis locis comprobari poſſet.

§. 8. Sed videamus, quæ pro ſua ſententia proferat in medium. *Jeremias*
pag. 157. inquit, id *expreſſiſſimis verbis docet cap.* 22. 15. 16. ubi de Rege Joſia loquens dicit *quod Judicium & Juſtitiam exercere ac patrocinari inopi & pauperi, id demum ſit Deum cognoſcere.* Verum nullo modo dicit non niſi hæc Dei cognitionem eſſe: nec Dei cognitionem præter hæc non etiam alia docere. Nec ad Dei cognitionem non alia quam hæc requiri. Præterquam quod Deum cognoſcere, hic ut in plurimis Scripturæ locis non aliud ſignificet quam Deum ante oculos habere, obſervare, & colere, eique εὐαρεστεῖν, uti ex ipſis verbis textus, ſi inſpiciantur, manifeſtiſſimum eſt. Ita Jerem. 9. 6. renuere cognoſcere Deum, eſt Deum colere nolle. Et Hoſ. 4. 1. & 6. 14 nulla dicitur eſſe Dei cognitio in regione moribus corrupta. Ac per cognoſcentes Deum ſeu nomem Dei Job. 24. 1. Pſalm 6. 11. & 36. 11. & 87. 4. & 91. 14. Dan. 11. 32. intelliguntur viri fideles & religioſi. *Nec minus claræ ſunt*, inquit *quæ habentur Jerem.* 9. 24. ubi Deus ſic infit, *Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & ne glorietur fortis in fortitudine ſua: ne glorietur dives in divitiis ſuis. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & cognoſcere me, quia ego Jehova facio gratiam judicium & juſtitiam in terra. Nam his delector, ait Jehova.* Quibus videmus Deum homines inſtruere & docere, quid ſit, quo homo poſſit gloriari, quoque ipſe delectetur. Removet humanam Sapientiam, continentem multiplicem cognitionem, ſolertiam, artes, calliditatem &c. Removet omne robur virium & potentiam. Removet opes & divitias: Et aliud ſubſtituit, quo comparato poſſimus exultare & ut beati acquieſcere. Hoc ſcilicet reputet homo maximum ſuum bonum, ſi adeo illuminatos habeat oculos mentis, & à tenebrarum poteſtate liberatus fuerit, ut videat & cognoſcat, quæ ſit mea tum natura & nomen, tum εὐδοκία, voluptas, βουλὴ, & θέλημα ἐμὸν, & me ut talem

talem ante oculos habeat ac glorificet. Ita ut & hæc Dei cognitio, non ſit ſolius Juſtitiæ & Charitatis divinæ ſimplex notitia, nec ea ſola ſit omnis noſtra gloriatio, cum & Diabolis, quibus nulla competit gloriatio, conveniat ſed ſit plenior divinæ naturæ, & voluntatis, ac comparandæ per Chriſtum ſalutis cognitio & à Deo requiſita agnitio & obſervatio, & ita gloriatio in Deo ut redemptore, ſanctificatore & juſtitia ſua; cum hæc omnia ipſe Deus in nobis operetur. *Exod.* 34. 6. 7. non hæc duo; ſed decem ad minimum enumerantur attributa Dei, imo Hebræi hæc pro tredecim Dei attributis habent, quæ quamvis quidem tendant in patefactionem juſtitiæ & charitis divinæ: minime tamen ſimplicem adeo eorum cognitionem requiri ſignificant. Nec *Johannes Deum per Charitatem explicat*, *eumque revera Deum habere concludit & noſcere, qui charitatem habet*, quia nihil aliud de Deo cognoſcendum putat, aut ſimplicem Charitatis divinæ, ſine plurimis aliis de Deo, Chriſto, & homine ad ejus perfectiorem cognitionem requiſitis, cognitionem in homine ſufficere exiſtimet, ſed quod hoc conſideret tanquam præcipuum & capitale, quo tendunt omnia quæ in Scripturis traduntur, uti Paulus etiam 1 Cor. 2. 2. nihil ſcire volui inter vos præter Chriſtum eumque crucifixum. Et in Chriſto ſunt omnes promiſſiones Amen. &c. Confer hic Calvin. ad 1 Joh. 4. 8. 16. ut & Gomarum & Zanchium. Atque adeo abſurde ſecundum *Jeremiam*, *Moſen & Johannem* concludit *Dei cognitionem, quam unuſquiſque ſcire tenetur, hoc ſolo comprehendi, quod Deus ſit ſumme juſtus & ſumme miſericors, ſive unicum veræ vitæ exemplar.* Sic enim præteritur præter divinam Trinitatem, Chriſtus & divina gratia in Chriſto, & univerſa ſalutis via, ac hominis de ſe ipſo notitia ad eam neceſſario requiſita.

§. 9. Sed his S. Scripturæ locis hæc ſuperaddit argumenta, *quod Scriptura nullam Dei definitionem expreſſe tradat*, Uti concedimus: non enim ejus ſcopus eſt Diſciplinam aut ſcientiam demonſtratam ex principiis naturalibus, ſed ex revelatione tradere, & idcirco non humano ſed divino modo procedit. *Quod* autem *non alia Dei attributa amplectenda præter modo dicta præſcribat*, *nec ex profeſſo*, *ut hæc*, *commendet*, Partim inutile & minime neceſſarium, cum ſatis commendentur ſi tantum in Scriptura doceantur; Partim falſum cum ipſe Chriſtus Dei Spiritualitatem expreſſe doceat Joh. 4. 24. Paulus inviſibilitatem 1 Tim. 6. 16. Ipſe Deus omnipræſentiam Jerem. 23. 23. 24. cui accinit David Pſalm 139. & Salomon 1 Reg. 8. 27. Jacobus immutabilitatem Jac. 1. 17. cum Davide Pſalm 102. 27. 28. Johannes & alii Trinitatem, Joh. 5. 7. Et omnes fere de Chriſto, ejus naturis, incarnatione, officiis, &c. plurima ſine fine doceant.

§. 10. Cadit itaque univerſalis ejus concluſio abſurdiſſima, ſcil. *intellectualem Dei cognitionem*, præter quam nullam dari jam ſupra probavimus, *quæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ejus naturam prout in ſe eſt conſideret, quam alio modo conſiderari non poſſe etiam ſupradiximus, *& quam naturam homines certa vivendi ratione imitari non poſſunt, neque tanquam exemplum ſumere, ad veram vivendi rationem inſtituendam, ad fidem & religionem revelatam nullo modo pertinere, & conſequenter homines circa hanc ſine ſcelere toto cœlo errare poſſe.* Nam ſecundum eam nulla Chriſti, ejuſque naturarum & officiorum, nulla fœderis divini cum hominibus initi, nulla divinæ æternitatis, omnipræſentiæ, immutabilitatis, nulla omniſcientiæ & perfectiſſimæ voluntatis divinæ, nulla divinorum operum Creationis, conſervationis, gubernationis, juſtificationis, ſanctificationis, nulla futuri à Deo præmii aut infligendæ pœnæ poſt hanc vitam, & aliorum plurium hic recenſendorum, quæ ad fidem & religionem maximi momenti ſunt: Et in quibus ſi ab hominibus erretur plurimum à recta vivendi ratione diſcedendi præſentiſſimum adeſt periculum, ſi non neceſſitas, ita ut in iis tuto & ſine peccato errari minime poſſit.

pag. 158. §. 11. Quomodo etiam *Sacra volumina loquantur ſecundum captum vulgi*, ſupra diximus, ſcil. adhibendo Phraſes ipſis notiſſimas. confer hic Wittichium in conſenſu. Sed quod *Scriptura vulgum non doctum ſed obedientem reddere ſtudeat*, ambiguum eſt. Non quidem ſtudet reddere doctum abſque obedientia, nam hæc inanis Doctrina foret nec ex naturæ principiis demonſtrando, quod Doctorum eſt, docet & doctum reddit vulgum: ſed ex revelatione & divino Spiritu, inſtinctu, & auctoritate docet, & ideo potius fidelem quam doctum reddit. Nec obedientem tamen aut fidelem reddit ſine Doctrina, ſeu notitia ex revelatione edocta; nam ea vel naturalis tantum, vel inanis, imo irrationalis foret obedientia ſine cognitione, & non fides ſed impetus abſque ratione. Hoc unicum eſt quod videtur intendere Anonymus. Nos ſupra quidem diximus minutatim determinari non poſſe hanc cognitionem, ſed tamen nullam adeſſe ex ordinaria Scripturæ Doctrina non poſſe, jam ſupra demonſtratum eſt.

§. 12. Quod autem dicit *Theologos* (quos per contemptum & inepte *communes* vocat) *quicquid in Scriptura ſecundum captum vulgi propoſitum, lumine naturali videre potuerunt, cum divina natura non convenire* male *contendiſſe, metaphorice interpretandum eſſe, quia Scriptura tum non plebi & rudi vulgo, ſed peritiſſimis tantum, & maxime Philoſophis ſcripta foret*, nullo modo ſequitur, nam cum quivis noverit Deum eſſe ens perfectiſſimum, & horum imperfectiones manifeſtiſſimæ ſint, quivis videre poteſt; hæc non niſi improprie Deo convenire poſſe. Præterquam quod Scriptura & doctis & indoctis ſit ſcripta, & quivis in ea reperiat quod percipere, cognoſcere, & ulterius inquirere poſſit, atque ita ſemper in ejus cognitione proficere, uſque dum poſtea perfectum cognoſcamus, quæ hic tantum ex parte nota ſunt. Et cur non metapho-

rice

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rice cum proprie tam aperte falſa ſint. Sed forte proprie vera eſſe exiſtimat Anonymus, ſecundum ſuum myſterium. *Quin imo*, inquit, *ſi impium eſſet pie, & ſimplicitate animi, hæc, quæ modo retulimus, de Deo* ſcil. quod manus, pedes, oculos, aures habeat & mentem: localiter moveatur, quod ſit Zelotypus, miſericors & aliis animi commotionibus ſubjectus, regio ſolio inſideat &c. *credere, Prophetæ profecto maxime cavere debuiſſent, ſaltem propter vulgi imbecillitatem, à ſimilibus Phraſibus, & contra Dei attributa, prout unuſquique eadem amplecti tenetur, ante omnia ex profeſſo & clare docere, quod nullibi factum eſt.* Hæccine ergo Anonyme, ſecundum te pie credi poſſunt? Adeone irrationalis poteſt eſſe fides noſtra? quis non miretur tantam abſurditatem? Præterea an pium eſt, quicquid animi ſimplicitate creditur? an non culpabilis eſt ergo ſimplicitas ignorantiæ voluntariæ? Et tandem quomodo impium poteſt eſſe quod pie creditur aut impie credi quod pium eſt: nam pietas ſine notitia non eſt pietas, ſed vanitas, & impie credens quod pium eſt, eo abutitur præter ſuam naturam. Nec Scriptura ab illis phraſibus tenebatur ob imbecillitatem vulgi abſtinere, nam propter eandem revera adhibuit, ut per eaſdem majora ſignificaret & doceret. Docet etiam variis locis, tales imperfectiones, quæ iis poſſent ſignificari, à ſe longiſſime remotas eſſe. Jac. 1. 17. Jerem. 23. 23. 24. Jeſ. 40. 18. 31. ita ut nullus ex illis Phraſibus labatur, niſi ſua culpa.

§. 13. Adeoque inepte concludit, *opiniones abſolute conſideratas, abſque reſpectu ad opera, nihil pietatis aut impietatis habere.* Nam abſque diſtincta cognitione pietas non eſt pietas. Sunt etiam errores per ſe culpabiles & pietati adverſæ, imo nulla poteſt dari opinio, ſine ullo reſpectu ad opera, quivis enim ſuis vivit opinionibus. Theoria quidem non eſt praxis, ſed ut inepta praxis ſine theoria, ſic inutilis theoria ſine praxi. Piæ ſunt ergo opiniones ex quibus per ſe fluunt pietatis dogmata & præcepta, impiæ contra. Atque adeo, *ſi quis ex, opinione pia*, quæ per ſe ad obedientiam movet, propria ſua illius detorſione, *licentiam ad peccandum aut rebellandum ſumat*, ſeu *vera credendo fiat contumax*, impie proculdubio credit, vel potius eo quod recte credit impie abutitur quia bonum per ſe detorquet & corrumpit in malum, nullo modo tamen opinionem piam impiam reddit, ſed ea tantum in malum ſuum abutitur. Ut & *ſi quis ex opinione falſa*, quæ ad inobedientiam & defectum ducit, *ad obedientiam ducatur, ſeu falſa credendo obediens fiat*, non obſtante falſa opinione quidem recte, ut videtur agit, ſed nullo modo vi illius opinionis, ſed ex errore, & ideo merito dubitandum, an recte agat; ut ſi quis ex opinione emendæ ſalutis per elemoſynas pauperibus liberaliter adſit, nullo modo poteſt dici recte agere, nam bonum, quod bene non fit, bonum non eſt, & recte fieri debent noſtra bona opera, ut grata ſint Deo. Sine fide impoſſibile eſt Deo placere, & quicquid ex fide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

non eſt malum eſt & peccaminoſum. Nullo modo autem ideo opinio falſa poteſt dici pia, aut ille homo *piam habere fidem*, ſed contra falſam, à nobis enim non pendet fidem piam aut impiam reddere pro noſtra voluntate, ſed quidem ex fide pia, impie vel pie vivere, prout eam vel ſequimur vel deſerimus, detorquemus & corrumpimus, ac ejus naufragium patimur. *Veram* autem *Dei cognitionem & mandatum* tam naturale quam revelatum, *& etiam donum divinum eſſe* oſtendimus. Et plura præter *Juſtitiam & Charitatem* divinam cognoſcenda demonſtravimus.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quid ſit fides. Quinam fideles. Fidei fundamenta determinantur. Et ipſa à Philoſophia tandem ſeparatur.

Anonym. cap. 14. pag. 159. §. 1. INquiſiturus hoc Capite Anonymus, *Quid fides ſit*? ſupponit, *Scripturam accommodatam eſſe non tantum captui Prophetarum, ſed etiam varii & inconſtantis Judæorum vulgi.* Sed jam ſæpius ſupra demonſtravimus, non dogmata, ſed eadem proponendi modum, iis accommodatum fuiſſe; nam ipſa veritas accommodationem non admittit; taceo ad captum hominum ignorantium & errantium. Ita ut hoc debile plane ſit fundamentum, cui non niſi ruinoſa ſuperſtrui poſſunt. Non negamus quidem *eum, qui omnia quæ in Scriptura habentur, promiſcue amplectitur, tanquam univerſalem & abſolutam de Deo Doctrinam, nec accurate cognovit, quidnam captui vulgi accommodatum ſit, ſæpe vulgi opiniones, cum divina doctrina confundere, & hominum commenta pro divinis documentis venditare, Scripturæque auctoritate abuti.* Nam præterquam quod ſemper proponendi modus, ab ipſa re propoſita diligenter ſit diſcernendus, plurima traduntur de Deo cum reſpectu & relatione multiplici ad nos; enarrantur etiam non pauca phraſibus & loquendi modis, quibus vulgus ſuos errores exprimere conſuevit, ita ut tamen ab illis erroribus quam procul abſit ipſa Scriptura & Sp. S. mens & ſententia, uti ſupra de Solis motu & quiete, aliiſque exemplis comprobatum dedimus.

§. 2. Hinc etiam *ſectarios ſæpe tam contrarias opiniones, tanquam fidei documenta docere, multiſque Scripturæ exemplis confirmare*, unde proverbium illud **geen ketter ſonder letter** / concedi poſſet, quamvis illius nec unicam, nec præcipuam cauſam exiſtimemus. Sed intolerabile eſt, Anonymum *Sectarios*

ctarios tamen iſtos ea de cauſa impietatis accuſare nolle, quod ſcil. verba Scripturæ ſuis opinionibus accommodent. An ergo proprias opiniones cum divina doctrina ſalva pietate confundere poſſunt? An hominum commenta pro divinis venditare? an Scripturæ auctoritate abuti? Qualis hæc erit pietas! quis ſimilem audivit! Suas opiniones Scripturæ verbis recte, ſeu prout in Scriptura conſideratis omnibus ſunt intelligenda, intellectis exprimere, quis vetat. Sed verbis Scripturæ ſuarum opinionum ſenſum & ſignificationem adſcribere, quod proprie eſt ea ſuis opinionibus accommodare, eſt pro Scriptura, ſua ſubſtituere commenta, & univerſam evertere Scripturam, quo unice tendit Anonymus; ac pro ea admittere quævis hominum male ſanorum deliria.

§. 3. Sed inquit *ſicuti olim ipſa captui vulgi accommodata fuit, ſic etiam unicuique eandem ſuis opinionibus accommodare licet, ſi videt ſe ea ratione Deo, in iis quæ juſtitiam & charitatem ſpectant, pleniore animi conſenſu obedire poſſe.* Olim captui vulgi accommodata non fuit, niſi quatenus veritates in ea ſignificandæ, & exprimendæ, eo modo, ſeu talibus Phraſibus & verbis fuerint expreſſæ, quibus etiam à vulgo quam maxime intelligerentur; nunquam ipſæ veritates flexæ vel mutatæ atque accommodatæ fuerunt hominum opinionibus. Si quis id jam itaque tentaverit, non tantum id quod nunquam licite factum fuit, aget, ſed etiam apertum committet ſacrilegium, nec quidquam juvat ſe exiſtimare, *quod ea ratione Deo, pleniore animi conſenſu obedire poſſit,* nam Scripturam & veritates ea contentas, non ipſius opiniones ſequi, ſed ipſæ ad eas componi & conformari debent. Si quis velit mentem in Scriptura propoſitam exprimere verbis ſibi notis & uſitatis, quibus ſuas opiniones exprimere ſolet, ut ita facilius percipiantur; jam faciet quod olim factum, & non repugnabimus. *Hoc tantum* in ſectariis illis *accuſat, quod hanc eandem libertatem reliquis nolint concedere.* Scilicet non ſatis everſa foret omnis Scriptura ſacra niſi omnibus plane liceat pro ſuo arbitrio eam ſuis accommodare opinionibus & ſecundum eas flectere, mutare, explicare &c. Hic eſt ille vir qui nihil adverſus verbum Dei, pietatem, qui omnia reformaturus & ablaturus eſt præjudicia. *Quod* vero *omnes, qui cum iiſdem non ſentiunt* &c. *tanquam Dei hoſtes proſequantur, & contra* &c. Revera in iis culpandum eſt, nam non Scripturam ſed ſuas tantum proponunt opiniones, Scripturæ verbis occultatas: & abſurdiſſime pro Scriptura venditatas. Alia autem eſt ratio eorum qui circa revelata & natura ignota, ſuas opiniones accommodant Scripturæ, non contra. Nam ipſi Deum & ejus verbum ſequuntur. Evitandi tamen ſemper ſunt omnes immoderati animi affectus & Paſſiones furentes.

§. 4. *Ut igitur conſtet*, inquit, *quouſque, ratione fidei, uniuscujuſque libertas ſentiendi, quæ vult, ſe extendit; & quoſnam, quamvis diverſa ſentientes tanquam fideles tamen aſpicere tenemur. Fides, ejuſque fundamentalia* *pag. 160.*

 deter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

determinanda ſunt. Quod quidem in hoc capite facere conſtitui, ſimulque fidem à Philoſophia ſeparare, quod *totius operis præcipuum intentum fuit.* Hoc ergo ut præſtet ex præcedente capite repetit, *Summum totius Scripturæ intentum eſſe, tantum obedientiam docere.* Sed id ipſum ibidem confutatum videre poterit cui placuerit, hæcque tanti fuerint. *Nemo inficias ire poterit, utrumque Teſtamentum* præter *obedientiæ diſciplinam* etiam, continere Doctrinam copioſiſſimam, de Deo, Chriſto, & gratioſa via ſalutis aliiſque plurimis cognoſcendis ad debitam obedientiam plane utilibus & neceſſariis & non tam *intendere ut homines ex vero animo obtemperent*, quam eos de debita obedientia convincere, & negligentes inexcuſabiles reddere, ac docere qua ratione Deus ſibi velit obedientiam præſtari, & patefacere quam Deus ex ſumma ſua clemen tia conſtituerit adeundæ ſaluti; viam & rationem natura nullo modo cognoſcibilem, cum plurimis eo ſpectantibus, & ad abundantem ejus patefactionem requiſitis, atque ita per ea media in iis quibus placet, gratiæ ſuæ virtute, talem fidem & obedientiam operari, qualem in iis, quibus æternam decrevit ſalutem, ipſe deſiderat.

§. 5. *Moſes.* inquit *non ſtuduit Iſraelitas ratione convincere, ſed pacto &c. deinde populo legibus obtemperare ſub pœna interminatus eſt*, &c. *quæ omnia media non ad ſcientias, ſed ad ſolam obedientiam ſunt.* Quaſi quæ revelata ſunt, doceri non poſſint, niſi ratione convincantur. Scil. hæc abſurda Anonymi ſententia eſt, ex revelatione Scripturæ nihil certo cognoſci niſi pauca facilia quædam natura nota. Narravit Moſes revelata à Deo, & etiam à Deo conſtituta præmia & pœnas ſuperraddidit, id eſt, nil niſi ex Dei præſcripto docuit & mandavit. Obedientiam præſcripſiſſe Moſen & tanquam pædagogum, ut ſupra vidimus, ad eam pœnis alligaſſe non negamus. Sed quis non novit etiam pueros præmiis & pænis ad cognitionem & ſtudium teneri, dum aliis intenti ea facillime negligerent; Nec ſcientias naturales docuit Moſes, ſed quicquid revelatum erat cognoſcendum.

§. 6. *Euangelica autem doctrina*, inquit, *nihil præter ſimplicem fidem continet, nempe Deo credere, eumque revereri ſive quod idem eſt Deo obedire.* Sed quid eſt ſimplex illa fides, an tantum Deo credendo obediendum eſſe? An hoc ſciendum non eſt? an fidem abſque notitia docet? an non docet quæ ſint illa quæ de Deo credenda ſunt? & unde ſint petenda? & quantam habeant certitudinem? an non qualis ſit & eſſe debeat credentis ſtatus & conditio? qualis ſit Dei in credentibus multiplex gratioſa operatio? quis futurus ſit credentium & infidelium ſtatus? aliaque plurima, ut qualis debeat eſſe fides? quomodo per fidem juſtificemur, & tandem obtineamus ſalutem, aliaque? Fidem itaque obedientiam eſſe non negamus, ſed non aliter, quam omnes virtutes quæ ex Dei præcepto præſtantur, quod ad remotum genus obedientia dici poſſunt.

Verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Verum non ideo credere ſeu formalis actus fidei, eſt formaliter obedire, ſeu formalis actus obedientiæ. Illud eſt aſſenſum præbere dictis alicujus propterea quod ipſum habeamus veracem: hoc vero eſt ejus mandatis obtemperare, & imperata præſtare. Quamvis jam autem contingat, ut uni credamus & obtemperemus, quia nos totos uni Deo tradere, & credendo ac obtemperando omnia noſtra ab uno & eodem exſpectare teneamur, non tamen ideo magis eadem ſunt quam cæteræ virtutes, ſpes & fides, amor Dei & proximi, oratio & patientia, patientia & pietas, 2 Pet. 1. 6. 7. &c.

§. 7. *Textus ergo Scripturæ qui obedientiam commendant, hic coacervare nil opus eſt.* Sed potius probandum fuiſſet hanc ſimplicem fidem abſque omni cognitione requiri in Euangelica Doctrina & formalem ejus actum nil niſi obedientiam eſſe, ſeu actum obedientiæ. Deinde fateor *quod is qui ex Dei mandato proximum tanquam ſe ipſum diligit, revera ſit obediens, & qui contra odio habet, vel negligit, rebellis ſit & contumax*: nam ut ſupra vidimus, ex Dei mandato non amatur proximus, niſi Deus in illo, & ipſe in Deo ametur; Deus ante omnia, & in omnibus Deus. Sed quis hæc agit? quis poteſt? quis ad id non requirat, & Dei & proximi & ipſius diligentis cognitionem? Et ſi quis id perfecte præſtaret, non tamen *ſecundum legem beatus* eſſet, niſi nulla parentum culpa teneretur, aut eorum labe commacularetur: uti jam omnes ex primi parentis lapſu legis pœnæ ſubſunt, & paternæ rebellionis rei ſunt. Concedimus etiam *Scripturam non ſolis peritis, ſed omnibus hominibus ſcriptam & vulgatam eſſe*, illis ſcilicet ad quos Deus eam pervenire voluit, & nullos exceptos fuiſſe. Sed ex his nullo modo ſequitur *neminem ex Scripturæ juſſu aliud quid teneri credere qnam id quod ad hoc mandatum exequendum abſolute neceſſarium eſt*, uti hoc concludit Anonymus. Nam quamvis hoc crederet, & præſtaret; cum ſit homo, & ex parentis lapſu ſub reatu, ac paternæ rebellionis reus, ab æternæ mortis pœna abſolvi, & futuræ beatitudinis particeps fieri nequit, niſi viam adeundæ ſalutis per Chriſtum, divinæ Juſtitiæ pro omnibus noſtris rebellionibus ſatisfacientem ex Scriptura cognoſcat, & ſalutari fide credat, & hanc fidem plurimis in locis Scriptura unice neceſſariam eſſe docet: ita ut abſque ea nullus poſſit placere Deo, Hebr. 11. 6. & ideo nihil præter Chriſtum Paulus 1 Cor. 2. 2. Unicus ſcopus totius Scripturæ hanc docere & ejus neceſſitatem omnibus patefacere, & omnis vera obedientia non niſi hujus fructus eſt, Jac. 2. & alibi quicquid non eſt ex fide peccatum eſt, Rom. 14. 23. Tit. 1. 15. Præterquam quod nullus ſit, qui non quotidie per rebellionem deficit à Deo & ejus mandato, nam omnes in multis labimur, Jac. 3. 2. & qui in uno transgreditur omnium reus eſt, Jac. 2. 10. atque adeo Chriſto egemus & fide. Atque adeo *mandatum de amore proximi*, vel potius ipſe proximi amor, cum Apoſtolo, modo ſupradicto, Rom. 13. 10. quidem

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

poteſt dici complementum legis, nullo modo vero *unica totius fidei Catho licæ norma.* Nam vera, & Deo grata obedientia illius mandati in nobis eſt fructus veræ fidei, quotidie ex ea fluens; norma vero fidei eſt ipſa Scriptura nobis patefaciens ea quæ credenda ſunt. Ita ut *omnia fidei dogmata, quæ quiſque amplecti tenetur, ex unico hoc mandato determinari* nequeant, ſed ex iis, quæ Deus & patribus in V. & omnibus in N. T. de œconomia ſalutis & adeunda per Chriſtum ſalute, cum omnibus ſuis requiſitis, abundantiſſime ita revelavit, ut etiam à quovis adhibita ſufficiente diligentia in tantum intelligi poſſint, ut nulli aliqua ſit excuſationis cauſa reliqua. Sed hæc non curat Anonymus, utpote qui tale quæſivit *fundamentum* dererminandi omnia fidei dogmata, *quo vel ſola ratione omnia legitime poſſunt deduci*, nam, ut ſupra audivimus, non ultra Scripturam admittit, niſi in paucis, quæ omnibus communiter & facillime nota ſunt, & id quidem natura.

pag. 161.

§. 8. Jam itaque videamus *modum & rationem determinandi ex hoc ejus invento fundamento fidei dogmata.* Ut ordine procedat, à fidei definitione incipiendum exiſtimat. Et ex dato ſuo fundamento eam ſic definiendam dicit. *Quod nihil aliud ſit, quam de Deo talia ſentire, quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia, & hac obedientia poſita neceſſario ponuntur.* Egregia profecto definitio; ſed eam ad definiendi regulas examinare nolumus, quamvis vix ullis conveniat. Tantum videamus quantum correſpondeat cum re definita. Nihil aliud eſſe dicitur quam *de Deo ſentire*, id eſt, cognoſcere & cognitis aſſenſum præbere, nam fiducia fides ejus plane deſtituta eſt, aliter ac Pauli fides 2 Tim. 1. 12. Eph. 3. 12. Rom. 8. 38. Heb. 10. 22. De Chriſto, ejus natura, officiis & meritis & juſtificatione noſtra per ipſum, & glorificatione cum ipſo aliiſque plurimis ſupra enumeratis, explicite nihil cognoſcit, nihil ſentit ejus fides, utpote de quibus nibil natura dictat, ex qua ſola fluit ejus fides. Sed qualia de Deo ſentire, fides eſt? *Talia*, inquit, *quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia, & hac poſita neceſſario ponuntur.* Verum ex noſtra ſententia non ponitur vera & Deo grata hominis peccatoris obedientia, niſi cognoſcatur, & adhibito firmiſſimo aſſenſu plena fiducia recipiatur Chriſtus, cum ſuis meritis, & per ac propter ea ſola ſalus æterna quæratur, & ex tali fide pro gratiæ menſura ſerventur Dei mandata tum in Scriptura, tum in natura præſcripta. Nam infidelibus nihil purum eſt, & intellectus & conſcientia commaculata Tit. 1. 15. Rom. 14. 23. & unicus fons veræ obedientiæ noſtræ poſt peccatum eſt fides in Chriſtum. Hanc ſi recipiat ſententiam, nobiſcum quidem in tantum conveniet, ſed a ſe in immenſum diſtabit. Si vero obedientiam ſtatuat Deo gratam in homine peccatore abſque fide: ipſi Scripturæ manifeſte contradicit. Et præterea notandum quod hic totam fidei naturam conſtituat in cognitione & aſſenſu eorum quæ ſequitur obedientia; cum ſupra cogni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cognitionem omnem rejecerit & ſimplicem fidem voluerit: niſi etiam omnino ſimplicem hanc ſtatuat cognitionem.

§. 9. Sed antequam id determinet, ex hac ſua fidei definitione quaſdam format concluſiones primo etiam examinandas. Quarum Prima *Fidem non per ſe, ſed tantum ratione obedientiæ ſalutiferam eſſe, vel ut ait Jacobus cap. 2. 17. fidem per ſe abſque operibus mortuam eſſe.* Verum ſi fidem ſuo ſenſu ſumat, quod ſit quædam *de Deo ſentire*, plane certum eſt, eam per ſe non eſſe ſalutiferam & eam ratione obedientiæ ſalutiferam eſſe repugnat plurimis Scripturæ locis docentibus nos non juſtificari per & propter opera noſtra, ut Rom. 3. 20. Gal. 2. 16. Tit. 3. 5. ſed ſine illis Rom. 3. 28. & 4. 5. ex gratia Rom. 3. 24. & 4. 4. & 5. 15. & in ſolo Chriſto per fidem juſtitiam habere & fieri Jerem. 23. 6. 1 Cor. 1. 30. Phil. 3. 8. 9. Rom. 4. 24. 25. & 5. 1. 2. 2 Cor. 5. 19. 21. Gal. 3. 24. 18. Quocirca concipi non poteſt fidem aliter eſſe ſalutiferam quam ratione objecti, quod à nobis ex ſolo Dei verbo legitime cognitum & agnitum per fidem inſtar inſtrumenti aſſumitur, id eſt, non per obedientiam fidei, ſed Chriſtum fide apprehenſum Joh. 1. 12. Gal. 3. 26. Joh. 3. 36. &c. Chriſtus autem non apprehenditur ſalutifera fide, nudo & ſimplici mentis aſſenſu theoretico, ſed practico mentis & voluntatis actu amplexivo & applicativo Chriſti & meritorum ejus, ut & concluſivo de ſalute certo ſecutura, & per Chriſtum, toto corde amplexum, obtinenda. Qualem fidem abſque operibus mortuam eſſe docet Jacobus, quia illa quaſi ejus actus vitales ſunt, quibus actu vivit, & vivere cognoſcitur. Sed nullo modo docet fidem ratione obedientiæ ſalutarem eſſe, aut nos per obedientiam fidei ſalvari, nam de eo dicto loco nihil: & alibi dictis locis ſolo Chriſto per fidem apprehenſum ſalvari dicimur.

§. 10. Secunda concluſio, quam format ex ſua fidei definitione, eſt *Quod is qui vere eſt obediens neceſſario etiam veram ſalutiferam habeat fidem.* Quod concedimus, niſi velit ipſam obedientiam fidem eſſe Et præterea ut quis vere obediens ſit non adeo parum eſt; nec id abſque fide in ullo reperitur. Et cum hic omnia tantum ex parte poſſidemus, & quotidie cum imperfectionibus fidei noſtræ pugnandum ſit, vera obedientia in nullo perfecte reperitur. Cum tamen fructus ſit, qui non niſi ex fide naſcitur, in nullo datur, niſi pro modulo fidei. Unde quidem concedimus, *nos neminem judicare poſſe fidelem aut infidelem eſſe, niſi ex operibus.* id eſt, ſola opera nobis patefacere fidem aut infidelitatem alicujus ſecundum Matt. 16. 17. 18. Sed nullo modo concedimus nos neminem judicare poſſe fidelem aut infidelem eſſe, niſi eum ex operibus fidelem eſſe cenſeamus, & ejus opera conſtituamus cauſam ejus juſtitiæ coram Deo. Seu fidem ejus tantum ratione obedientiæ ſalutiferam eſſe. Nam omnia obedientiæ opera tantum ſunt effectus fidei & juſtitiæ Chriſti per fidem ap-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

prehenſæ, eamque conſequentia, & ipſam fidem non obtinemus, niſi Deus eam in nobis gratioſe & efficaciter operetur ſecundnm ordinem & media eum in finem ab ipſo Deo in Scriptura propoſita & patefacta; quo facto, eadem in nobis omnis generis veræ, & Deo gratæ obedientiæ, fructus profert copioſiſſimos, qui ſunt opera bona, hæc enim eſt aqua illa Joh. 4. 14. & ipſe fidelis arbor illa Pſalm. 1. 3. Multo minus concedendum exiſtimamus quod quis *ſi opera bona ſunt, quamvis dogmatibus ab aliis fidelibus diſſentiat, fidelis tamen eſt, & contra ſi mala ſunt, quamvis verbis conveniat, infidelis tamen eſt.* Nam qui dogmatibus à veris fidelibus diſſentit, ejus opera non poſſunt eſſe bona, ſed tantum apparent, nam abſque fide ſunt. Imo non magis bona ſunt, & cum bonis eorum operibus conveniunt, quam verba eorum quorum etiam præter verba bona ſunt opera. Quare hæc externa convenientia operum eos ergo magis fideles redderet, quam illa verborum: nam ut ſub externis verbis alius latet animus, ita & ſub externis illis operibus. Precabatur in Euangelio tam Publicanus quam Phariſæus, Luc. 18. 11. 12. ſed illius precatio erat bonum opus, hujus malum, quia hic ſuam juſtitiam in operibus quærens ab illo diſſentiebat in dogmate de noſtra juſtificatione coram Deo, nec tamen ideo externum illud opus, eum Phariſæum, fidelem reddere potuit, uti nec bona verba mala operantem aliquem bonum faciunt. Non enim fides, in aliquo eſſe cognoſcitur, niſi ex obedientia vera, id eſt ex vera cognitione, ejus quod docuit Deus in verbo ſuo, profluente. Nam ſecundum ipſum Anonymum certam quandam cognitionem requirit fides, hac ergo non data, fidelis quis haberi nequit, licet quam optima, ſecundum externam ſpeciem, agat opera. *pag. 162.* *Quod quis* etiam *Spiritum Dei habeat, qui* veram *habet Charitatem*, dubitari nequit, nam hæc abſque illo, qui ſolus eum operatur in nobis, nullibi reperitur. Sed *neminem aliud Dei attributum noſcere poſſe, præter hanc Charitatem quatenus de eadem participamus*, falſum eſt & ab Apoſtolo alieniſſimum. Nam ſi modo inſpiciantur verſ. 11. 12. 13. cap. 4. Epiſt. 1. Johannis apertum erit eum tantum aſſerere nos ex Charitate concludere poſſe de Deo ejuſque Spitu gtatioſo in nobis, id eſt, ex tali fructu unice illam cognoſci arborem, quod idem expreſſiſſimis verbis dicitur Ejuſdem Epiſt. cap. 2. vers. 3. 4. Atque adeo Veram Charitatem habere non poſſunt qui Dei Spiritum non habent, & ab eo non ſunt, ſecundum & ex Dei verbo, edocti de dogmatibus ad veram Charitatem requiſitis. Sed tamen *diſſentientes in dogmatibus quibuſdam, durius perſequi*, niſi aliæ ſufficientes accedant rationes, magis *Antichriſtianæ* Eccleſiæ quam Chriſtianæ praxin eſſe, non negamus. Abhorrent ab eo omnes veræ Eccleſiæ reformatæ aliud ex Dei verbo edoctæ. Quamvis tamen accurate doceant, &ex Dei verbo probent, ad veram fidem magis ſufficere opera externa, quam verba ſatis ſplendentia: ſed neceſſario requiri veram veri Dei ejuſque volun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

voluntatis & Chriſti ac ſalutem per Chriſtum comparandæ viæ, aliorumque in Scriptura traditorum ſufficientem cognitionem.

§. 11. Tertia concluſio, quam format ex ſua fidei definitione, eſt *Fidem non tam requirere vera quam pia dogmata, hoc eſt, talia quæ animum ad obedientiam movent. Tametſi inter ea plurima ſint, quæ nec umbram veritatis habent. Dummodo tamen is qui eadem amplectitur, falſa eſſe ignoret.* Profecto ex malo ovo peſſimus & maxime deteſtabilis prodit pullus. An ergo falſitas pietatem premovere poteſt? mirum ni tandem ipſum Diabolum optimum pietatis Doctorem introducat! An arbor mala bonos fructus profert, contra Chriſti Doctrinam Matt. 16. 17. 18.? An errores & deviationes nos veræ & rectæ pietatis viæ inſiſtere permittunt? An quis ad veram obedientiam moveri poteſt abſque veritate? An veritati obediens eſſe poteſt, qui à falſitate ad obedientiam movetur? Et An Deo grata poteſt eſſe obedientia, quæ vel ex falſitate vel falſitati præſtatur? Quis hæc apprehendat! Non autem ſufficit, eum qui eadem amplectitur, falſa eſſe ignorare. Nam ignorantia ejus non facit ut falſum verum fiat: nec ut malum bonum ſit: aut error Deo gratus, præcipue cum ille ipſe etiam culpabilis ſit. Non excuſat ignorantia illius quod ſciendum erat, & ſciri poterat. Et profecto, quanta non requiritur ignorantia, ut pro vero habeatur, quod ne quidem umbram veritatis habet? quis in tanta cæcitate, & tam denſis tenebris veram obedientiam inveniat? quis veram pietatem, ubi nequidem minimus veritatis radius eſt? Hoc tamen ex præcipuis Anonymi fundamentis eſt. *At*, inquit, *animi ſimplicitate errare poſſunt homines, & Scriptura non ignorantiam, ſed ſolam contumaciam damnat.* Sed quæſo! quænam eſt illa ſimplicitas animi non culpabilis? eſt ne mentis perfectio, an imperfectio? ſi prius quomodo ex ea fluunt errores? ſi poſterius, quomodo inculpabilis? Deinde non ſimplicitate, ſed ſimpliciter perfectæ voluntatis abuſu primo erratum fuit; nec jam ulli reperiuntur errores ſine defectu & abuſu voluntatis, & idcirco nec ſine rebellione erga Deum, & ſi errori adhæreamus, mox adeſt contumacia. Præterea an non reprehendit Chriſtus ignorantiam Samaritanæ Joh. 4. 22. Nicodemi Joh. 3. 10. Judæorum Joh. 8. 27. 28. Phariſæorum Matt. 12. 7. & 15. 14. & Paulus ſciſmaticorum 1. Tim. 1. 7. Hebræorum Heb. 5. 12. 13. An non eam fugiendam docuerunt David Pſalm 32. 9. & Paulus 1. Cor. 14. 20. & quantum potuerunt correxerunt Rom. 11. 25. 1. Cor. 10. 1. 1 Teſſ. 4. 13. 14. 2 Pet. 3. 5. 8. An non docet Scriptura eam eſſe fontem plurimorum peccatorum Eph. 4. 17. 18. 19. 1 Cor. 15. 33. 34. Unde deteſtabilis illa gentilium idololatria & alia peccata quam ex ignorantia Gal. 4. 8. Rom. 1. 21. 22. &c. unde deteſtabiles illæ & injuſtæ aliorum condemnationes, à quibus adeo abhorrere videri voluit Anonymus, & calumniæ 2 Pet. 2. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& Judæ 10. quam ex ignorantia? unde quam ex ignorantia horribilis illa Chriſti perſecutio Luc. 23. 34. Act. 3. 17. 1 Cor. 2. 8. An hanc itaque non damnat Scriptura? An talis fons omnis generis peccatorum pietatem edere poſſet? Minori pœna puniatur qui ex ignorantia peccat Luc. 12. 47. 48. non tamen abſolvitur à pœna. Parentem omnium & omnium Dominum non minoris ſceleris eſt ignorare quam lædere inquit Arnobius Lib. 8. nam, ut Paulus ait 2 Teſſ. 1. 6. 8. δίκαιον παρὰ θεῷ juſtum eſt apud Deum ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν, Flamma ignis vindictam ſumere de ignorantibus Deum. Et quivis ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam adducat θησαυρίζεις &c. theſaurizat ſibi ipſi iram in die iræ, & revelationis, & juſti Dei judicii. Rom. 2. 4. 5. Eſt itaque vanitas, & non pietas, & inanis ac nullo modo rationalis aut fundata fides, quæ non ratione veritatis, ſed tantum ratione obedientiæ talis eſt: nam non niſi umbra pietatis & obedientiæ eſt
pag. 163. ſine veritate. Atque adeo abſurdum plane eſt, *a fide Catholica* removere *omnia dogmata, de quibus inter honeſtos poteſt dari controverſia.* Nam præter quam quod multi ſæpe ſunt pro honeſtis habendi, qui non ſunt, cum tantum ex externis actionibus de honeſtate cujuſdam ſit judicandum, nulla dogmata tam vera, clara & certa ſunt, de quibus non poteſt dari controverſia inter eos qui externe honeſti ſunt; nam illa controverſia tantum oritur & movetur ex eorum vel culpabili ignorantia, vel malitia, quorum gradus qui ſub externa honeſtate latere poſſent, nullus facile determinaverit: Nam & Diabolus aliquando apparet angelus lucis. Nec ideo, *quod ex ſolis operibus judicandum ſit de alicujus pietate vel impietate*, ea dogmata de quibus inter externe honeſtos poteſt dari controverſia *reſpectu ejus pia, & reſpectu alterius impia poſſunt eſſe*: nam peſſimi optimo ſæpe dogmate peſſime abutuntur: nec hominum errores aut malus animus impia poſſunt facere dogmata pia, quamvis iis impie poſſint abuti. Nec impia dogmata veram docere pietatem, quamvis eorum fautores nonnunquam abſque vera pietate producant externos actus piorum. Non ergo *cuiquam liberum eſt* poſitis iis quibus externa erga Deum obedientia ponitur, & pietas ſine veritate colitur, de cæteris pietatis & fidei dogmatibus *ſentire, prout ſibi ad ſe in amore juſtitiæ confirmandum melius eſſe viderit*, nam ſic & omnis religio, & pietas, & fides hominum arbitrio ſubeſſent; & quiſque ſibi propriam pro ſua Phantaſia formaret, non una omnium, *nec divina*, ſed cuique ſingularis, propria, humana, Phantaſtica &c. Nec *tollerentur ex Eccleſia controverſiæ*: ſed adeo multiplicarentur, ut vix Eccleſia dici, aut inveniri poſſet, namquoque ſuam fidem probante & propugnante, & ex ea determinante juſtitiæ amorem, ac omnes ſuas actiones dirigente, adeo diſcerperentur omnia Eccleſiæ membra in partes minutiſſimas, ut tota non niſi diſſenſio foret & plane inordinata turba; qui verus eſt fructus horum dogmatum Anonymi noſtri.

§. 12. Sed

§. 12. Sed his tribus concluſionibus ex ſua fidei definitione præmiſſis, jam aggreditur demonſtrare & enumerare fundamentalia illa, ſine quibus cenſet nequidem dari poſſe eam quam requirit obedientiam & pietatem externam ſcilicet, & profluentem ex dogmatibus quæ quiſque ſibi melius eſſe viderit. Nam ſine his ne quidem reperiretur talis externa pietas & obedientia; *Huc*, inquit, *omnia tendere debent*, *nempe*, *dari Ens ſupremum*, *quod Juſtitiam & Charitatem amat*, *cuique omnes ut ſalvi ſint*, *obedire tenentur*, *eumque cultu Juſtitiæ & Charitatis erga proximum adorare.* Profecto ſi omnia quæ in Scriptura huc tendentia proponuntur admitteret, non ita locutus fuiſſet ac hactenus, nec talia ſibi formaſſet abſurdiſſima dogmata, non cætera neglexiſſet attributa Divina, non Chriſtum, non ſe & ſuam conſiderare defectionem & ſalutem in Chriſto obtinendam. Primum eſt *Deum exiſtere.* Sed nequis erret explicat quid per Deum intelligat, *Ens ſupremum* ſcilicet, quod non improbamus, ſi perfectiſſimum intelligat, & omni imperfectione deſtitutum, minime vero, ſi tantum quo nihil ſuperius vel perfectius, quamvis & ei quædam deſint. Eum *ſumme juſtum & miſericordem dicit.* Nihil vero de ejus Sapientia, efficaci Voluntate, infinitudine durationis & perfectionis, remotione ab omni extenſione, immutabilitate &c. de quibus omnibus liberum relinquit, quemque ſentire, quæ quiſque ſibimelius eſſe viderit. Secundum eſt Eum *eſſe unicum.* Tertium *Eum ubique eſſe præſentem vel omnia ipſi patere.* Quartum *Ipſum in omnia ſupremum habere jus & dominium*, *nec aliquid jure coactum*, *ſed ex abſoluto Beneplacito*; *& ſingulari gratia facere.* Quintum *Cultum Dei*, *ejuſque obedientiam in ſola Juſtitia & Charitate ſive amore erga proximum conſiſtere.* De quibus nos ſupra demonſtravimus ea recte præſtari non poſſe ſine ampliore Dei cognitione, ut & Chriſti, ac vera fide in eum, ut nihil dicam de totius primæ tabulæ præceptis, & cultu, Deo præſtando ſecundum ea. Sextum *Omnes qui hac vivendi ratione Deo obediunt ſalvos tantum eſſe*, *reliquos autem qui ſub imperio voluptatum vivunt*, *perditos.* Verum quis eſt qui hæc perfecte præſtiterit; omnes labimur in multis Jac. 3. 3. Si ergo nullus niſi legem impleverit ſalvari poſſit, nulli hominum eſt aliqua ſpes ſalutis. Notate quomodo hic homo gratiam tollat & opera ſubſtituat. Nec explicet qualem intelligat ſalutem, an plus quam corpoream, & in hac tantum vita. Septimum *Deum pœnitentibus peccata condonare.* Sed quomodo hoc ſalva juſtitia fieri poteſt? An tunc deſinit eſſe Juſtus? Vel an deſinit eſſe Miſericors, cum punit peccata ſecundum juſtitiam ſuam? Neutrum dici poteſt. Impoſſibile eſt Deo juſto ſine ſatisfactione remittere peccata. Aſt nihil de ſatisfactione Chriſti, aut juſtificatione noſtra per illum certo credendum dicit, & cuique liberum permittit ſentire quod ſibi melius eſſe viderit. *Qui autem hoc firmiter credit & hac de cau-*

pag. 164.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſa in Dei amore magis incenditur, is revera Chriſtum ſecundum Spiritum novit & Chriſtus in eo eſt. Sed quomodo credi poteſt quod & naturæ & Scripturæ plane adverſum eſt? Quomodo in nobis amorem Dei incendere poteſt quod falſum eſt, quod Dei juſtitiæ & naturæ divinæ aperte contrarium, quod non modo incredibile, ſed abſurdiſſimum, impoſſibile & contradictorium eſt. Cum autem verus amor Dei fluat ex fide in Chriſtum, verum eſt, quod Chriſtum ſecundum Spiritum noverit, in quo ex fide purus amor Dei accenditur, & quod Chriſtus per fidem in eo ſit. Sed credere quod peccata condonentur à Deo ſine ſatisfactione Chriſti, non eſt fides in Chriſtum: ſed abſurdiſſimus error qui manifeſtiſſime docet non cognoſci Chriſtum ſecundum Spiritum, ſed abnegari, & vix nomine tenus admitti, quomodo ſupra de Anonymo noſtro manifeſtum fecimus, qui negat ſe capere quæ in Eccleſia de Chriſto docentur, eumque habet pro organo & voce Dei qua mediante ſe manifeſtavit Apoſtolis: ut patebit ſi conferantur quæ diximus ad pag. 7. & 50. Hæc ergo nullo modo ſufficiunt *ut homines ex præſcripto legis Deo obedire poſſint*, nam ſine Chriſto peccata cum condonari non poſſint, etiam his articulis poſitis, impoſſibile eſt, *ut non omnes de ſua ſalute deſperent* & *potius*, ut Anonymi verbis utar, *voluptatibus quam legi obtemperare malint*; *nam*, ut ipſe fatetur, *horum aliquo ſublato, tollitur etiam obedientia.* Atque jam non unum, ultimum ſcil. & præcipuum, ſed etiam ex prioribus varia conciderunt.

§. 13. Enumeratis his ſeptem quaſi fundamentalibus articulis ampliſſimam aperit portam *de Deo*, *ejus* eſſentia, attributis operibus, & omnis generis aliis dogmatibus ſacræ Scripturæ *ſentiendi quod quiſque voluerit, dummodo nihil eum in finem concludat, ut majorem licentiam ad peccandum ſumat, vel ut minus fiat Deo ob temperans.* Sed cum ex tali dogmatum incertitudine, incertum plane ſit, quænam ſit exiſtimanda licentia peccandi, & quando quis magis vel minus ſit Deo obtemperans, hoc ipſo evertit omnem quam hactenus adeo ſcrupuloſe adſtruxerat obedientiam Dei: nam quiſque etiam pro ſuo arbitrio determinabit legem hoc, non illud, mandare,
pag. 165. & hanc, non illam, eſſe Deo præſtandam obedientiam. Cætera quæ addit, *de fidei dogmatibus ad ſuum captum accommodandis*, ſupra confutavimus ad pag. 159. Ut & *de fide non tam vera, quam pia, & non tam ratione veritatis quam obedientitiæ pia*; *& fideli non niſi ratione obedientiæ*, ad pag. 161. 162.

§. 14. Quibus perpenſis facillime patet quam ambiguum ſit quod hic dicit Anonymus, ſcil. *quod non ille qui optimas oſtendit rationes optimam neceſſario oſtendat fidem, ſed ille qui optima oſtendit opera Juſtitiæ & Charitatis*, nam fides eſt vel quæ creditur vel qua creditur. Qui ex Scriptura ſuæ fidei optimas profert rationes, optime oſtendit fidem quæ creditur, minime vero qua creditur,

ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſeu quomodo eam recipiat & ex ea vivat. Sed qui præter rationes, optima pro fert opera, ſimul etiam oſtendit fidem qua credit, ſeu quomodo ea dogmata pro veris habeat. Qui vero abſque ratione, aut etiam admiſſis plurimis erroribus, externa tantum profert opera, nullam oſtendit fidem; nam ea non ſunt fidei & veritatis opera; ſed umbræ & imagines inanes, ſi non erroris & falſitatis opera. Agnoſcite jam *quam ſalutaris hæc* Anonymi *Doctrina ſit*, in ſolis externæ & erroneæ obedientiæ operibus, abſque Chriſto & omni medio ſatisfactionis pro peccatis, & conciliandæ nobis divinæ gratiæ, neglecto & præterito, contra immutabilem Dei juſtitiam, omnem ponens ſalutem, de qua certum non eſt, ſitne alia quam corporea, & ultra corpoream vitam ſeſe extenſura. Agnoſcite *quam neceſſaria ſit in republica ut homines pacifice & concorditer vivant*, *quotque*, *quantaſque perturbationum & ſcelerum cauſas præſcindat.* Nam paucis conſtitutis fundamentalibus minime ſufficientibus, partim falſis, partim abſurdiſſimis, de cæteris omnibus liberum relinquit cuique ſentire, quæ quiſque ſibi melius eſſe viderit, ac ſuis opinionibus ad captum ſuum accommodare Sacras Scripturas, atque ita ſingulis permittit fidem formare, ſeu cætera fidei dogmata pro ſuis opinionibus determinare, eaque pro piis habet, tametſi inter ea plurima ſint quæ nec umbram veritatis habeant, dummodo eadem falſa eſſe ignoret, & in craſſa illa ignorantia, vanam & nullo modo fundatam in veritate præſtet obedientiam, illis dogmatibus correſpondentem. Hæc ſcil. Doctrina ad concordiam requiritur, nam quiſque ſuo arbitrio relinquitur; quiſque credit pro ſua opinione, licet ne umbram veritatis habeat, ſi modo id ignoret, & in talibus ignorantiæ tenebris obedientiam præſtet: nimia enim eſt diſcordia ſcil. ſi unica recipiatur Sp. S. Doctrina, Scripturis contenta; ſi eam non ex noſtra, ſed ſola illius mente recipiamus; ſi ex ejus, ut indubitatæ veritatis, cognitione, pro modulo legitimis mediis comparata, credamus in Chriſtum, & ex vera fide Deum & proximum amantes, ex intimo corde Deo præſtemus obedientiam. Illa enim magis in unum conſpirant, quam hæc. Quis non miretur tantam hujus hominis abſurditatem, & audaciam quod hæc luci exponere auſus fuerit. Ad ea vero quæ hic addit *de Voce Dei in monte Sinai* ſatis late ſupra ad pag. 5. cum quibus hæc neceſſario ſunt conferenda.

§. 15. Jam tandem ultimum aggreditur, *quod præcipuum eſt quod in hoc tractatu intendit*, ſcil. *oſtendere*, *inter Fidem & Philoſophiam nullam eſſe commercium nullamve affinitatum.* Hoc autem præſtat, ex hactenus dictis ſimpliciter proponendo utriuſque ſcopum & fundamentum, quæ, ut inquit, toto cœlo diſcrepant, *Philoſophiæ enim ſcopus nihil eſt præter veritatem.* Quod falſiſſimum, & nunquam probatum, imo manifeſte contra Apoſtolum Rom. 1. 21. 28. 32. & 2. 14. 15. qui docet etiam naturam obedientiam docere erga

re erga Deum. *Fidei autem nihil præter obedientiam.* Quod etiam falſum, nam ſupra late domonſtratum eam etiam requirere cognitionem & Veritatem. *Fundamenta Philoſophiæ notiones communes & innatas eſſe concedimus. Scripturæ vero eſſe fundamenta fidei*, *certum*, & hinc recte petitur differentia & diſcrepantia. Relinquit quidem fides *Philoſophandi libertatem.* Sed non libertatem ſentiendi quicquid volumus, ſed quicquid natura docet. Contumaces autem non magis quam noxie errantes damnat Scriptura.

CAPUT VIGESIMUM.

Nec Theologiam Rationi, nec Rationem Theologiæ ancillari; oſtenditur & ratio, qua nobis Sacræ Scripturæ authoritatem perſuademus.

Anonym. cap.15 pag. 166.

§. I. A Multis annis in Eccleſia diſputatum fuit, de uſu Rationis in Theologia, præcipue cum multi ex gentilibus Philoſophis, de Theologicis quibuſdam veritatibus convicti, Chriſtianam ſuſciperent religionem, eamque ſuis ratiociniis accommodare vel ſecundum Philoſophica & obſcuratæ ac aberrantis ſuæ rationis dogmata flectere conabantur, dum alii, quantum poſſent, ſophiſticis ſuis fallaciis eam oppugnarent, quibus ſe primi Eccleſiæ Doctores heroico auſu, & feliciſſimo ſucceſſu magno animo oppoſuerunt, ut idocent etiamnum ſuperſtites Doctiſſimæ illæ Apologiæ Juſtini Martyris, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Arnobii, Minutii Felicis, aliorumque, qui ſimul & excellentes tunc erant Philoſophi & Theologi doctiſſimi. Hi Gentilium errore efficaciſſime refutato, iniquiſſimo, quod erroneis ſuis ratiociniis concedebant in Scripturam & univerſam inde petitam religionem Chriſtiadam, dominio, ex adverſo opponebant omne rationis & Philoſophiæ miniſterium: ſententiam ſuam ut plurimum exprimentes emphatica illa ex Scriptura deſumpta formula qua Sara Domina, de ſua ancilla Hagar importunius ſeſe gerente, reſpondit, ejiciatur ancilla. Cum autem poſtea eandem vim pateretur Theologia à Scholaſticis, quod abſurdiſſimum hominum genus univerſam Scripturam & inde hauſtam Theologiam deteſtabili modo corrupit & conſtupravit, vaniſſimis ſuis ratiociniis & phantaſticis ſpeculationibus, ac in mirandam & deplorandam redegit ſervitutem, primi Eccleſiæ Chriſtianæ reformatores Zwinglius, Lutherus, Melanthon &c. primorum primæ Eccleſiæ Patrum veſtigiis inſiſtentes & hos iiſdem armis debellarunt, & eadem formula clamarunt ejiciatur ancilla, idque ſummo jure & me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& merito. Hinc quamdiu ad hæc uſque tempora, plurima Scholaſticorum illorum dogmata, multis etiam rejectis, à variis Eccleſiæ Doctoribus fuerint recepta, & talibus uſi fuerint Academiarum alumni, nunquam hæc quæſtio diſputari deſiit. Præcipue cum Sociniani in propugnando uſu (potius abuſu) rationis in Theologicis mirum in modum excederent.

§. 2. Verum recentioribus Philoſophis Chriſtianis longe ſanius Philoſophantibus & Theologiam à Philoſophia accurate diſcernentibus, & utriuſque diverſiſſima agnoſcentibus principia, media plane aliena, & fines omnino diſtinctos, ſed tamen ab eodem Deo profluentia & idcirco nullam admittentibus accommodationem hujus ad illam aut illius ad hanc, ne aut hæc per illam, aut illa per hanc corrumperetur, quamvis hujus uſum in illa non contennendum admitterent, de novo hæc quæſtio agitari cœpit, præcipue occaſionem præbente Anonymo qui de Sacræ Scripturæ interpretatione non modo paradoxe, ſed etiam heterodoxe, ut à viris doctiſſimis demonſtratum fuit, ſcripſit, inter recentiores illos Philoſophos, à quibus tamen non minus quam cœlum à terra, in hac cauſa diſtabat, ſuum nomen profeſſus. His etiam accedere videri voluit Anonymus noſter & ſub eorum nomine etiam ſua ineptiſſima & abſurdiſſima dogmata non ſatis peritis obtrudere, videns quantum à ſapientiſſimis probentur, ante alia, quæ ab ipſis ex primis & clariſſimis ac indibitatis demonſtrata proponuntur principiis. Et in titulo nefandi ſui tractatus, & in ipſo tractatu ſæpius alta voce proclamans, Hoc totius ſui tractatus præcipuum intentum eſſe, Fidem à Philoſophia ſeparare, Philoſophandi libertatem ſalva pietate & reipublicæ pace tolli non poſſe: putat enim tolli per eos qui Scripturam propugnant & ita nil niſi Scripturam oppugnat, eam enervare & deſtruere conatur, atque hoc præſtito, à cap. 16. eandem libertatem Philoſophandi, rejecta etiam Scriptura, nec à ſupremis magiſtratibus tollendam eſſe probare voluit, ita ut hæc duo ſint ſcopus & intentum totius hujus tractatus. Quæ quanto magis ſpecioſa ſunt, tanto majori impetu nos ad eorum examen impulerunt. Præcipue ut inquireremus quantum hæc inſana diſtent à maxime ſanis recentiorum Philoſophematis, quibus hæc per imperitiam à nonnullis adſcribuntur & annumerantur, idque toti mundo pateret.

§. 3. Sic ergo infit, *Qui Philoſophiam à Theologia ſeparare neſciunt diſputant, num Scriptura rationi, an contra ratio Scripturæ debeat ancillari.* Verum nos jam demonſtravimus illius quæſtionis originem aliam fuiſſe non ſcil. ſeparationis difficultatem: ſed illius abuſum circa hanc, abſurditatibus ſuis, illa hanc mirum in modum commaculante, & quaſi dominium iniquiſſimum in eam ſumente contra omnem rationem; cui Orthodoxi verum uſum opponentes, juſtum illius miniſterium aſſeruerunt & adſtruxerunt, ejuſque officium demonſtrarunt non dominari, ſed ancillari. Quod tamen nunquam ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

acceperunt, quaſi vellent Rationem naturæ dictata, quæ proprie tantum ad eam pertinent, inſtar ancillæ à Domina Scriptura exſpectare debere: utpote qui ſatis noverant hujus ſcopum non eſſe naturalem ſcientiam docere, & rationem non niſi naturæ principiis niti. Nec in natura verum eſſe quod in Theologia falſum eſt, aut contra. Sed voluerunt Rationis reliquias à lapſu primorum parentum in nobis reliquas, & indefatigato ſtudio & labore omnibus modis excultas, excitatas, & recte adhibitas non tantum plurima docere quorum cognitio, ad percipienda ea quæ Deus in Scripturis revelavit, & ex ſolis iis tanquam talia, petenda ſunt, maximam habet utilitatem, quamvis hæc illam longe tranſcendat & infra ſe relinquat in omnibus rationi impenetrabilibus ſalutis myſteriis; ſed etiam inſtar rationalis inſtrumenti, naturalibus mediis rectius diſpoſiti, & divina gratia ulterius perficiendi, recipiendis iis quæ revelantur in Scriptura plurimis modis inſervire. Ita ut nec *ſenſum Scripturæ rationi*, quod *dogmaticis*, neſcio quibus, niſi forte Socinianis, & ſui ſimilibus, qui omnia *fidei dogmata à quovis ad ſuum captum accommodanda cenſet*, adſcribit. Nec *Rationem* flectendo, mutando, aut invertendo, quod manifeſte docet, *Scripturæ accommodandum* voluerint, quod non niſi Scepticorum eſſe dicit, vel ſaltem eſt eorum qui nullam naturalis cognitionis certitudinem in nobis reliquam exiſtimant. Sed & Scripturæ ſuam conceſſerint certitudinem, per ſeſe nitentem teſtimonio & auctoritate divina. Rationi ſuam, nitentem primis & à Deo menti inſculptis notionibus. Ratione interim recipiendis & inquirendis iis quæ ſunt revelata plurimum inſerviente. Utriſque veris, & optime, ſine pugna inter ſe conſpirantibus, utpote ab eodem Deo profluentibus, quamvis Scriptura naturam longe tranſcendente. Atque adeo *nec rationem, nec Scripturam corruperunt*: ſed utriuſque dignitatem ſuo loco & ordine accurate conſervarunt. Longe aliter quam Anonymus, qui ipſe impudentiſſime committit, quod in alio falſo culpat. Nam inutilis & mortua ratio eſt, ſi noſtrarum actionum directrix non ſit, ſi nihil doceat quod Deo & proximo debeamus. Et ab altera parte inanis, elumbis & enervata plane Scriptura eſt, ſi non niſi externam pietatem ſine veritate, nec veritatis aut fidei obedientiam, ſed talem quæ profluit etiam ex dogmatibus quæ nec umbram veritatis habent, doceat.

§. 4. *Scripturam res Philoſophicas* Philoſophice, id eſt, ex primis principiis deducendo *docere* ſibi non propoſuiſſe, jam ſupra conceſſimus, quamvis tamen apertum ſit, eam ex revelatione & Spiritus Sancti ductu de multis natura cognitis non pauca narrare & proponere. Non negamus etiam Scripturam in proponendis ſuis dogmatibus adhibuiſſe Phraſes & proponendi modos adeo accommodatis illis, quibus ſua ſignificare, & tanquam divina perſuadere volebant, ut ab iis quam facillime reciperentur, & ipſi à ſuis opinionibus in iis credendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

credendis quam minime impedirentur: ſed *ipſa* dogmata, *quæ continet Scriptura, ad captum & præconceptas vulgi opiniones accommodata* fuiſſe, ut vult Anonymus, omnino repugnare demonſtravimus.

§. 5. Nec poteſt negari *& Scripturam & Rationem corrumpi*; *ſi vel hujus dogmata ad illam, vel illius ad hanc accommodentur.* Nam nulla poteſt admitti accommodatio inter duas veritates per ſe veras. Utraque enim à Deo eſt. Verum vero ſemper correſpondet abſque accommodatione. Falſitas & error ſæpe ſe veritati accommodat, ut magis vera apparet, & pro veritate recipiatur ejus ſpecie tecta; Pugnant enim veritas & falſitas, & hæc ab illa deſtruitur niſi ſe accommodet. Sed optime conſpirat veritas cum veritate, & mutua luce ab eodem luminum Patre accenſæ ſibi mutuo ſunt adjumento, & ſplendorem addunt. Si autem veritas falſitati accommodetur, deſinit eſſe veritas, utpote quæ cum falſitate nullum admittit commercium. Erronea itaque proculdubio ſunt dogmata rationis deficientis quæ Scripturæ ſunt accommodanda: nam ſi vera forent, accommodatione non indigerent, ut cum ea convenirent, & reciperentur. Et ſi ſana accommodentur, non Scripturæ, ſed hominum erroribus pro Scriptura receptis. Uti nec Scripturæ dogmata ſunt quæ rationi accommodari debent: hominum errores, Scripturæ verbis contecti; nam eorum nulla diſſentiunt à ratione, ideoque nec ei accommodari poſſunt: Et ſi vera, Scripturæ dogmata accommodentur, neceſſario cum falſitate communionem ineunt & miſere pereunt, ac corrumpuntur. Multa quidem rationem tranſcendunt, ſed nec illa ei repugnant, aut ulla egent accommodatione; docet enim ratio multa Deum de ſe & operibus ſuis revelare poſſe, & in Scriptura revelata agnoſcit, ad quæ ipſa minime poteſt aſcendere, imo quanto longius excellunt, tanto minus accommodationem admittunt: ita ut proculdubio corrumpantur ſimulac quis ea rationi accommodare ſuſtinuerit. Et quantum Anonymus a tali accommodatione abhorruiſſe videri voluit, nullus tamen ejus criminis, illo ipſo, magis accuſandus venit. Nam univerſam Scripturam corruptis ſuis ratiociniis adeo accommodat, ut nec ratio nec Scriptura fere quidquam ſani dictet. Quemadmodum id hactenus & deinceps ad finem hujus tractatus patere poterit.

§. 6. Sententiam *Maimonidis*, quem dicit *Scripturam rationi accommodaſſe*, ſupra vidimus propoſitam capite 7. Sententiam *aliorum* quos dicit ſtatuere *Rationem Scripturæ ancillari debere*, laudat quatenus *Scripturas per Scripturas explicare vult*: Sed *miratur quod vir ratione præditus ipſam deſtruere ſtudeat.* Verum, quamvis eorum ſententiam hic examinare & probare nolim in omnibus, abſurda videtur hæc conſequentia, nam qui ſtatuit & admittit aliquam rationis utilitatem in percipienda Scriptura, non deſtruit eam, ſed extollit. Sed qui cum Anonymo ex Scriptura admittit ejus ſenſus rationi repugnantes,

pag. 167.

 & Scrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

& Scripturam & rationem corrumpit, illas quod tales continere dicat, hanc quod eos recipiat. Nihil enim vetat, cur ratione utilitatis, quam Theologisti & aliarum facultatum ſtudioſis ſubminiſtrat ratio & juſta rationis dictata, iis ancillari dici nequeaut; Sed accommodationem nullam, cum omnis veritas libera ſit abſque ſervitute; nec aliunde quam ex ratione petenda ſint rationis dictata: quamvis non negem divina virtute nos, noſtramque rationem adeo perfici poſſe, ut eadem non tantum longe rectius utamur, ſed etiam ex ea multo plura nobis occurrant, quam alioquin occurrere potuiſſent; & eo etiam non parum conferre Scripturam fatemur. Concedimus præterea Scripturæ dictata de myſteriis ſalutis rationem longe tranſcendere & hanc illa, ſine examine ad ſuam decempedam, finitam & plane deficientem, recipere teneri, quod ſi quis ſolummodo per ſubjectionem intelligat, quamvis proprie non ſit, cum alterius generis dictata ſint, nihil repugnabimus. Saltem Ancilla, multis de cauſis, ſi prædictæ excipiantur, merito dici poteſt, qualem demonſtrarunt omnes qui utilitatem ejus ſummam pluribus ſatis late probarunt. *Poſtquam* [*pag. 168.*] itaque *verum Scripturæ ſenſum eruimus, neceſſario judicio & ratione utendum eſſe, ut ipſi aſſenſum præbeamus*, dubitari nequit: nam ipſe aſſenſus rationis & judicii actus eſt. Sed ſi quis rationem adhibere vellet tanquam regulam & decempedam ultra quam nihil de vero Scripturæ ſenſu admittat, abſurdiſſimum erraret errorem, nam iniquiſſima Scripturæ ad rationem accommodatione, eam plane corrumperet; continet enim plurima quæ rationem longe excedunt; quæ tamen ipſa ratio ſumma cum ratione recipienda docet, & aſſenſu præbito fide tenenda, quamvis ratione non comprehendantur, ſimulac apparet verum Scripturæ ſenſum, recte inveſtigatum, eadem docere.

§. 7. Sed inquit, *quod ſi ratio, quamvis reclamet Scripturæ, tamen plane ſubmittenda eſt, quæſo an id cum vel ſine ratione ut cœci facere debemus?* Verum nunquam reclamat Scripturæ, nam verum vero reclamare non poteſt. Et ſi reclamare quid videatur vero Scripturæ ſenſui, proculdubio rationis defectus & error eſt, uti in omnibus, quæ in medium proferri poſſunt, demonſtratu facillimum eſt. In iis autem quæ rationem tranſcendunt, ſumma cum ratione ratio aſſenſum & fidem præbet etiam iis quæ comprehendere nequit: cum noverit certiſſimum eſſe, Deum, qui multo plura de ſe & operibus ſuis, noſtram rationem tranſcendentia, nobis revelare poſſet, illud revelaſſe. Ita ut ea non ut cœci, ſed ut rationis oculo præditi, recipiamus. Nec tamen ideo *ſolo rationis imperio Scripturam amplectimur*, ſed ratione, ut inſtrumento, adhibita, ſolo divino imperio & auctoritate, ſacræ Scripturæ dictatis naturam quidem tranſcendentibus, ſed nunquam repugnantibus aſſenſum & fidem præbemus, juſtiſſima cum ratione: & rejicimus omnia rationis dictata, quæ vero Scripturæ ſenſui adverſa ſunt, tanquam rationis deficientis & Deo ſe oppo-

nentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nentis errores & rebelliones: ut & rejicimus quicquid recte adhibitæ rationi adverſum tanquam à Deo revelatum ſubſtituitur, utpote probe memores etiam Diabolum aſſumere ſpeciem Angeli Lucis; & Deum, qui ipſe rationis auctor eſt, & in Scriptura & in ratione, ſemper & immutabiliter eundem eſſe: ſi modo ratio in nobis propria noſtra culpa non deficiat à ſua rectitudine, & ſatis legitime fuerit adhibita. Nec eſt quod nobis hinc objicietur, ut facit Anonymus, quamvis ſub aliena perſona, *Nos rationem, donum maximum, & lucem divinam mortuis literis, & quæ humana malitia depravari potuerunt, ſubmittere. Nos nullum exiſtimare ſcelus, contra mentem, verum Dei verbi Syngraphum, indigne loqui, eamque corruptam, cæcam, & perditam ſtatuere, at maximum habere ſcelus, talia de litera, & verbi Dei idolo cogitare. Nos pium putare, rationi & proprio judicio nihil fidere, at impium de fide eorum dubitare, qui nobis libros ſacros tradiderunt, quod quidem mera ſtultitia eſt, ut inquit; non pietas.*

Pergula pictoris, nil veri, omnia ficta.

Hoc ulcus ſi aperiatur, intolerabilem edet fœtorem. Negligendum tamen non eſt, ne ſero medicina paretur.

§. 7. *Rationem maximum Dei donum eſſe* & *lucem divinam*, nullus niſi irrationalis qui abſque ratione in denſiſſimis tenebris hæret, negaverit, Sed *Scripturam literam mortuam eſſe*, nullus cum Anonymo affirmaverit, niſi qui cum ipſo, adverſus omnem rationem, cuique liberum exiſtimaverit, eam ſuis opinionibus, licet abſurdiſſimis, & ne quidem umbram veritatis habentibus, accommodare: ſic enim per ſe abſque ſenſu & anima foret, nec quicquam præter brutus & nihil ſignificans ſonus, cum interim dent διὰ τῆς γλώσσης εὔσημον λόγον per linguam recte ſignificantem & manifeſtum ſermonem, 1 Cor. 14. 9. ſine quo inutilis plane foret, & ſcopo divino minime accommodata.

§. 8. *Humanam malitiam circa eas*, permittente Deo *multa potuiſſe*, non detrectamus concedere; Sed divinam providentiam ea longe majorem exiſtimamus; & Scripturam hac adeo tutam fuiſſe ab omni corruptione, ſenſum & animas Scriptutæ pervertente, ut eam abſque ſcrupulo recipere poſſimus, ac pleno cum aſſenſu & maxime rationali rationis noſtræ ſubmiſſione indubitata fide tenere, quicquid Deus nobis in ea de ſe & operibus ſuis revelare voluerit, ſupra illud quod ratione noſtra comprehendere valemus. Novimus etiam quod ſimul cum omnibus gentibus ſecundum Paulum non tantum Rom. 2. 15. habeamus τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις opus legis ſcriptum in cordibus noſtris, ſed & quod in nobis φανερόν apertum ſit τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ id quod de Deo cognoſcibile eſt, Rom. 1. 19. Et idcirco non parvum exiſtimamus errorem hoc abnegare, cum non minima ſit pars imaginis divinæ nobis indi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tæ. Nec minorem, de ejus reliquiis à lapſu in nobis ſuperſtitibus, & adeo ſufficientibus ut nos etiam ſecundum eundem Apoſtolum Rom. 1. 20. reddant ἀναπολογήτους inexcuſabiles, cum Scepticis adeo indigne loqui, ut nihil iis quantum excolantur, & quam recte adhibeantur, certo & indubitato cognoſci poſſit, cum is non parvus ad ipſius Dei abnegationem, omni nequitia majorem, progreſſus ſit. Sed tamen *mentis corruptionem, cæcitatem & defectus* à primaria perfectione cum Anonymo abnegare, ſummæ corruptionis & cœcitatis illius adeo manifeſtum argumentum eſt, ut præter hoc ipſum nullo alio indigere videar. Præcipue cum nullus fere gentilium, reliquis ſuis, licet minimis primævi luminis, ſcintillulis, has ſuæ mentis tenebras, obſervare non potuerit, ita ut merito dubitem, an ullis humanis mediis, ejus menti, ipſis gentilium, majoribus tenebris obrutæ, quicquam lucis affundi poſſit, Deo non extraordinaria ſua gratia concurrente: Qualis enim admittetur medicina, ubi nullus agnoſcitur defectus; niſi adſit medicus qui inſuperabili ſua vi, vel ægroto volente, vel ejus oculis apertis & flexa voluntate, talem in mente curaverit morbum. Huic itaque ſoli committimus hunc hominem, precantes ut tandem Deus ei det apertos mentis oculos, quibus & ſuæ mentis defectus animadvertat, & diſcat *Scripturam ſacram non mortuam literam & verbi Dei idolum eſſe*, ſed gazophylacium maximarum divitiarum, Apothecam ſaluberrimarum medicinarum, & armamentarium inſtructiſſimum omnis generis defenſivis & offenſivis armis, quibus non tantum adverſus carnem noſtram, mundum & Diabolum, de victoria certi, bellum gerere poſſumus, ſed etiam noſmet ipſos adverſus omnes eorum, & doloſiſſimorum famulorum eorum inſidias, ſub ductu & gratia regis noſtri omnipotentiſſimi facillime tuemur.

§. 9. *Nihil fidere rationi & proprio judicio*, ut mox diximus, *nullus* cum ratione *pium crediderit*, nam id eſt Deum & ejus imaginem, ac omnia ejus rudera ex nobis delere, & ſic impietatis fertiliſſima radix eſſe debet. Sed etiam nihil credendum exiſtimare, niſi quod comprehendat Ratio, intolerabilis vanitas & adverſus Deum inſurgens ſuperbia eſt, qua homo creatus & finitus ſe Deo æqualem conſtituit: atque ita ſimiliter Deum abnegat: negat enim de Deo quicquam verum eſſe, quod ipſe finita ſua mente non comprehendat. Fidendum itaque rationi recte adhibitæ, nam Deus fallere neſcius eam conceſſit, & a lapſu quaſdam ejus reliquias nos ἀναπολογήτους inexcuſabiles reddentes divina ſua clementia in nobis reſervavit: ſed ultra ea quæ rationis ſunt, extendenda non eſt, multo minus regula vel norma interpretationis divinarum Scripturarum, quippe quarum varia dogmata eam longe ſuperant, & per ſe ſuam habent certitudinem.

§. 10. Sed *dubitare de fide eorum qui nobis libros ſacros tradiderunt*, nonne de Deo dubitare eſt? per hos enim ſuam nobis voluit patefacere voluntatem.

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Si Apoſtolos & Prophetas reſpiciat, teſtante Paulo πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος omnis Scriptura divinitus inſpirata 2 Tim. 3. 16. & ſi Petro credamus, uti tenemur, ſcimus ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς, οὐ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ, quod omnis Prophetia Scripturæ non voluntate hominis aliquando allata ſit, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, ſed à Spiritu Sancto acti, eam locuti ſint Sancti Dei homines; 2 Pet. 1. 20. 21. quibus fidem denegare, quis non impium dixerit. Si vero reſpiciat Eccleſiam Judaicam, cujus hæc primaria fuit excellentia præ reliquis ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, quod ei concredita ſint eloquia Dei Rom. 3. 1. 2. quis eam infidelem dixerit, niſi contra omnem pietatem aſſeruerit Deum vel per imprudentiam iis non recte credidiſſe ſua oracula, quæ ad ultima tempora inter ſuos perdurare voluit, vel adeo impotentem ut etiam inter infideles verbum ſuum à corruptione præſervare non potuerit, vel hodiernam eccleſiam verbo ſuo, contra tot facta promiſſa, cui firmiter ſtare poſſit, deſtitutam velle.

§. 11. Deſinat itaque *ſtultitiam* dicere, quod & Scriptura, & ratio, & ipſa erga Deum pietas aperte docent & neceſſario requirunt. Deſinat rogare, *An Religio & fides defendi non poſſit, niſi homines data opera omnia ignorent & rationi prorſus valedicant?* idque ex ſe quærat, quippe cui ad religionem & fidem ſola ſufficit obedientia etiamſi ne umbra veritatis quidem prædita fuerit: & qui fidem adſtruit piam, licet non veram, monſtrum, quo nunquam Africa portentoſius edidit. Nos enim in ſupradictis late contra Anonymum cognitionem eorum, quæ Deus de ſe & operibus ſuis in Scriptura revelavit, non infimam Religionis & fidei partem defendimus, & ex ratione recte adhibita, per primævæ perfectionis reliquias, multo labore & indefatigabili ſtudio excultas naturaliter cognita plurimum inſervire probavimus rectius recipiendis & credendis iis, quæ Deus in Scriptura revelare voluit, imo hoc reſpectu rationem Ancillam Scripturæ dici conceſſimus.

§. 1. Quod quomodo non obſit *concordiæ* qua & *in natura* & *in Scriptura* revelata *veritas ſuum regnum quiete poſſideat* mox demonſtrabimus, ubi primo retuderimus Anonymi audaciam qua *temere* dicit ſtatui, *nos id omne, quod Scriptura affirmat aut negat, tanquam verum amplecti vel tanquam falſum rejicere teneri. Et Scripturam numquam aliquid expreſſis verbis affirmare vel negare, contrarium ei quod in alio loco affirmavit vel negavit.* Quis hæc æquo animo ferat! aut ad tantam abſurditatem conticeſcat! An enim falſum quid affirmat Scriptura, vel verum negat? vel an verum amplecti & falſum rejicere non tenemur? Quid Deo & veritati magis injurium dici potuit? An Scriptura uno loco affirmabit, quod alio negabit, & tamen divina manebit? An ergo Deus eodem ore verum & falſum profert, vel an immutabilis veritas in falſitatem, & contra deteſtabilis falſitas in veritatem transformari poteſt, ſal-

va vera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

va veraciſſima Dei natura? Quis non deteſtetur tantam hujus hominis perverſitatem, & deploret denſiſſimas ejus mentis tenebras ac perverſitatem. Et hic tamen vult videri propugnare verbum Dei & Scripturam: reputat hæc forte inter prejudicia ab ſe tollenda. Mirabilis reformatio qua tota tollitur & enervatur Scriptura. Non negamus, quod ſi habeatur ratio eorum quæ dicuntur in Scriptura, multa narrentur, quæ ex Deo non ſunt, ut impoſturæ & calumniæ Satanæ Gen. 3. Matt. 4. Pſeudo-Prophetarum falſæ Doctrinæ &c. ſed ſi ſpectetur tum facti & rei veritas, tum finis in quem inſtituitur hæc narratio quo reſpectu tantum hæc divina ſunt nunquam aliquid affirmatur aut negatur quod non tenemur amplecti ut verum & rejicere ut falſum, nec unquam quid affirmatur quod poſtea negatur, aut contra negatur quod affirmatum fuit.

§. 13. *Scripturam diverſis libris conſtare*, *diverſis temporibus*, *diverſis hominibus*, *& denique à diverſis auctoribus ſcriptam eſſe*, ſatis novimus & conſideramus, ſed hinc nulla ratione concludi poteſt nos non teneri amplecti quod affirmat, & rejicere quod negat: aut eam affirmare vel negare contraria. Hæc autem à nobis ſtatui *ex propria authoritate*, *& ratione*, *ſcriptura nihil tale dicentibus*, falſum eſt, nam de ipſa Scriptura teſtatur Chriſtus, quod ſit veritas, Joh. 17. 17. David, quod ſit teſtimonium Dei fidele, Pſalm 19. 8. Salomon, quod omne verbum Dei purgatiſſimum ſit, Prov. 30. 5. Paulus, quod omnia quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram Doctrinam ſcripta ſint, ut per &c. Rom. 15. 4. & plurimus aliis locis Scriptura dicitur divinitus inſpirata, 2 Tim. 3. 15. 16. à Viris Sactis ductu Spiritus Scripta, 2. Pet. 1. 19. 21. Verbum Dei firmum, purum, immutabile, ſufficiens ut nos ad ſalutem ducere poſſit. Quæ omnia Scripturæ tribui non poſſent, ſi vel amplectenda non eſſent & rejicienda, quæ affirmantur & negantur, aut ſi expreſſis verbis contraria affirmaret & negaret. Nec etiam recte adhibita ratio admittit verbum Dei non amplectendum aut ſibi contrarium, cum id veracitati, immutabilitati, & omnimodæ perfectioni Dei plurimis modis adverſum ſit. Et per conſequens nec Scriptura nec ratio nobis hic deeſt.

§. 14. Loca, *quæ per conſequentiam aliis repugnant*, nulla admittimus, utpote qui probe novimus quicquid ex Scriptura vere ſequitur etiam in ea contineri, & idcirco cum iis, quæ expreſſe dicuntur, ejuſdem auctoritatis & veritatis eſſe. Si quæ cuiquam per ignorantiam repugnare videantur ea datis locis ſi objiciantur, quantum ſufficit diſſolvimus: ſed ad confirmandam noſtram Theſin nullo modo tenemur eadem omnia colligere, & demonſtrare quomodo ſint intelligenda. Quæ Anonymus objecit ſupra examinavimus.

pag. 169.

§. 15. *Scripturam autem ad noſtras manus incorruptam veniſſe*, ſatis defendimus, ſi, uti in ſuperioribus præſtitimus, demonſtremus, Scripturæ ſco-

pum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pum non admittere corruptiones, divinam providentiam ad eaſdem avertendam ſufficere, & omnes quæ videntur commiſſæ fuiſſe, quantum poſſumus, vindicemus, ac oſtendamus ſpem in iis quotidie proficiendi, & viam, ita ut etiam in iis quæ hactenus occurrunt ut inſolubilia, non teneamur admittere corruptionem, ſed noſtram cognitionis imperfectionem agnoſcentes, ſperare majorem & perfectiorem cognitionem, ac iis incitari ad diligentius ſtudium Scripturæ & eorum quæ ad ejus intelligentiam utilia ſunt. Simul ſemper memores Deum pro ſua ſapientiſſima providentia, his, forte aliis ante nos nota, & poſt nos innotura, noſtram exerceri velle diligentiam, & hoc tempore pro ſapientiſſima ſua adminiſtratione Eccleſiæ his vel doctiſſemis de ignorantia convincere velle, & à ſuperbia præſervare, ut & à negligenti Scripturæ ſtudio. Non enim credibile Deum velle ut omnibus, omnia, omni tempore æque nota ſint, nec id requiritur ad ſalutem.

§. 16. *Sed hanc rem totam*, ſcil. de amplectendis & rejiciendis iis, quæ Scriptura affirmat vel negat, numquam ſibi contraria proferens, latius *examinaturus* primum rogat, *Quid ſi ratio reclamet, an nihilominus tenemur id, quod Scriptura affirmat vel negat, tanquam verum amplecti, vel tanquam falſum rejïcere.* Ad quam quæſtionem jam reſponſum cum ſit, *nihil tale reperiri*, niſi vel rationis errores pro ratione, vel aliena dictata pro divinis habeantur, jam inſtat, dicens *Scripturam expreſſe affirmare & docere Deum eſſe Zelotypum Exod.* 34. 14. *Deut.* 4. 24. *atque hoc rationi repugnat. Ergo. &c.* Verum rationi quidem repugnat, Deo convenire defectus humanæ Zelotypiæ, nullo modo vero ipſam Zelotypiam, nam ea nihil aliud eſt, quam vel ardens ſeu certo determinata voluntas puniendi gloriæ ſuæ profanatores & honorem ſibi ſoli debitum aliis præſtantes, ut patet ex verſ. 26. 27. 28. cap. 4. Deut. vel ſtudioſa dilectio, quæ puriſſimæ voluntatis divinæ actus eſt, quo ſuos gratioſe complectitur, protegit & ab hoſtibus liberat: Huic autem nulla ratio repugnat cur non in Deo ſit? In hominibus Zelotypia ductis accedit quidem triſtis impotentis animi quædam ægritudo, & metus ne alius potiatur eo bono, quod ſibi ſoli deberi, licet forte per errorem, exiſtimat; & multiplices corporis & animi motus admodum inordinati, ſed eorum ne umbra quidem in Deo plane perfecto & immutabili Jac. 1. 17. nec hæc aliud quam Humanæ Zelotypiæ defectus ſunt.

§. 17. *Sic etiam* inquit *Scriptura expreſſe dicit, Deum in montem Sinai deſcendiſſe Exod.* 19. 20. *ipſique alios motus locales tribuit, nec ullibi docet expreſſe, Deum non moveri adeoque hoc etiam*, quamvis rationi repugnans, *omnibus tanquam verum admittendum.* Sed cum adeo expreſſe dicatur ab ipſo Deo, Annon cœlos & terram ego impleo? dictum Jehovæ Jerem. 23. 24. & Salomon teſtetur 1 Reg. 8. 27. quod cœli cœlorum eum non capiant, ut &

David fateatur immenſam Dei ubiquitatem, Pſalm. 39. 7. 8. 9. &c. iiſque accedat divinum illud oraculum, Mal. 3. 6. Ego Jehova non mutor, ſecundum quod etiam Jacobus 1. 17. adeo removet omnem tranſmutationis umbram, profectò bardus ſit, qui agnita Spirituali Dei natura ſecundum ipſius Chriſti dictum Joh. 4. 24, Deum operantem in omnibus omnia 1 Cor. 12. 6. aliter deſcendere crediderit, quam, ut inquit Auguſtinus lib. 16. cap. 5. de Civ: cum aliquid facit in terra, quod præter uſitatum naturæ curſum mirabiliter factum præſentiam quodammodo ejus oſtendat. Hoc autem rationi nullo modo repugnat. Sic & *Habitaculum Dei* dicuntur illi loci quibus ſuam præſentiam glorioſe & gratioſe revelat, unde non tantum dicitur habitare *in cœlo*, idque locus habitationis Divinæ 1. Reg. 8. 30, 2 Chron. 6. 21. Pſalm 33. 6. Verum etiam univerſa terra Canaan decorum habitaculum divinæ Sanctitatis Exod. 15. 13. 17. Pſalm 83. 13. dicitur, & paſſim aſſertum Deum habitare in Templo, Matt. 23. 21. in tabernaculo, Exod. 25. 8. Pſalm 78. 60. in Rubo, Deut. 33. 16. in medio ſuorum &c. Quibus nihil rationi adverſum ſignificatur. Cætera quæ addit de erroneis Prophetarum opinionibus ſupra jam confutata fuerunt.

§. 18. Verum ut oſtendat etiam *unum Scripturæ locum alteri directe repugnare*, dicit, *Moſes directe affirmat Deut. 4. 24. Deum eſſe ignem, & directe negat ibid: vers 12. Deum ullam habere ſimilitudinem cum rebus viſibilibus.* Sed ſi reſpiciatnr integer textus, manifeſtiſſimum fiet, Moſen hoc ipſum, quod Deus ſit ignis conſumens, proferre, ut Judæos deterreat, ne Deum comparent ulli rei creatæ, cujus abſurditatem etiam indicat ipſe Deus Jeſ. 40. 18. 25. ita ut omnino repugnet primario Moſis ſcopo, dicere, quod hic Deum directe ignem afferat, & ipſe contextus aperte doceat, Moſen his ſignificaſſe, quod Deus, inſtar conſumentis ignis, conſumpturus ſit omnes qui eum ulli rei creatæ comparaverint. Atque adeo hic nulla occurrit ſpecies repugnantiæ objectæ.

pag. 170. §. 19. Sed aliud & fortius prolaturus exemplum, inquit, *Samuel directe negat Deum ſententiæ pœnitere*, 1 *Sam.* 15. 29. *& Jeremias contra affirmat, Deum pœnitere boni & mali quod decreverat, Jerm*, 18. 8. 10. Verum ſi ipſi textus iterum inſpiciantur, apertum erit, Samuelem, ſuum mandatum de futura Saulis rejectione, ei Dei nomine nunciatum, confirmare, naturæ divinæ immutabilitate, remota & oppoſita omni humana mutabilitate & pœnitentia. Et Deum apud Jeremiam, per parabolam figuli, mutantis opus ſuum ſignificare, ſe poſſe & velle cum Iſraele & gentibus ita agere quemadmodum figulus cum luto agit, nempe maledictiones in benedictiones mutando, ſi reſipiſcant, & benedictiones in maledictiones, ſi malum faciant, quæ omnia cum ſalva Dei immutabilitate fiant, & non Dei ſed effectus mutationem inferant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rant, nomen pœnitentiæ in hujus parabolæ applicatione, ſecundum ipſum ejus ſcopum, non divinæ naturæ, ſed ſolius effectus mutationem ſignificare poteſt, & ſic nihil plane contra Samuelem, qui ipſam Dei naturam ſpectavit, reperiri poteſt.

§. 20. *Parum referre, quod locus aliquis non directe, ſed tantum per conſequentiam alteri repugnet*, facile concedimus, agnoſcimus enim conſequentias legitime formatas non minus divinæ auctoritatis eſſe ac ea unde fiunt. Et idcirco ſupra ad pag. 169. ſententiam hanc rejecimus. *Contrarias*, quas, ut putabat, proferebat *Sententias Prophetarum*, ad cap 2. examinavimus. *Contradictiones ex Hiſtoriis petitas* ad Capp. 9 10. Nec opus eſt eadem hic iterum repeti, ibi examinari poſſunt & videri. Patet itaque Scripturam nihil affirmare vel negare, quod non quivis tanquam verum amplecti & tanquam falſum rejicere tenetur. Nec unquam aliquid expreſſis verbis affirmare vel negare contrarium ei quod in alio loco affirmavit vel negavit. Nam in omnibus, quæ corraſit Anonymus omnibus ſuis viribus, nihil ſimile occurrit.

§. 20. His ergo ſuperatis, jam ſequitur perluſtremus qua ratione, doceat, & *Theologiam & Rationem regnum ſuum ſumma cum concordia ſimul obtinere poſſe*. Rem ipſam exiſtimamus certiſſimam. Non quod Theologis omnem interdicamus uſum rationis, aut Philoſophis præcludamus omnem rerum divinarum notitiam. Sed quod Philoſophis nulla ſpectare concedamus niſi natura nota, & ex naturæ principiis deducta. Theologis vero revelata Scripturæ ſacræ. Quorum plurima quidem etiam natura nota ſunt, ſed non pauca eam in tantum tranſcendunt, ut nulla ratione comprehendi poſſunt, & ſola fide tenenda veniant. Ea vero quæ utriuſque fori ſunt Theologis non alia ratione conſideranda ſunt, quam quatenus Deus ea revelavit in Scriptura, quippe quæ unicum revelatæ Theologiæ fundamentum eſt. Philoſophis autem non hac ſed alia plane ratione, quatenus ſcil. ex naturæ Principiis profluant. Qua ratione ſi quis Theologus ea conſideravit, mox Philoſophi munus & perſonam aſſumit, ac ex Philoſophia ſuas copias auxiliares petit, abſque ulla permiſtione aut diſcordia Philoſophiæ cum Theologia, ſed ſumma cum utriuſque concordia, & hujus auxilio & miniſterio erga illam. Quod plurimis occaſionibus, hic non enumerandis, plane neceſſarium eſt. Non quaſi revelationis certitudo per ſe minus ſufficiens ex ratione ſtabilienda & fulcienda foret, ſed tum ut utriuſque conſenſus pateat, tum ut & alia, ac quaſi ſecundaria producatur probatio, tum ut eâ convincantur illi qui revelationem non admittunt, & rationi manifeſtæ ſe ſubjicientes ad obedientiam fidei eo magis perducerenur. Theologia vero, cum rationem in multis tranſcendat, non aliud Philoſophiæ auxilium præſtat, quam quod occaſione quorundam revelatorum, nobis admodum commoda præbeatur occaſio, quædam ex naturæ principiis inquirendi, & inquirendo deducendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cendi, quæ abſque ea revelatione deducta nunquam fuiſſent: quæ cum in Philoſophia non admittantur, niſi ut natura nota, hic iterum nulla vel utriuſque diſcordia vel permiſtio. Si quis vero naturæ & recte adhibitæ rationis dictata flectat, ut ſint accommodata Scripturæ; & rationem & Scripturam corrumpit. Illam quia nullo modo flexibilia, utpote vera, ejus dogmata flectit. Hanc quia ei affingit ſententiam non niſi cum flexa & à veritate delinante ratione convenientem. Si quis etiam ab altera parte nihil admittat tanquam revelatum niſi quod ſua ratione comprehendat ſeu ex ejus Principiis deducere novit, is contra rationem omnem, ſe Deo minorem agnoſcere non vult. Quis enim dicat quantum divina veritas latius pateat, quam humana ratio. Et ipſa ſana ratio nos adigit ut concedamus etiam multa præter & ultra naturam eſſe credenda, quæ Deus in Scriptura revelavit, & nulla mentis acies, per ſe ſola attingere, nedum comprehendere poteſt. Sed hujus loci non eſt hæc latius deducere. Quamdiu ergo Philoſophia ſe non extendit ultra natura nota: Et Theologia non niſi in Scriptura revelata dictaverit; quæque ſuum regnum optime ſumma cum concordia poterit & debet obtinere. Nihil obſtante mutuo quod jam indicavimus utriuſque auxilio, & Theologiæ eminentia ſupra Philoſophiam ratione myſteriorum & univerſæ viæ ſalutis, quam Philoſophia nec invenire nec attingere potuit. Nam circa natura nota, nihil dictat recte adhibita ratio, Scripturæ adverſum; niſi aliena pro divinis revelatis habeantur, aut rationis errores, pro ratione. Ubi autem in illis erret ratio, ratione convincendum; & quid dictet Deus, ex Scriptura determinandum. Circa rationi inacceſſa, non niſi injuſtiſſima fit à ratione alterius regni invaſio, ita ut ſummo jure, cum antiquis dicatur ejiciatur ratio & taceat ac prout decet fide teneat, quæ agnoſcit à prima, & incomprehenſibili veritate ſibi revelata.

§. 22. Sed alio plane modo horum regnorum limites diſcernit & determinat Anonymus, idque tam inique, ut quamcunque ſpecioſa prætendat, revera tamen rejecto & neglecto Theologiæ regno, abſurdiſſimam faciat diviſionem Philoſophiæ in duo diſtincta regna, quorum alterum ſed valde corruptum & mutilatum Theologiam dicit. *Ratio* ſcilicet ſecundum ipſum tenet *regnum Veritatis & Sapientiæ*, *Theologia autem Pietatis & Obedientiæ.* Atque ita ſimul & rationis & Theologiæ regnum privantur omni ſua vi & gloria. Qualis enim veritas divina quæ non ſecundum pietatem eſt, inanis ſcilicet gloria? Qualis Sapientia quæ nullam docet erga Deum obedientiam, vana & inanis ſpeculatio phantaſtica cerebri humani? Paulus Apoſtolus Rom. 1. 18. 19. 21. 28. 32. aliud plane docet de gentilibus, ſolius Rationis regni ſubditis, ſcil. quod ipſis non tantum τὸ γνωςὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν ἐςιν apertum eſt id quod de Deo cognoſcibile, ſed etiam quod cognoverunt δικαίωμα τοῦ θεοῦ jus Dei, hoc ſcilicet, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν quod qui talia, ut antea

ibidem

ibidem enumerata fuerant, faciunt morte digni ſunt; & quod Veritatem in injuſtitia detineant; quod Deum cognoſcentes non ſicut Deum glorificaverint, aut gratias egerint; quod non ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει probavere Deum habere in notitia ſeu agnoſcere. Quæ omnia manifeſte docent, quam abſurde Anonymus à Ratione ſecludat omnem pietatis, juſtitiæ, & obedientiæ ſeu glorificationis & gratitudinis Doctrinam & exercitium. Et ab altera parte, qualis erit Theologica pietas & obedientia, ſi veritate deſtituatur, & ex ea non profluat? nam ſolius veritatis obedientia pietas dici poteſt. Et non niſi cortex & umbra pietatis adeſt & docetur, ubi reperitur & docetur pietas ſine veritate. Cognitio veritatis quæ ſecundum pietatem eſt Tit. 1. 1. Nec abſque veritatis cognitione conceptibilis eſt Obedientia, ſed brutus impetus & irrationalis ac automaticus aliquis motus abſque ratione denominatur obedientia. Ita ut Anonymus hic præterita omni fidei cognitione & obedientia, id eſt, omnibus quæ fidem ſpectant ſeu verbum veritatis quod eſt Euangelium ſalutis Eph. 1. 13. à veritate natura nota, & Sapientia ſola ratione comparabili, ſeparet pietatem & obedientiam, atque inde Theologiam formet, per ſe conſiſtentem abſque veritate & Sapientia; Et ſic erigat Duo regna, non niſi in ejus cerebro nata poſt revelationis rejectionem & innatæ rationis abſurdiſſimam corruptionem & inverſionem. Nam quam abſurda ſit *Theologia dictans quod homines ſola obedientia abſque rerum intelligentia poſſint eſſe beati*, & fidei dogmata ratione veritatis rationi determinanda relinquens adeo manifeſtum eſſe ſupra ad finem capitis præcedentis demonſtravimus, ut hic nullis præterea verbis opus ſit. Et quam inepta & enervata *veritas* ſit ac umbratilis *ſapientia*, *quæ omnem excludit pietatem* & *obedientiam* erga Deum, ex dictis nulli non patet. Nec duo hæc abſurdiſſima regna ſimul ab eo conſervari potuerunt, quodvis regnum contra ſe diviſum deſolabitur, inquit Chriſtus Matt. 12. 25. Nam inquit *quicquid hic illic reperitur in Bibliis, quod poſtquam verum ſenſum inveſtigavimus rationi repugnare comperiamus, id certo ſcimus Theologiam ſive verbum Dei non tangere, & conſequenter unumquemque de iis quicquid velit, ſentire poſſe abſque ſcelere.* Quibus Theologiæ regnum, ſi non plane deſtruatur & ad interitum reducatur funditus, ſaltem ad duriſſimam & injuſtiſſimam reducitur Rationis ſervitutem; imo quid rationis dico, cum quiſque de iis ſentire poſſit quicquid velit, cujuſque arbitrio inſervire tenetur Theologica veritas & prout quiſque voluerit, hoc vel contrarium dictabit Scriptura. *pag. 171.*

§. 23. Unde patet quantus ſibi ſit Adverſarius Anonymus noſter, cum ex hiſce concludit, *quod nec Scriptura rationi nec ratio Scripturæ accommodanda ſit.* Nam præterquam, quod, ut ſupra vidimus, Scripturam nullibi admittat, niſi in iis quæ etiam dictat ratio, & pag. 159. & 164. doceat quemque teneri, verba Scripturæ, ac fidem & fidei dogmata, ad ſuum captum & opiniones ſuas ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

accommodare, hic eam in iis quæ rationi repugnare, ut putat (nam nos talia non admittimus) reperimus cujuſque arbitrio & voluntati ſubjicit, quo non tantum non accommodat, ſed etiam plane tollit & deſtruit Scripturam, ſola ratione, pro cujuſque arbitrio regnum ſuum obtinente: id eſt, homine tantum pro ſuo arbitrio Scripturam recipiente, & ſecundum eam vivente, quantum quiſque eam ſuis opinionibus magis accommodatam exiſtimaverit, vel accommodare ejus verba voluerit.

§. 24. Hic ſcopus, hic finis omnium horum laborum, hæc ejus pietas, hæc obedientia, hæc illa quam adeo extulit diſtinctio Theologiæ à Philoſophia, qua neglecta toto cœlo fuit erratum, & alii ſine, alii cum ratione inſaniunt, ut ineptiſſime blatrat pag. 166. in initio hujus capitis. Hac de cauſa pro præjudiciis habenda fuerunt omnia quæ de Scriptura certis cum rationibus docuerunt Theologi, vide initium cap. 8. huc ſpectat omnium miraculorum abnegatio facta per totum caput 6. Huc legis divinæ evacuatio cap. 4. Huc omnia quæ de Prophetis & Prophetiis cap. 1. & 2. Et ſimul hæc omnia fluunt ex abſurdiſſimo illo quod fovet Myſterio, de Deo corporeo ab univerſo non diſtincto. Quibus proponendis adeo fuit inſtigatus hominum quæ viderat vitiis & peccatis, uti in præfatione prætexere non erubuit, aliud ſcilicet deſiderans, cum interim enervata ratione Naturali, & abnegata Veritate revelata, non niſi pietatis umbram introducat & omnem veræ cognitionis ac Veritatis clavem tollat & hominibus eripiens, quemvis ſuo committat arbitrio, licet ne quidem umbram veritatis habeat. Poſtea demonſtraturus, quod hoc reipublicæ paci nihil obſit non tantum, ſed eam etiam promoveat: quod ibi ſpectabimus.

§. 25. Sed antequam eo tranſeat, in fine hujus capitis conatur oſtendere *rationem*, *qua nobis Scripturæ auctoritatem perſuademus*, *unicum* enim quod admittit *Theologiæ fundamentum*, *quod ſcilicet homines vel ſola obedientia ſalvantur*, *ex ratione*, inquit, *non poſſumus demonſtrare verum ſit an falſum*, & ideo Scripturam requirit: ſed ſi, ut antea, intelligat obedientiam abſque intelligentia, & ideo ſolam dicat, nec hoc Scriptura docebit: ſi vero obedientiam ſalutis cauſam dicat directe Scripturæ adverſatur Si neget naturaliter notum hominem ſola obedientia Dei ſalvari, ſi eam in omnibus præſtiterit, & hoc falſum eſt: ſed cum nullus à lapſu ei ſuffecerit, neceſſario in homine requiritur obedientia fidei, cujus neceſſitatem ex naturalis obedientiæ defectu
pag. 172. quidem agnoſcit ratio, ſed veram ejus rationem ſola patefacit revelatio, quam fidem cum negligat Anonymus Scriptura non eget. Aſſerit itaque *nos non niſi morali certitudine Scripturam recipere*, *non autem mathematicis demonſtrationibus*. Quod negari nequit, nititur enim teſtimonio non ratione. Ita ut hoc fruſtra adeo prolixe conetur adſtruere, niſi moralem illam certitudinem infirmam exiſtimet, ut videtur pag. 173. quod examinatum vide ſupra ad cap. 2.

§. 26. Qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 26. Quinam autem ſint illi, *qui*, ut inquit, *putant Philoſophiam & Theologiam ſibi invicem contradicere, & propterea alterutram e ſuo regno detur-bandam, ac huic aut illi valedicendum* ignoramus, præter ipſum Anonymum. qui rejecta Theologia, ſolummodo firmam admittit rationis certitudinem Nam *Theologiam mathematice velle demonſtrare* foret eam cum Anonymo abnegare, & rationem pro Theologica obtrudere, quod nullus ſana cum ratione præſtiterit. Imo manifeſte contradictorium eſſet, *abjicere rationem omnem & Mathematice demonſtrare Theologiam*, nam qui hoc intendit, retinet rationem, & abjicit Theologiam, quæ ex ea non fluit & demonſtratur. pag. 173.

§. 27. Quod autem addit circa *Teſtimonium Spiritus Sancti* quo putamus vere fideles morali illa certitudine adeo efficaciter perſuaderi de ſacræ Scripturæ veritate & divinitate, ut ab ea credenda dimoveri nequeant, *nos id vel ex affectibus, vel vana gloria dicere*, quia *Spiritus S. non niſi de bonis operibus Teſtimonium dat, quæ Paulus eadem Gal.* 5. 22. *fructus Spiritus Sancti vocat, & ipſe* ſcil. Spiritus Sanctus, *revera nihil aliud eſt, præter animi acquieſcentiam, quæ ex bonis actionibus in mente oritur* ineptiſſimum eſt, nam quamvis non negemus, bona ſeu ex fide præſtita opera, fructus Spiritus Sancti eſſe; imo non niſi virtute Spiritus Sancti ex arbore fidei creſcere; ut & Spiritum S. de bonis noſtris operibus Teſtimonium dare, & in nobis operari quandam animi acquieſcientiam, qua ex operibus de noſtra fide certi, in Deo quieſcamus, falſiſſimum tamen eſt, nos vel ex affectibus vel vana gloria ſtatuere quod Spiritus Sanctus etiam de veritate Scripturæ & eorum quæ continet Teſtimonium præbeat, & quod ipſe Sp. Sanctus nihil aliud ſit quam acquieſcentia quæ ex bonis actionibus in mente oritur, nam Spiritum quem ipſe Chriſtus ſuis promiſit non tantum dixit eſſe Spiritum veritatis Joh. 14. 17. & 15. 26. ſed etiam pollicitus eſt eum omnia docturum ſuos Joh. 14. 26. eoſque ducturum in omni veritate Joh. 16. 13. & Apoſtolus, 1 Joh. 4. 6. apponit Spiritum veritatis Spiritui erroris. Et Eſa. 11. 2. fit mentio Spiritus Sapientiæ intelligentiæ; & ſcientiæ; ut & Exod. 28. 3. Eph. 1. 17. & acquieſcentia illa non niſi Spiritus Sancti effectus eſt in nobis. Ita ut manifeſto Chriſti Teſtimonio repugnet, *non niſi rationem de veritate Teſtimonium dare, & falſo jactari Spiritum*, tum mentis oculos aperiendo &c. rationem perficientem, tum etiam de iis quæ ſupra rationem in Scriptura revelata ſunt, plane convincentem & perſuadentem, atque ita nos in omni veritate ducentem, & in nobis operantem ſapientiam. pag. 174.

§. 28. Nec eſt quod hic quicquam *metuamus ne à Philoſophis vincamur & publice riſui exponamur*. Nam Spiritus veritatis à vero nos non deducit, nec unquam à falſitate vincitur veritas, & cum veritate veritas omnis optime conſpirat; metuant itaque illi qui pro veritate Spiritum erroris ſequuntur, &

qui

qui veritatem ſine ratione deridentes, rationem unicam adorant, ejuſque Majeſtatem ſupra Scripturam collocant, & omne Spiritus Sancti de veritate Teſtimonium abnegantes multis modis deficientis ſuæ rationis ductum ſequuntur. Atque his *ſuæ cauſæ ſe ſatisfeciſſe putat* &c.

§. 29. Sed unicum monendum erat, *ſe magnam exiſtimare Sacræ Scripturæ neceſſitatem & utilitatem, cum ſola revelatio doceat, quod ſimplex obedientia via ad ſalutem ſit* &c. Sed cum ſupra demonſtraverimus, etiam naturam docere, nos perfecta obedientia Deo gratos eſſe poſſe, ſi ſcil. nunquam defecerimus, & tamen obedientiam ſalutis cauſam dici poſſe negaverimus, multo minus talem, quam ſimplicem dicit, id eſt, quæ caret, notitia; Hoc fruſtra obtenditur ne totam videatur rejicere Scripturam, quod tamen revera facit.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Reipublicæ fundamentis, & Jure uniuscujuſque Naturali & Civili: Deque ſummarum Poteſtatum jure.

Anony. cap. 16. pag. 175. §. 1. EXaminavimus hactenus quam inepte Anonymus Philoſophiam à Theologia diſcreverit, hanc ſcilicet penitus abjiciendo, & illam in duas partes diſrumpendo & miſere dilaceratam corrumpendo. Vidimus quam profanam & inordinatam conceſſerit libertatem de veritate ſentiendi quod placet, & opinionibus ſuis accommodandi Scripturæ verba, eaque flectendi & intelligendi ad captum ſuum. Sequitur ut inquiramus, *quouſque hæc libertas ſentiendi, & quæ unuſquiſque ſentit dicendi in optima Republica*, ſecundum ipſum, *ſe extendat.* Sed cum, ut id demonſtret, *de fundamentis Reipublicæ diſſerendum* cenſeat, & *prius de jure naturali uniuſcujuſque, ad Religionem & Rempublicam nondum attendentes*, requiritur ut eum ſequamur & ejus veſtigia legamus.

§. 2. A Juris definitione initium facit, & dicit ſe *per Jus & inſtitutum naturæ nihil aliud intelligere, quam regulas naturæ uniuscujuſque individui, ſecundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus, ad certo modo exiſtendum & operandum.* Verum quis non videat quam impropria ſit hæc vocis Juris acceptio? rebus enim irrationalibus jus tribuit. Quis omnium corporum motus ſecundum certas regulas à Deo conſtitutos, determinatos, jure fieri dixerit? ut lapidem jure deſcendere, & aſcendere ſagittam: feles jure ca-

pere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pere mures, & majores piſces minores. Quia tamen de nomine diſputandum non eſt, fruatur ſua libertate, & gaudeat ſolitario & proprio ſuo arbitrio, nihil enim explicat niſi quid ſibi nomen naturalis juris ſignificet; ſignificet & hoc quod vult, & ineptius quid, nobis cum aliis ſanioribus ſignificat regulas naturæ cujuſque rationalis ſecundum quas ex ſui Deique legitima conſideratione omnes ſuas actiones inſtituere tenetur. Sed hæc admittere non potuit Anonymus, cum Deum ſtatuat ab univerſo non diſtinctum, & ablata omni libertate, non niſi fatalem admittat neceſſitatem.

§. 3. *Deo ſummum jus ad omnia competere*, nullus negaverit: Sed *Dei potentiam eſſe potentiam naturæ* jam ſupra confutatum fuit, ad pag. 14. & 69. Concedimus itaque quidem Deo competere jus ad omnia quæ vult & poteſt, nam ipſa Dei voluntas juſtiſſima & non niſi jus eſt. Sed *univerſalem aliquam naturam, cujus potentia ſit ipſius Dei potentia, & ſe extendens ad omnia* & tamen *nihil ſit præter potentiam omnium individuorum ſimul, ſummum jus habere ad omnia*, exiſtimamus eſſe monſtrum in Anonymi cerebro natum monſtroſiſſimum: nam ſi eam à Deo diſtinctam ſtatuat, duos habebit Deos, ſin minus, nullum niſi mundum ex individuis compoſitum; nam quod omnia poteſt, neceſſario Deus eſt, & cujus potentia non alia quam individuorum, id nec aliud ab iis poteſt eſſe. Et præterea rationalisne, an irrationalis illa foret natura, corporea an ſpiritualis, an compoſita ex utroque? quodcunque elegerit, perquam abſurdus erit.

§. 4. Non itaque *unumquodque individuum jus ſummum habet ad omnia quæ poteſt*, ſed tantum ad ea quæ poteſt ſecundum præſcriptas regulas à Deo & naturæ inſcriptas. *Conatur* quidem *unaquæque res corporea, quantum in ſe eſt, perſeverare in ſuo ſtatu* motus vel quietis, idque *ex ſumma lege naturæ*: ſed nec conatus ille, nec lex ea, ponunt aliquam in iis cogitationem, ex qua procedat iſte conatus & obſervetur talis lex, nec proprie ſumuntur; ſed hic ſignificant ordinem ſecundum quem Deus voluit irrationalia corpora ad mutuum in ſe invicem impulſum moveri inter ſe & quieſcere. Et idcirco inepte hæc applicantur creaturis rationalibus ſeu cogitantibus, quæ ſuas actiones cum ratione & conſcientia tenentur inſtituere ſecundum præſcriptam à Deo & cognitam ſibi legem. Nec ſic moventur & quieſcunt corpora, *nulla alterius, ſed tantum ſui habita ratione*, nam non niſi inter alia, & ad diverſum eorum impulſum moventur & quieſcunt: non enim concipi poteſt unum ſingulare corpus ita moveri & quieſcere niſi in ordine ad alia inter quæ movetur & quieſcit.

§. 5. Concedimus *quamvis rem ſummo jure agere, quicquid ex legibus ſuæ naturæ*, à Deo inditis, *agit*. Sed magis aguntur irrationalia, & inſtinctu naturæ pelluntur, quam agunt. Cum rationalia, quamvis à Deo etiam regantur & determinentur, ſe quoque regant & determinent in ſuis actionibus, de- pag. 176.

 pen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pendenter ſeu cum & ſub Deo. Et idcirco de illis quidem verum eſt, *quod aliud non poſſint quam prout ex natura determinata ſunt*; ſed de his falſiſſimum eſt, nam quicquid agunt, libere agunt, & cum rationali complacentia. Certo quidem determinantur à Deo, ſed id nihil obeſt libertati, nam non niſi ad libere perficiendas actiones determinantur. Nec contra quam Deus eas determinavit, poſſunt agere, ſed quidem contra quam ſeſe determinarunt, in contrarium ſe determinando, nam ſuæ determinationis cum ſibi tantum ſint conſcii, & divina adeo occulta, quamvis omnino efficax & infallibilis, ut non ſentiant ſe aliunde quam à ſemetipſis determinari; merito dicitur quod aliud poſſint agere quam agunt; quamvis dici nequeat quod poſſint agere contra determinationem divinam.

§. 9. Abſurde itaque hinc concludit, quod *ſicuti Sapiens jus ſummum habet ad omnia quæ ratio dictat, ſic etiam ignarus, & animi impotens, ad omnia quæ appetitus ſuadet*, quia ſcil. uterque agit ex legibus ſuæ naturæ, & aliud non poteſt. Nam cum ipſa ignorantia & animi impotentia culpabilis ſit, & omnes appetitus ratione regendi ſint, juri naturæ manifeſte repugnat creaturam rationalem non rationis ſed appetituum ductum ſequi. Nec ageret ignorans ille ex legibus ſuæ naturæ, ſed uti in cognoſcendo ſua culpa deficit & ignorat quod natura dictat & docet, ſic & in agendo deficeret ab eo quod præcipit & prohibet. Et poſſet aliud à natura, ſi non ipſe ſua culpa ſe tali potentia privaſſet. Ita ut ille ignarus nullo modo ſequatur ductum naturæ, ſed naturam & rationem, & conſequenter omne jus naturale deſerens, contra naturam ſequatur deficientes à natura ſuas cupiditates & agat id quod non debet, atque ita ſe ineptum reddat ad agendum quod debuiſſet & potuiſſet ſi naturam à Deo inditam, ſeu rectam ſecutus fuiſſet rationem. Et falſum eſt *quod Paulus*, quem hic teſtem adducit, *ante legem, hoc eſt quamdiu homines ex naturæ imperio vivere conſiderantur, nullum peccatum agnoſcat*. Nam expreſſe docet eos qui ſine lege peccarunt, ſine lege perituros, & conſcientias gentilium, legem non habentium, ſe inter ſeſe etiam accuſare Rom. 2. 12. 15. Si tamen homines imperium rectæ à Deo conſtitutæ naturæ ſecuti fuiſſent, ſemper Deo obedientes, & natura facientes ea quæ legis ſunt, legem non habentes, ſibi ipſis lex forent inquit Paulus, Rom. 2. 14. & ita ſub rectæ naturæ ſeu rationis imperio viventes, non tamen ſine lege omni, quamvis ſine lege Moſis, vixiſſent nec ſine peccato, ſimulac defeciſſent. Rom. 7. 7. Paulus poſt Doctrinam de liberatione noſtra à lege, adverſus iniquos legis adverſarios ſuſcepturus patrocinium ejus, & Sanctitatem, utilitatem, ac neceſſitatem ejus demonſtraturus, proprio ſuo exemplo quidem declarat, quam utilis ſit ad peccatorum cognitionem & fatetur ſe olim in Phariſäiſmo, cum aliis illius ſectæ, legem tantum de externa diſciplina interpretantibus, internam cordis impuritatem & appetituum ἀταξίαν pro peccatis non habuiſſe, ſed jam divina gratia lege accuratius conſiderata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rata, & intellecta, probe noviſſe, eadem à lege damnari & eſſe peccata, ſed nullo modo, ſe tunc vel fuiſſe ſine lege, vel ſolo naturæ imperio vixiſſe, vel nullum agnoviſſe peccatum, uti hic infert Anonymus, quippe quæ prædictis ex ejuſdem Epiſtolæ cap. 2. manifeſte repugnant. Ita ut nec Paulum ullo modo patronum habeat abſurditatis ſuæ, ſed adverſarium apertiſſimum.

§. 7. Ineptiſſimum itaque quod concludat *Jus Naturale uniuſcujuſque hominis, non ſana ratione ſed cupiditate & potentia determinari.* Nam contradictorium eſt, aliquid eſſe juſtum & non ſanæ rationis. Vel in ſana ſeu nulla ratione directa cupiditate, & irrationali potentia, quæ nil niſi brutus impetus eſſe poteſt, determinari jus naturale. Nec verum eſt *quod omnes naturaliter determinati non ſint ad operandum ſecundum regulas & leges rationis*: nam repugnat creari rationalem creaturam quæ, non ſit determinata ad operandum ſecundum regulas & leges rationis: ſi enim rationalis ſit, non niſi ſecundum rationem agere & vivere poteſt & tenetur: quod à ratione nonnunquam deficiat, imperfectio eſt: ſed tamen ideo non poteſt negari quod determinata ſit ad operandum ſecundum rationis regulas. *Naſcantur omnes rerum omnium ignari: tranſeat etiam magna pars ætatis antequam homo veram vivendi rationem noſcere poſſit, & virtutis habitum acquirere; & teneatur interim vivere, ſeque quantum in ſe eſt conſervare*: An ideo determinati non ſunt ad operandum ſecundum rationem & *ſolo appetitu impulſi* vivere tenentur. Nihil minus. Nam præterquam quod in nullis tam craſſa ſit ignorantia, ut nulla ratio reliqua ſit; cum maneat creatura rationalis, quamvis ignorans; & impoſſibile ſit concipere creaturam rationalem quæ non ſit determinata ad operandum ſecundum rationem: quis negabit eam ignorantiam eſſe culpabilem, & juſtiſſimo Dei judicio reperiri in homine peccatore, ea ſcil. ignorantia ex qua tot in nobis oriuntur defectus & peccata, antequam ad plenam judicii maturitatem perveniatur: tranſit etiam eo major pars ætatis antequam quis veram obtineat vivendi rationem quo quis magis, ex illa culpabili ignorantia rationis uſum deferens, ſe tradiderit cupiditatibus & inordinatis appetitibus ſuis: quod cum omnino culpabile ſit hinc nullo modo concludi poteſt, quod non omnes naturaliter obſtricti & determinati ſint ad operandum ſecundum rationis leges, ſed tantum quod culpabili ſuo vitio ſuas operationes quas in conſervationem ſui, quantum poſſunt præſtare tenentur ſecundum rationis regulas non determinent uti debuiſſent.

§. 8. Sed inquit, *natura iis nihil aliud dedit, præter* appetitus impulſum ſcilicet, *& actualem potentiam ex ſana ratione vivendi denegavit, & propterea non magis ex legibus ſanæ mentis vivere tenentur, quam felis ex legibus naturæ leoninæ* Quo nihil abſurdius. Nam ſic actu deſtitueretur omni ratione & rationalitate, quippe cujus eſſentia concipi nequit, niſi actu cum conſcientia,

id eſt, rationaliter operoſa ſeu actuoſa concipiatur. Deinde cum non niſi ratio actu hominem faciat, quivis naturaliter ratione deſtitutus, ſeu privatus actuali potentia vivendi ex ratione, neceſſario deſinit eſſe homo, nec magis homo, denominari poteſt, quam felis Leo. Non quidem tantam natura concedit perfectionem utendi ratione in infantia ac virili ætate, omnes enim quotidie proficimus, & matureſcit rationis uſus, ſed non ideo omnem utendi ratione potentiam actualem denegavit, nec aliquis poteſt concipi ratione præditus, qui eadem ſecundum proportionem ætatis ſuæ non tenetur recte uti, & ſuas operationes ſecundum eam inſtituere: nam nulla hominis aut rationalis creaturæ ætas aut exiſtentiæ pars qua non poſſit peccare, id eſt, à ratione, ſecundum quam agere tenebatur, deficere. Et idcirco ſimulac homo magis homo eſt, quam felis eſt Leo, magis etiam ex rationis regulis, quam appetitus impulſu vivere tenetur.

§. 9. *Quicquid* itaque *quis ſine ſana ratione*, *ſolo affectuum impetu ſibi utile*, naturaliter ſeu ſub ſolo naturæ imperio, *judicat*, id manifeſte contra naturæ legem appetit, & per errorem ſibi utile cenſet licet etiam forte verum attingeret: Et univerſim, omnem rationem deſerit, ſeu multiplici rationis abuſu, plurimum à rationis regulis deficit, *ſi ea*, *quocunque demum modo facilius poterit*, *ſive vi*, *ſivi dolo*, *ſive precibus ſibi capere velit*, *& eum pro hoſte habere*, *qui impedire vult*, *quo minus animum expleat ſuum*: nam in omnibus illis irrationales appetitus, intolerabili tyrannide, ejecta & in ſervitutem redacta ratione, imo plane neglecta & abnegata, dominium tenent, quod Naturæ apertiſſime repugnat, quæ dictat rationali Creaturæ non niſi rationaliter ſeu ex rationis legibus determinandas eſſe ſuas actiones.

§. 10. Unde ſequitur *Jus & Inſtitutum Naturæ ſub quo omnes* homines *naſcuntur*, *& vivere tenentur*, nihil non *prohibere* quod legibus rectæ rationis adverſum eſt, licet omnes id cupiant & poſſint, non autem *id tantum quod nemo cupit & poteſt*. Nam etiam omnis noſtra cupido & potentia rationi ſubſunt. Ita ut *Naturæ* & rectæ rationis regulis manifeſte *adverſentur*, *omnes contentiones*, *odia*, *iræ*, *doli*, *& quicquid abſolute* ſine ratione *ſuadet appetitus*. Nam licet totius univerſitatis creatæ *natura*, *non legibus humanæ rationis*, quæ non niſi humanarum actionum directionem intendunt, *intercludatur*, *ſed*
pag. 177. *& infinitis aliis*, *quæ totius naturæ*, *cujus homo particula eſt*, *æternum ordinem reſpiciunt*: Homo tamen inter omnia creata, tanquam univerſitatis particula, conſtitutus non eſt, niſi ut creatura rationalis quæ naturaliter obligata eſt, omnes ſuas operationes ſecundum leges & regulas ſanæ rationis inſtituere, & quæ peccat ſimul ac eas deſerit & ab iis deficit, ac propterea pœna digna eſt, & ſuo tempore, ordine, & modo punienda eſt, quibus omnibus Deus in ordine totius naturæ ſuum locum ſapientiſſime conſtituit,

dirigens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

dirigens hæc & omnia alia potentiſſime in unicum ſibi propoſitum finem.

§. 11. Atque hinc quidem contingit, *quod nobis, qui res tantum ex parte novimus, totiuſque naturæ ordinem & cohærentiam maxima ex parte ignoramus, & qui omnia ex uſu noſtræ rationis dirigi volumus*, ignorantes quod ejus cogitationes & viæ non ſint, uti noſtræ Jeſ. 55. 8. & 40. 13. aliquando *quid abſurdum videatur & malum* vel inordinatum in natura, quod eſt recte ordinatum, nam etiam ea quæ nobis maxime confuſa, inordinata, & fortuita videntur, imo ipſum malum noſtrum & peccata Deus in ſibi propoſitum finem ſapientiſſime dirigit, ſi totius univerſitatis ordinem reſpiciamus. Nec abſurdus poteſt dici ordo ille, in quo etiam noſtris peccatis & eorum pœnis locus eſt, cum Sapientiſſimus Deus incomprehenſibili nobis Sapientia hæc omnia dirigat in bonum. Sed tamen ideo peccatum non deſinit eſſe noſtrum malum, deficit enim ab ordine & regula ad quam nos obligari voluit Deus, licet non deficiat à totius univerſi ordine quem Deus conſtituit, & ſolus penetrat, & quo ex quovis malo pro ſumma ſua ſapientia bonum elicere novit, quem nullo modo conſtituit actionum noſtrarum regulam, ita ut inde non recte dicantur bonæ vel malæ; ſed ſolis rectæ rationis regulis, ſecundum quas Deus humanas actiones inſtitui voluit.

§. 12. Verum enim vero quamvis naturaliter licitum exiſtimet affectuum impetum ſequi, & quicquid appetitus ſuadet vi, dolo, precibus, per contentiones, odia, iram, vel quocunque modo facilius poterit, abſque ſana ratione, proſequi, *hominibus* tamen *utilius* cenſet, *ſecundum leges & certa noſtræ rationis dictamina vivere*, quippe quæ *non niſi verum hominis utile intendunt.* Præterea concedit *nullum ſecure extra metum vivere poſſe, quamdiu unicuique ad lubitum omnia facere licet, nec plus juris rationi quam odio & iræ conceditur.* Unde patet quod ſecundum ipſum, hominibus utilius ſit, & tutius ad ſecure vivendum, quod naturam deſerat quam ſequatur; quo nihil ineptius, cum Deum mali auctorem ſtatuat. Nobis tamen hoc veriſſimum eſt, hominem utilius & tutuis rationem affectibus præponere, cum exiſtimemus eum naturaliter non niſi ex rationis dictamine vitam recte inſtituere poſſe, & irrationaliter vivere, quamdiu affectuum impetus plus valet, quam ratio. Præterea *homines ad optime & ſecure vivendum neceſſario in unum conſpirare debuiſſe, & effeciſſe, ut jus quod unuſquiſque ex natura ad omnia habebat, collective haberent*, natura, ſeu naturalis ratio manifeſtiſſime dictat; nec id negare potuit Anonymus: Sed *tamen*, ut ipſe fatetur, *fruſtra id tentaſſent, ſi, niſi quod appetitus ſuadet*, ſeu naturam, *ſequi vellent*; *ex legibus enim appetitus unuſquiſque diverſe trahitur.* Ita ut natura rationalis ex noſtra ſententia cum ratione tendat in ſuam utilitatem, conſervationem, & bonum: at ſecundum Anonymum per irrationales ſuos appetitus & affectus ſibi ſuum malum, dam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

num & interitum procuret. Plane contra regulam, quam ſupra pag. 175. quamvis non ſatis recte, protulit, & ſummam naturæ legem dixit, ut ſcil. unaquæque res in ſuo ſtatu, quantum in ſe eſt, conetur perſeverare.

§. 13. Pergens, demonſtrandum ſuſcipit, *qua ratione, ut ratum fixumque ſit, iniri debeat hoc pactum*, quo *quiſque firmiter ſtatuere & paciſci debuit, ex ſolo rationis dictamine omnia dirigere, & appetitum, quatenus in damnum alterius* ſcil. ſine ratione, *aliquid ſuadet, frenare.* Ad quod nos naturaliter etiam ſine pacto obligatos exiſtimamus, quia homines ſumus, & ideo ex rationis dictamine omnes noſtras actiones inſtituere tenemur. Sed videamus, *pag. 178.* quam belle hic procedat Anonymus. Præmittit univerſalem regulam, quæ dictat, *ex duobus bonis, quod majus, & ex duobus malis, quod minus unicuique videtur, eligendum eſſe.* Atque inde non tantum concludit, *neminem abſque dolo promiſſurum ſe jure, quod in omnia habet, ceſſurum*, quod forte concedi poſſet, cum talis promiſſio non tantum illicita ſed & impoſſibilis ſit, & idcirco nec ſine, nec cum dolo recte fiat: ſed etiam *abſolute neminem promiſſis ſtaturum, niſi ex metu majoris mali & ſpe majoris boni.* Quo nihil abſurdius & in omni ſocietate deteſtabilius dici poteſt, nam eo ſimul omnis tollitur & diffringitur fides & veracitas: niſi forte præter hujus intellexerit etiam alterius vitæ bonum & malum, de quo tamen ne minimum quidem veſtigium apparet in toto ejus tractatu. Licet enim talia inirentur pacta, quid prodeſſent, cum omnes non minus appeterent quod irrationalibus ſuis appetitibus & affectuum impetu appareret bonum majus, & vitarent quod minus malum videretur, quam ſi nulla pacta fuiſſent. Sed ſi ſtatuamus veracem Deum falſitatis & mendacii juſtiſſimum eſſe vindicem, & veracitatis omniumque virtutum munificentiſſimum remuneratorem etiam poſt hanc vitam, negari non poteſt quin præter reverentiam erga Deum & virtutis amorem etiam mali metus & ſpes boni, nos promiſſis ſtare faciant; docet enim prædicta regula quemvis defectum à Deo, ratione recta, ſeu virtute, utpote malum quovis corporeo hujus vitæ incommodo majus, mendacio & infidelitate commiſſum, magis etiam evitandum eſſe. Et contra fidei & veracitatis exercitium, quod recta ratio dictat, & Deo conforme eſt, quovis corporeo commodo, per mendacium & infidelitatem obtinendo, majus, ei etiam longe præponendum eſſe.

§. 14. *Siquis* itaque *cogatur à latrone ut promittat ſe ipſi daturum ſua bona, ubi voluerit* jure ſe adverſus eum defendit, quocunque medio potuerit, quod recta ratio dictat, minime vero quod à ratione deficit, & idcirco nunquam ſe mendacio aut infidelitate defendere poteſt, utpote quæ malum quid ſunt, quovis corporeo, à latrone, infligendo, majus. Cum autem dolus, abſque mala & deficiente voluntate, quantum ego quidem capio, committi nequeat, etiam natura vetat, ſe adverſus talem, dolo defendere. Niſi quis forte demonſtrare

poſſit,

poſſit, dolum non malum, ſed bonum quid eſſe, & minime peccaminoſum aut rationi adverſum, quod hactenus videre non licuit: diſtinguunt quidem Juris Conſulti inter dolum bonum & malum, ſed ſi de malo non agat Anonymus, nihil dicit, nam dolo bono ſeſe defendere, nullus jure culpaverit, & malum adhibere illicitum jam demonſtravimus. Quare ſi quid promittat, quod præſtare jure poteſt, quantum in ſe eſt, præſtare tenetur; quamvis huic vitæ quoddam adferat incommodum non parvum, ſi modo minus eo, quod à latrone metuendum ſana ratio dictabat. Si quid vero promittat quod nullo jure præſtare poteſt, non tantum quamvis optimum ex eo reportaverit hujus vitæ commodum male promiſit, ſed etiam peſſime promiſſis ſteterit, nam adverſus rationem agere inſtituit & pergit, & malum ſibi creat quovis incommodo majus, ſi præſtiterit.

§. 15. Quare *ſi quis abſque fraude cuiquam promittat, ſe ſpatio viginti dierum non guſtaturam cibum neque ullum alimentum*, is proculdubio continuaret malum, in quod, non quidem per fraudem, ſed plane culpabili ignorantia, prolapſus fuerat; nam hoc nullo jure promittere poterat aut licitum erat. Et cpnſequentur, cum longe mains bonum ſit, abrumpere malum bono, quam inhærere malis, procul omni dubio præſtat tale promiſſum non ſervare, quam ſervare. Sed ſi tamen quis aliquid promiſiſſet, quod poſtea videret ſibi noxium & incommodum, imo magis noxium quam quod ea promiſſione conabatur evitare, ſi modo jure promiſſis ſtare poſſit, tenetur, & majus illud incommodum tanquam juſtam culpabilis ſuæ ignorantiæ pœnam, divina providentia, ſibi à ſeſe inflictam, patienter ſuſtinere, ac ſe ſibi ejus mali cauſam agnoſcere, nam quantumcunque fuerit illud malum, ſemper minus eſt, eo, quod infidelitate, vel alio a ratione defectu, ſibi procrearet. Cum econtra majus evitet malum, ſi nullo jure promiſſis non ſteterit, & quaſi ad rectam, quam deſeruerat, rationem redeat, evitat enim defectus à ratione continuationem quæ ſummum malum, & adverſus Deum non parva infidelitas eſt: Ita ut talis promiſſionis injuſtæ ruptura, coram Deo non infidelitas, ſed fidelitas haberi debeat, & erga proximum ſit fidei, cum infidelitate circa Deum datæ, juſtiſſima correctio, per fidem Deo nunquam denegandam.

§. 16. Atque adeo plane abſurde concludit, *pactum nullam vim habere poſſe niſi ratione utilitatis*, ſcil. hac vita in corpore obtinendæ, nam de alia nihil innuit, aut ex ſuis principiis dicere poteſt, cum animam ſubſtantiam à corpore diverſam nullibi fateatur, nam præter eam etiam conſcientia boni & mali futuri; ut & innata cuivis erga Deum reverentia; nec non ex rectæ rationis dictamine profluens amor virtutis, quæ etiam ſub ratione eligendi boni & evitandi mali venire poſſunt, quemvis obſtringunt ad ſtudioſam pactorum obſervantiam.

§. 17. Cæterum cum homines, mala ſua voluntate, & maximo ſuo malo, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

lo, quod tamen ſua culpa multi ignorant, hæc pro eligendis bonis non habeant & eorum oppoſita malis evitandis non annumerent, ſed cum Anonymo tantum externa & hujus vitæ bona & mala curantes, & abſque ſana ratione ſuis affectibus & appetitibus ducti, cætera plane negligunt nihil, penſi habentes, quid de illis fiat, concedimus prudentiam inter homines vivendi exigere, ut ad noſtram certitudinem, de futura ineundi cum aliis pacti firmitate efficiamus, vel *efficere conemur*, *ut ex ruptione pacti ineundi plus damni quam utilitatis rupturum ſequatur*, idque ad mentem ipſius, id eſt, talis damni, quod ipſe pro tali habuerit: Nam abſque eo, poſita ea hominum malitia, & defectu à recta ratione, omnis cujuſvis pacti certitudo tolleretur & plane periret. Et pactum non pactum eſſet.

§. 18. Idque *in Republica inſtituenda* inter homines, qui per peccati corruptionem omnes ſunt tales, *maxime locum habere*, negari non poteſt. Nam *quibuſcunque ſignis ſimplicis* ſeu probi & juſti *animi*, externe *promittant*, *& paciſcantur*, *ſe fidem ſervaturos*, *nemo tamen*, *niſi promiſſo aliud accedat*, *de fide alterius*, quantum ad prudentiam politicam ſufficit, *ſatis poteſt eſſe certus.* Cum enim cætera mala & bona, licet ſumma, & maximo ſuo malo negligant, non niſi his externis ad pacti obſervantiam adſtringi poſſunt. *pag. 179.* Ita ut non jus naturæ, quod Anonymus abſurde dicit cuique concedere, dolo agere & pactis non ſtare, niſi ſpe majoris talis externi hujus vitæ boni, & mali metu, talis alicujus mali vel boni, pactis ad requiſitam inter homines certitudinem annectendi, neceſſitatem introduxerit, ſed inquiſſimus hominum à Naturæ jure, à Ratione & à Deo defectus.

§. 19. Deinde cum inter ita deficientes homines nullus ſuum jus & juſtitiam, ab eorum affectuum & appetituum impetu, coniuncto cum vi & potentia qua pollent, tutum conſervare poſſit, abſque vi & potentia, qua eorum violentiæ, ſecundum rectæ rationis regulas, reſiſtatur; neceſſarium eſt, ut ei, in quem ſocietatem inituri noſtrum conferimus jus, etiam eam tribuamus potentiam, qua eget, ut illud jus in ſe collatum, nobis inviolatum conſervet & defendat. Sed *ſolam potentiam uniuſcujuſque jus naturale determinare*, *& illum ſummum jus in omnes habere qui* vel vi, vel alio quovis modo præter ſpontaneam delationem, *ſummam habet poteſtatem*, *qua omnes vi cogere*, *& metu ſupplicii ſnmmi*, *quod omnes univerſaliter timent*, *retinere poteſt*, Omnino falſum eſt, nam impoſſibile eſt, potentiam, vel contra rationem acquiſitam, vel non ſecundum rationis dictata adhibitam, & uſurpatam, eſſe fundamentum juris naturalis, ſeu ex rationalis creaturæ natura profluentis, nihil enim rationi adverſum jus naturale creaturæ ratione præditæ determinare poteſt. Qui ſummum habet jus, ob hominum iniquitatem, ſumma quidem eget poteſtate, ut defendat: ſed qui

ſummam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſummam habet poteſtatem non ſummum jus, niſi ſimul cum poteſtate conceſſum fuerit. Poteſt quidem ſumma ſua poteſtate violenter aliorum jus invadere & rapere ſibi, ac vi & metu, retinere, ſed rationi & naturæ repugnans violentia eſt, & homini intolerabilis, ſi legitime avertere poſſit, juris violatio. Et eadem ratione poteſt quidem is qui ſummam habet poteſtatem & quivis pro ratione ſuæ poteſtatis, determinare naturalis juris uſum, eum vel promovendo vel impediendo de facto, alios vel violando, vel violatos defendendo, idque rectius vel pejus prout magis vel minus cum ratione, ſed nunquam potentia, quæ omnibus æqualiter non competit, determinare poteſt ipſum jus naturale, omnibus commune quod non niſi ex recta ratione, quæ omnibus conceſſa fuit, profluit. Tenetur enim etiam fortior obedire, ſi recta ratio obedientiam doceat, imo tenetur omni ſua potentia procurare pro officio, ut debita præſtetur obedientia illi cui ratio obtemperandum dictat, nam quemadmodum omnia quæ ſunt rationalis creaturæ rationi ſubſunt, ſic & potentia, qua quis idcirco non niſi ratione, ſeu jure, utatur legitime; ita ut ſemper potentia jus ſequatur, non jus potentiam, & hæc ſecundum illud, non illud ſecundum hanc determinandum & limitandum ſit.

§. 20. Ad formandam itaque Societatem inter homines liberos requiritur quidem, ut tantum de noſtro jure, & potentia illud conſervandi alicui concedamus, quantum ad ſocietatem communi conſenſu conſervandam commodiſſime neceſſarium exiſtimatur, nullo modo vero ut quis omne ſuum jus quod natura donavit, & omnem quam habet potentiam, in alium transferat; ſic enim nulla poſſet iniri ſocietas abſque ſervitute; imo homines eſſe deſinerent, & inſtar brutorum ac irrationalium mancipiorum ad arbitrium imperantis huc & illuc impellerentur, quicunque ſocietatem ſuſciperent: nam quæ pag. 180. dicit, ſolam actionis rationem, ſcil. ſi fiat in utilitatem operantis tantum, ſervum facere, nihil ad rem faciunt; nam quam utilitatem quis ſperare poſſet ex omni ſuæ rationis abnegatione; ita eſt quaſi quis qui ſine duce quoddam iter inſtituere non poterat, in ſuam utilitatem conficiendi itineris, mandaretur ſuos eruere oculos, quo nihil ineptius. Sed cum ipſe Anonymus in initio capitis ſequentis, quicquid hic dicit, *de jure ſummarum poteſtatum in omnia, deque omni jure naturali uniuſcujuſque in eaſdem tranſlato*, ut quiſque omnia abſolute ſummæ poteſtatis mandata teneatur exequi, tametſi abſurdiſſima imperet, maxima ex parte pro *mere theoretica quadam habeat contemplatione*; & revera nil niſi Platonica quædam idea ſit, imo vix talis cum non paucas contineat abſurditates, quæ ad praxin nunquam reduci poteſt, iis examinandis fruſtra tempus & chartam impendamus. Oleum enim & operam perderemus.

§. 21. Antequam tamen manum de tabula. Notandum, nos *nullam* admittere poſſe *ſummam poteſtatem* creatam, *quæ nulla lege naturæ foret*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

obſtricta, & cui omnes ad omnia, tametſi abſurdiſſimas parere tenerentur. Qualem Anonymus deducit ex abſurdiſſimo ſuo fundamento, nulla ratione probato, de transferendo omni naturali jure & potentia cujuſque Societatem formantis; nam quantacunque fuerit; humana manet, & idcirco humanæ naturæ legibus ſubjecta; & à rectæ rationis dictatis deficere poteſt, iiſque adhærere tenetur, ac Deo ſuarum actionum rationem reddere; & ipſi juri naturali ac rectæ rationi manifeſte repugnat, quemquam ſe alteri etiam ad abſurdiſſima, & naturæ rationali adverſa ſubjicere, hoc enim foret ipſum jus naturale
pag. 180. & Deum abnegare, ac homini magis obedire quam Deo. *Raro contingat, ut ſummæ poteſtates abſurdiſſima imperent, cum ipſis, ut ſibi proſpiciant, & imperium retineant, maxime incumbat, communi bono conſulere, & rationis dictamine dirigere*, id tamen minime ſufficit, nam plane repugnat id unquam jure fieri poſſe; poſſet enim jure fieri quod naturalis juris dictatis aperte adverſatur; nec à prudentia, gratia, vel appetitu ullius hominis poteſt ſuſpendi, cum immutabile jus naturæ, à Deo dictatum & inditum, cui omnes ſubſunt, omnino deſtruat.

§. 22. Nec eadem de cauſa ſufficit, quod *minus timenda ſint in Democratico imperio*, nam cum repugnent, nunquam jure poſſibilia debent ſtatui. Novimus talia præcipi poſſe, etiam à quacunque poteſtate, aliis præpoſita, & ſubditos, ſi ſatis habuerit efficaciæ, ad eos cogi, præcipue ſi vel non adſint media vel potentia ſe adverſus tantam injuſtitiam defendendi; ſed ea violentiſſima tyrannis foret, quam nullus abſque abſurditate jure exerceri dixerit, & cujus quiſque coram Deo reus etiam rationem reddere tenebitur, imo adverſus quam quiſque ſe jure naturæ, mediis à recta ratione ſubminiſtratis, defendat, & quantum in ſe eſt tueatur, vel id non potens niſi per injuſtitiam & peccatum, potius quam id committat, ſe ad patientiam præparet, & Deo rem committat, ſemper interim majus exiſtimans malum ſummæ poteſtati obtemperare in iis quæ Deo & naturæ repugnant, quam quod ſæviſſimus tyrannus ſumma cum injuſtitia poſſet infligere.

§. 23. *Non* quidem *ſubditus aliud jus agnoſcere debet*, in republica publicum, *quam quod ſumma poteſtas jus eſſe declarat.* Sed tamen ſi ſumma poteſtas ipſam naturam deſerens, ea quæ Deo & naturæ repugnant apertiſſime, & in ſocietate qua vivit pro talibus habita fuerunt, pro jure habeat, nullus recte & jure à Deo & natura diſcedit & ſummæ poteſtati adhæret, ſed quantum poteſt, jure ſe à tali iniquitate retinet, & eventum Deo committit, ex recta ratione paratus potius quævis perferre, quam ſe contra naturam opponere Deo. Sunt enim cuique innata communia quædam naturæ præcepta, quæ nullus legitime trans-
pag. 181. greditur. Et cum fatente Anonymo *is liber ſit qui integro animo ex ſolo ductu rationis vivit, & ideo illa Reſpublica maxime libera, cujus leges ſana ratione fundatæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

datæ ſunt, impoſſibile eſt quemquam abſque iniquiſſima ſervitute, omni rationi plane adverſa, vivere in ſocietatur vel republica, cujus ſummæ poteſtates nulla naturali legi obſtrictæ, quævis, etiam abſurdiſſima ſeu naturali jure adverſa, imperare poſſunt, idque jure, & in qua ſubditi, non tantum omnibus, etiam his, earum mandatis obtemperare, ſed nullum aliud in republica jus agnoſcentes, quam quod ſummæ poteſtates jus eſſe declarant, etiam abſurdiſſima ea mandata contra rectam rationem pro jure habere tenentur. Nam quid minus eſſet integro animo ex ductu ſolius rationis vivere, & leges ſana ratione fundatas ſequi, quam hoc ipſum. Hæc autem non tantum de imperio Monarchico, ſed etiam Ariſtocratico, & Democratico, veriſſima puto, nam ſive unus, ſive pauci, ſive omnes, ſummam habentes poteſtatem, nulli naturali legi obſtrictam, etiam abſurdiſſima & naturæ adverſa, communi conſenſu habita imperent, & ſubditi ea pro jure agnoſcere teneantur, & obſervare, æque abſurdum & rationi, ac idcirco libertati, adverſum eſt. Hoc circa adſtructa ab Anonymo imperii fundamenta, quæ initio ſequentis capitis, minus ſolida, vel utilia ſaltem agnoſcere videtur, neceſſario notandum videbatur, ne tantum abſurdum quemquam ſeduceret à vero.

§. 24. Ex hiſce imperii fundamentis & jure, terminorum quorundam ſignificationes determinare, quod eſt definire nomina, aggreditur quibus & nos ea quæ de iis fundamentis jam diximus breviter applicabimus. Primo dicit ſe per *jus civile privatum* nihil aliud intelligere *quam uniuſcujuſque libertatem ad ſeſe in ſuo ſtatu conſervandum, quæ edictis ſummæ poteſtatis determinatur, ſolaque ejuſdem auctoritate defenditur.* Sed qualem habebit libertatem qui non niſi alterius etiam abſurdiſſima ratione vivere tenetur eamque pro jure habere. Secundo dicit, *Injuria eſt, cum civis vel ſubditus ab alio aliquod damnum contra jus civile, ſive edictum ſummæ poteſtatis, pati cogitur.* Quomodo ergo denominabit damnum, quod contra jus naturale, & ſanam rationem patitur? Quomodo illud quod ex abuſu ſummæ poteſtatis patitur? Sed, ut video, negat, *à ſummis poteſtatibus* ullam *ſubditis poſſe fieri injuriam*, quippe quibus *jure omnia licent*, etiam abſurdiſſima ſcilicet, quod quam ſit abſurdum mox diximus. Tertio inquit, *Juſtitia eſt animi conſtantia, tribuendi unicuique quod ei ex jure civili competit.* Nulla itaque juſtitia naturalis. Et juſtum erit jus civile licet abſurdiſſima & rationi adverſa præſcribat. Quod idem dicendum de *injuſtitia*, quæ ipſi eſt *ſpecie juris alicui detrahere, quod ei ex vera legum interpretatione competit.* Quarto definit *Confœderatos* non adeo inepte: ſed quæ addit de *fundamento certitudinis in pactis*, quam abſurda ſint, ſupra demonſtratum ad pag. 178. & 179. Quinto *Hoſtem* definit, *quicunque extra civitatem ita vivit, ut neque ut confœderatus, neque ut ſubditus imperium civitatis agnoſcit.* Verum ſi quiſque ſuis contentus fuerit, nec alteri dammum aliquod

pag. 182.

pag. 183.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

inferat, hic nulla ſe prodit hoſtilitas; quamvis negari non poſſit, quod is talis ſit ſtatus, qui hoſtilitatis proximus, imo qui vix unquam abſque hoſtilitate inter homines peccato corruptos poſſidetur, cum ad utriuſque ſecuritatem requiri videatur, ut vel ineatur pactum, vel per bellum ad ſecuritatem perveniatur. Et quamvis fateamur quod *talis quis* ſi juſta metus cauſa ſubſit, *à civitate jure poſſit cogi ut vel per deditionem vel confœderationem*, vel alia quavis ratione juſta metus cauſa; etiam ad arbitrium tertii, nullo modo participantis communi conſenſu conſtituti, ſi partes inter ſe convenire non poſſint, tollantur. Nullo modo tamen concedere poſſumus, quod *jus civitatis in eum, qui ejus imperinm nullo contrahendi genere agnoſcit, idem ſit, ac in eum qui dammum intulit.* Cum hoc illatum dammum non tantum, cauſam metus de damno iterum inferendo, plurimum augeat: ſed etiam fundet actionem de damno reſarciendo, ad quod etiam bello jure cogi poteſt à ſumma poteſtate cui tale dammum intulit, quod nullo jure fieri poſſet adverſus eum qui dammum non intulit. Sexto definit *Crimen læſæ Majeſtatis*, & dicit id committere ſubditum *qui jus ſummæ poteſtatis aliqua ratione arripere, ſeu in alium tranſferrre conatus eſt.* Addens quod ad illud ſufficiat *conatus* licet careat ſucceſſu, quod abſolute *quacunque ratione* id fiat, tale crimen committatur, *ſive inde damnum ſive etiam incrementum Reipublicæ ſequatur.* Quæ improbari non poſſunt. Sed admitti nequit, quod in ſubdito, tale crimen committente requirat, ut ſecundum antedicta, *omne ſuum jus in civitatem tranſtulerit*, & ita ſervus ac brutum evaſerit mancipium. Sed hæc ſupra ad pag. 279. & 180. confutata fuerunt.

pag. 184. §. 25. Tandem quaſi *omnem ſcrupulum amoturus* circa id quod ſupra affirmavit, *unumquemque, qui rationis uſum non habet, in ſtatu naturali, ex legibus appetitus, ſummo jure naturæ vivere*, & demonſtraturus, *hoc juri divino revelato aperte non repugnare*, non veretur, perfricta fronte, ſummum illud abſurdum, quod ſupra diximus aperte repugnare naturæ, de *ſumma* ſcil. *poteſtate nulla lege naturali obligata*, cum abſurdiſſimis ſuis conſequentiis palam defendere, credens ſe tam irrationali aſſentatione, cujuſdam, taceo Chriſtiani magiſtratus, gratiam obtinere poſſe. Sic ſibi format objectionem. *Omnes abſolute (ſive rationis uſum habeant, ſive minus) æque tenentur ex mandato divino*, quaſi ex naturali non tenentur, uti nec tenentur, ſecundum ipſos, *proximum tanquam ſe ipſos amare; non ergo ſine injuria alteri dammum inferre poſſumus, & ſolis legibus appetitus*, abſque omni ſana ratione, *vivere.* Ad hanc reſpondet diſtinguendo inter *Statum naturalem* & *religionis*, & aſſerendo quod *ille, & natura & tempore prior ſit, religione. Nemo enim*, inquit, *ex natura ſcit, ſe ulla erga Deum teneri obedientia, imo nec ulla ratione hoc aſſequi, ſed tantum ex revelatione ſignis confirmata, unuſ-*

nuſquiſque id habere poteſt. Quare ante revelationem, nemo jure divino, quod non poteſt non ignorare, tenetur. Quis ullibi gentium, præter Atheos, hominum monſtra, quibus accedere Anonymum jam ſit apertiſſimum, aliquem audivit, ſimile quid eructantem, nullorum enim, niſi κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν cauteriatam habentium ſuam conſcientiam καὶ ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων & in hypocriſi falſa loquentium, poteſt eſſe talis διδασκαλία δαιμονίων doctrina dæmoniorum. Apoſtolus Rom. 2. 15. docet opus legis gentilium cordibus inſcriptum eſſe, atteſtante conſcientia, & eorum cogitationibus inter ſe accuſantibus & excuſantibus. Hic Anonymus vero non niſi per revelationem cognoſci Deo præſtandam eſſe obedientiam. Paulus Rom. 1. 32. quod gentiles abſque revelatione præternaturali jus Dei cognoverint. Anonym. quod non poſſint non ignorare, Paulus Rom. 1. 20. quod inexcuſabiles ſint. Anonymus quod nullo modo culpabiles. Paulus, quod, quia Deum cognoſcentes, eum non ut Deum glorificaverint, & gratias ei egerint, multis pœnis puniti fuerint. Anonymus quod id nullo modo tenebantur. Quis hæc conciliaverit? ubi manet hic Dei Juſtitia, de qua ſupra tam inepte Philoſophantem audivimus Anonymum: puniret enim homines propter omiſſionem ejus quod non tenebantur.

§. 26. Præterea quomodo hæc conveniunt cum iis quæ ſupra cap. 4. & initio 5. de lege naturæ dicit, ubi pag. 52. ex Prov. 16. 22. probare conatur, *humanum intellectum veræ vitæ fontem eſſe: & veram vitam fructum intellectus.* pag. 53. *Solum intellectum docere Deum Sapienter timere, hoc eſt*, ut inquit, *vera religione colere.* pag. 54. *naturalem ſcientiam Ethicam docere & veram virtutem.* Imo ibidem fatetur *Paulum* loco jam citato *ſatis clare indicare, unumquemque lumine naturali clare intelligere, Dei virtutem & æternam divinitatem, ex qua ſcire & deducere poſſunt, quid iis quærendum quidve fugiendum ſit, ita ut omnes ſine effugio ſint, nec ignorantia excuſari poſſint* pag. 55. *legem divinam omnibus hominibus univerſalem, ſe ex humana natura deduciſſe, & humanæ menti innatam ac quaſi inſcriptam exiſtimandam* dicit. quod etiam pag. 47. *ſummum* innatæ *legis divinæ* naturalis *præmium eſſe, ipſam legem, nempe Deum cognoſcere, eumque ex vera libertate, & animo integro & conſtante amare* &c. Ignem cum aqua componat qui hunc hominem in hiſce ſecum conciliaverit. Profecto oportet Anonymus vel non cognoſcat, vel neget ſe hominem eſſe, ſine revelatione ſignis confirmata, ſi enim id cognoſceret & concederet abſque revelatione, ſuam poſſet cognoſcere naturam humanam & intellectum, quem ipſe ſtatuit veræ vitæ fontem eſſe, & veram Ethicam docere, Deum ſapienter timere, vera religione colere, veram exercere virtutem, & admittere ea abſque excuſabili ignorantia, ex natura humana, ex qua ſe ea deduxiſſe ait, cognoſci poſſe, nec,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

nec, ut hic, ſtatueret, neminem ex natura ſcire, ſe ulla erga Deum teneri obedientia. Sed in hoc tractatu abnegata natura humana, vix humanam videtur, agere perſonam, adeo humanæ naturæ inobedienter, omnem naturaliter Deo debitæ obedientiæ cognitionem aperte, non tantum ab negat, ſed & ut hoſtis humanæ naturæ infeſtiſſimus, abnegandam, quantum poteſt, propugnat. Quare cum tali larva ſeſe deſtruente, non eſt quod diutius luctemur, nam ſua vanitate perit. *Status naturalis*, quo homo conſideratur ante & abſque pactis, *diſtinguendus* quidem eſt à ſtatu civili, quo conſideratur homo tanquam membrum Societatis per pactum initæ: ſed nullo modo diſtingui poteſt ut debet *à ſtatu religionis*, nam uti creatura rationalis abſque lege concipi equit, ita nec abſque religione: manet enim ſemper, etiam ante pacta cum aliis hominibus, à Deo dependens homo, & ſic Deo religatus, & ad obedientiam obſtrictus. Ita ut *ſtatus Naturalis abſque religione & lege* conceptus, manifeſtiſſima ſit contradictio.

§. 27. Quam inepte vero *Paulum adduxerit*, ad probandum quod in ſtatu naturæ nullum ſit peccatum, ſupra fuit demonſtatum ad pag. 176. quibus hic nihil eſt quod adjiciamus. Verum, ne quid abſurditatis deſit, addit Anonymus, *ſe ſtatum naturalem non tantum ratione ignorantiæ concipere ante jus divinum revelatum, & abſque eo, ſed etiam ratione libertatis qua omnes naſcuntur. Si enim*, inquit, *homines ex natura jure divino tenerentur, vel ſi jus divineum ex narura jus eſſet, ſuper fluum erat ut Deus cum hominibus contractum iniret, & pacto & juramento eoſdem obligaret.* Quaſi ſcilicet Deo ſervire libertati obeſſet. Nonne ipſe ſupra pag. 180. dixit illum ſolum liberum eſſe qui integro animo ex ſolo ductu rationis vivit. Aſt quid eſt ductus rationis, quam jus divinum quod ex natura jus eſt? An homo adeo liber naſci poteſt, ut careat humana natura, & mente cui ipſe fatetur innatam & inſcriptam quaſi naturalem & univerſalem legem divinam, quam, minus recte, dicit homines vere beatos reddere pag. 55. Nonne ipſe pag. 47. & 48. legem divinam naturalem dicit, & univerſalem omnibus, ac ſummum ejus præmium eſſe Deum cognoſcere, eumque ex vera libertate amare? quomodo ergo hic negat homines ex natura jure divino teneri, & jus divinum ex natura jus eſſe? quomodo ſtatum naturalem ratione libertatis ante jus divinum concipit? Et qualis quæſo eſt argumentatio, de ſuperfluitate pacti divini cum hominibus, ſi jus divinum ex natura jus eſſet? Quis enim ignorat primum pactum cum jure innatum fuiſſe, & nullum juramento confirmatum niſi id quod initum cum homine peccatore, ſub promiſſione gratiæ divinæ ad requiſitam obedientiam, poſt primi pacti rupturam ab homine factam, ita ut hoc pactum ſecundo initum non fuerit, ad homines plane liberos,& nullo modo ad obedientiam obligatos, obſtringendos ad obedientiam, & libertate quodammodo privandos, ſed ad patefacien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tefaciendam divinæ gratiæ menſuram incomprehenſibilem, hominibus, certa ratione divinæ voluntati, prout tenebantur à natura, obtemperantibus, præſtandam ex ſumma & unica Dei miſericordia. Et idcirco nullo modo ſuperfluum, ſed ſaluberrimum & ad humanam ſalutem utiliſſimum pactum fuit.

§. 28. Falſum itaque *jus divinum ab eo tempore demum incepiſſe à quo homines expreſſo pacto Deo promiſerunt in omnibus obedire, quo ſua libertate naturali quaſi ceſſerunt, juſque ſuum in Deum tranſtulerunt.* Nam præterquam, quod Deo nihil cedi poſſit, quippe cui omnia debentur, & cujus ſunt omnia. Divino cultu, rationi quam maxime conformi, λογικὴ λατρεία rationali cultu Rom. 12. 1. nihil diminuitur libertas, nam Deo ſervire libertas eſt & omnibus præſtitis ſervi ſumus inutiles qui debitum præſtitimus Luc. 17. 10. Sed cum de his poſtea latius & ex profeſſo agendum ſit, ea hic curioſius examinare ſuperſedebimus.

§. 29. Format tamen *inſtantiam* ad ſolutionem quam ſe dediſſe putat ad dictam objectionem. Hanc ſcil. *quod ſummæ poteſtates æque ac ſubditi, hoc jure divino teneantur*; quas tamen antea dixerat *jus naturale retinere*, & idcirco jure ſolis legibus appetitus vivere, *iiſque omnia jure licere*, & per conſequens etiam, licere alteri dammum inferre, quæ jure divino repugnant. Hanc difficultatem ut amoveat, dicit, *quod unuſquiſque in ſtatu naturali eadem ratione teneantur jure revelato, ac tenetur ex dictamine ſanæ rationis vivere: nempe quia ipſi utilius eſt, & ad ſalutem neceſſarium: quod ſi nollet cum* *pag.* 185. *ſuo periculo licet.* Verum quis iterum exhauriat omnem hujus reſponſionis abſurditatem? Videtur quod putet hominem naturaliter nullo modo Deo obligatum, & omnem obligationem oriri ex ſpontanea ſubjectione erga Deum, qua ſuum jus & potentiam iu Deum tanquam principem ſuum transferat. Sine qua nihil Deus in illum aut ille in Deum. Mirum profecto ſi non Deum in ſtatu naturali pro hoſte habeat, nam pag. 183. hoſtem definit qui neque confœderatus neque ſubditus eſt, atque talis eſt ipſi Deus in ſuo, quem fingit, ſtatu naturæ; hoſtis nomine tamen uti auſus non fuit, quamvis, ut videmus, ab ipſa re nihil abſit. An ergo Deus hominem ſibi hoſtem creavit, & an continua Dei creatio & conſervatio hominis, ac rationalis ejus à Deo dependentia, nullam fundat obligationem erga Deum? vel an creare voluit aut potuit hominem à ſe independentem? quod & divinæ & humanæ naturæ aperte repugnat. Quis hæc conceperit, aut in ordinem redegerit abſurditatum catervam hinc prodeuntem? nam ut ex naturali & morali hominis dependentia à Deo omnia fluunt, rectæ rationis dictata, ſic nihil non abſurditatis ex ejus contrario ſequitur. Præterea ſi teneatur quia utilius eſt, & ad ſalutem neceſſarium, ut ipſe concedit, id ſuo periculo non liceret omittere

ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſi nollet; ne quidem ex ipſa Anonymi ſententia, adeo ineptit ille homo; nam repugnaret ei quam pag. 175. ſummam dicit naturæ legem, qua ſcil. unaquæque res in ſuo ſtatu, quantum in ſe eſt, conetur perſeverare; quod nullo modo faceret, ſi id quod utilius & ad ſalutem neceſſarium eſt, licite ſuo periculo negligeret, ſi nollet, ita ut hic natura quid licitum ſtatuat, quod ſummæ naturæ legi plane repugnat. Videte quam difficile ſit falſitatem ita adornare ut non pelluceat, & ſeſe non deſtruat ac propria ſua mole ruat.

§. 30. Non eſt itaque quod metuat quidem Summa poteſtas *mortalem aliqnem judicem aut religionis vindicem*, qualem ſupra ſe nullum agnoſcit, *ex cujus decreto vivat.* Sed divinum, qui ſanæ rationis dictamina naturæ indidit, & per excuſantem & accuſantem conſcientiam, ſecundum ea, ſententiam dicit, & quemvis in intimis ſuis condemnat vel abſolvit: & præter ea per Prophetas & alios Sancto Spiritu locutos & ductos viros ſuam voluntatem etiam ſummis poteſtatibus patefecit, & inobedientes Principes, non minus ſed magis quam ſubditos puniturus erit, cum eos conſtituerit ſui populi duces, & utriuſque tabulæ cuſtodes, ac ſuos vicarios in terra Rom. 13. quibus aliquando accuratiſſima ſui miniſterii & cuſtodiæ ratio veniet Deo reddenda, ut pro meritis pœnas aut ex gratia præmium reportent.

§. 31. Cui itaque, ſi modo vel minima erga Deum reverentia ducatur, non contremiſcat animus, & aſſurgant capilli præ horrore, ſi audiat hoc monſtrum naturæ, tam impudenter eructare, *Quod ſi ſumma poteſtas nollet Deo in jure ſuo revelato obedire, id ipſi cum ſuo periculo, & damno licere, nullo ſcilicet jure civili vel naturali repugnante.* Licet & forte huic homini Deum abnegare. Imo quid forte dico, ſi non exiſtimaret licere, non faceret. Et quomodo ſine contradictione dicit licere, & non repugnante jure naturali licere, quod non ſine periculo & damno licet; an ergo ei qui nulla juri repugnantia facit, dammum & periculum metuendum eſt? An pœna bonis conſtituta? vel An juſtitiam deſerit Deus? Quis capiat Bœoticum hoc myſterium? Hoc modo dicere potuiſſet principi licere Diabolum pro Deo colere, ſuo ſcil. periculo & damno. Nec id omiſiſſet, ſi diabolum in rerum natura potuiſſet admittere; verum adhuc in tantis tenebris hæret, ut Sacræ Scripturæ lumen hactenus non ſufficiat ad ei illud patefaciendum. Faciat id ſuo periculo: profecto Dei manum non effugiet, nam gloriam ſuam non concedit, ſed etiam in ſeveriſſimis talium impiorum hominum pœnis, glorioſiſſime ſplendentem & in hoc & in futuro ſæculo eam maniſeſtabit.

§. 32. Nec ſufficit hoc effutiiſſe monſtroſiſſimum & ipſi naturæ & rationi directe contrarium dogma, ſed ejus probationem etiam audet tentare, quæ ſimiliter examinanda minutatim ne quicquam hujus veneni ſuperſit, & *pag. 175.* incautos occidat. *Jus enim civile*, inquit, *ab ejus decreto tantum pendet*;

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

concedo, ſed ipſe ſua decreta, non contra jus naturæ ſtatuere poteſt, cum itaque jus naturæ dictet illicitum eſſe, tantum univerſæ ſalutis damnum certo ſubire, ne jure civili quidem poteſt licere Deum ſuo periculo in jure revelato non obedire, nam eſt inevitabile periculum de ſumma rei, abſque ulla ſpe ſalutis. *Jus autem naturale* inquit, *pendet à legibus naturæ, quæ non religioni, humanum tantum utile intendenti, ſed ordini univerſæ naturæ, hoc eſt, æterno Dei decreto, nobis incognito, accommodatæ ſunt.* Leges naturæ accommodatas, vel potius conſtitutas eſſe, æterno Dei decreto, præter quod nihil fit, aut eſt, non eſt quod dubitetur. Nobis etiam incognitum eſſe, quid Deus futurum decreverit, niſi revelare velit, plane concedimus. Sed quomodo negare poteſt à divino decreto conſtitutas leges naturales nobis incognitas eſſe, cum ipſe pag. 47. dicat *ſe legem divinam naturalem, omnibus communem, ex ipſa natura humana deduxiſſe.* An ergo deduxit quod cognoſcere non poterat? vel an ex incognita humana natura deduxit cognitas leges naturæ? Quomodo hæc cohærent? Aperte repugnat creaturam rationalem conſtitui abſque legibus ſibi cognoſcibilibus. Nam abſque iis rationaliter vivere nequit. Et quid hoc iterum monſtri, leges naturæ *non religioni* accommodatas eſſe? ut & religionem *humanum tantum utile intendere.* An putat Deum de religione nihil decreviſſe? quid eo abſurdius eſt, & ſibi magis contrarium? nam id etiam ſecundum ipſum, ad minimum Scriptura evincit. An putat legibus naturæ nihil revelaſſe quod de religione decrevit? Et hoc ſibi adverſum erit, nam pag. 53. expreſſe aſſerit *ſolum noſtrum intellectum docere Deum vera religione colere.* Præterquam quod recta ratio, Pauli teſtimonium, & ipſa gentilium praxis, hunc hominem plane confodiant. An putat Deum ſuo decreto non intendiſſe religionem, ſed tantum univerſæ naturæ ordinem aliquem? Quis Deo fuit à conſilio? Unde hoc novit? cur in ordine univerſæ naturæ religioni locus denegandus foret? Religionis obſervantiam hominibus utilem eſſe, dubio caret: ſed non minus certum eſt, eam etiam Deo glorioſam eſſe. Et idcirco abſque omni ratione dicit religionem humanum tantum utile intendere. Imo cum omnis hominum utilitas in Dei gloriam tendat ſeu tendere debeat, apertiſſimum eſt, religionem ſolam divinam gloriam potius & honorem, quam humanum utile intendere. Atque inde certiſſimum eſt, leges naturæ ordini univerſæ naturæ accommodatas eſſe non poſſe, niſi etiam religioni accommodatæ ſint; nam & naturæ ordo, & religio in illo ordine, ſimul intendunt eandem Dei gloriam. Ita ut Anonymus inepte plane dicat leges naturæ accommodatas eſſe ordini univerſæ naturæ, & non religioni, quæ ordinis illius non minima pars eſt, & aliud ſtatuat intentum religionis & ordinis univerſæ naturæ, cum idem ſint & intendant.

§. 33. Nec ullos hic habet Anonymus, ut putat, ſecum, quamvis *obſcurius*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rius, conſentientes. Nam dicunt quidem viri doctiſſimi, Hominem nonnunquam quidem contra revelatam Dei voluntatem agere, ſed non contra ejus æternum decretum; cum nihil fiat, quod non decreverit, ne peccato quidem excepto, multa vero quæ cum revelata voluntate non conveniunt. Nulli vero dixerunt, uti id invertit Anonymus, *Hominem contra voluntatem Dei revelatam quidem, ſed non contra ejus æternum decretum, quo omnia prædeterminavit, peccare poſſe.* Nam unanimiter ſtatuunt & norunt æternum Dei decretum non eſſe regulam actionum noſtrarum, ſed ex eo decreto revelatam Dei voluntatem, & idcirco contra illud peccari non poſſe, cum ignotum ſit, & etiam circa ipſa noſtra peccata verſetur, ſed tantum peccari contra voluntatem Dei in natura vel Scriptura revelatam, & unicuique cognoſcibilem. Nam quomodo incognoſcibile Dei decretum, humanarum actionum regula ſtatui poſſet, ab alio, quam qui ejusdem abſurditatis eſt, ac Anonymus. Concedo itaque, ſi ſumma poteſtas ſuo periculo & damno nollet Deo in jure ſuo revelato obedire, eam non acturam eſſe contra Dei decretum. Sed tamen ideo non acturam eſſe contra Dei voluntatem in natura revelatam, non contra jus naturæ, non peccaturam & licitum quid acturam, ex jam dictis apertiſſime falſum eſt. Et ſi Deus tam deteſtabile peccatum permittere decreviſſet, procul dubio decreviſſet etiam pœnam, qua læſam ſuam gloriam juſtiſſime vindicaret; quæ non minus quam illud peccatum ex divino eodem decreto ſummam eam poteſtatem tangeret. Non itaque hoc licite ſuo periculo & damno agit, ſed quam maxime illicite.

§. 34. Sed unicum ad huc Anonymus ſibi movet Scrupulum, ut putat, amovendum. *Si quis jam roget*, inquit, *quid ſi ſumma poteſtas aliquid contra religionem & obedientiam, quam Deo expreſſo pacto promiſimus, imperet? Divino an Humano imperio obtemperandum?* Poſtea prolixius de his acturus, uti promittit, breviter hic tantum reſpondet, *Deo ſupra omnia obediendum, quando certam & indubitatam habemus revelationem.* Recte quidem: Sed quam parum ad propriam ſuam mentem. Nam cum per ſummam poteſtatem quamvis inepte, ut ſupra vidimus, intelligat eam, in quam tranſlatum fuit omne ſubditorum jus & potentia, quæque nulla naturali lege tenetur, & ideo ſi nolit, Deo in jure ſuo revelato, licite non eſt obediens (horreſco hæc repetens) & cujus mandata ſubditi tenentur exequi, tametſi abſurdiſſima imperet, quomodo quis ſubditus quicquam contra hujus imperata poſſet agere? quomodo expreſſo pacto Deo promittere obedientiam contra talis ſupremæ poteſtatis voluntatem? eamque præſtare nolente ſuprema poteſtate? quomodo aliquam admittere revelationem, quam non admiſerit ſuprema poteſtas? quomodo revelationem pro certa & indubitata habere, quam ſuprema poteſtas judicaverit incertam? & conſequentnr quomodo ad ullam revelationem divinam poterit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

terit obtemperare divino imperio ſupra humanum? Perpendite, quam procul abſit hic homo à pietate quam præſe fert, & quam bona proferat verba, licet ab eorum ſana mente non minus quam cœlum à terra diſcedat. Sed cum promittat ſe de his in ſequentibus prolixius acturum, nec nos iis inhærebimus.

§. 35. Ne tamen mandata divina abſolute videretur humanis præpoſuiſſe, ſtatuit *ſummæ poteſtati jus ſummum competere de religione ſtatuendi, quicquid judicat, & omnes ad ejuſdem de eadem decreta & mandata, ex fide ipſi data, quam Deus omnino ſervari jubet, obtemperare teneri.* Profecto cæcus ſit, qui hinc non videat, quam contra ſuam mentem dixerit, obtemperandum eſſe divino imperio ſupra humanum, ſi pugnaverint; nam non niſi ex humani imperii decreto & mandato abſolute obtemperando, ſuſcipi poſſunt imperata divina. Non negamus tamen quod ſummæ poteſtati competat, tum ordinis gratia, tum ex vi ſui muneris, omnibus ſatis legitime perpenſis,& auxilio divino ſeriis precibus invocato, ſtatuere publice de religione,quicquid divinæ revelationi maxime viderit eſſe conforme, idque publice in ſocietate & republica ſua tanquam divinum præſcribere, & procurare ut publice quantum fieri poteſt tanquam tale obſervetur.Sed nullo modo ei competit, ſubditis ſuis adimere jus & facultatem, ſibi privatim propria ſua diligentia & ſtudio inquirendi & ſtatuendi de divina revelatione & religione revelata, quod Dei mandatis maxime convenire cenſuerint,ſi modo ordini publico,quem ſuprema poteſtas divinæ voluntati,& reipublicæ ſaluti,omnibus legitime examinatis,tanquam prudentiſſimus utriuſque tabulæ cuſtos,& Dei vicem gerens in terra,maxime judicaverit conformem,non adverſentur.Quare ſi ſubditus videat ſupremam poteſtatem aliquid mandare contra obedientiam expreſſe Deo debitam,& Magiſtratus videat privatum ſubditi judicium repugnare ſuo decreto, quod divinæ voluntati plane cenſet conforme; Nec Magiſtratus ſubditum cogere poteſt ut privatum ſuum deponat judicium, cum in conſcientiam non niſi Deus imperium teneat: Nec ſubditus magiſtratum ut ſuum mutet decretum, cum ſummæ poteſtatis ſit publice ſtatuere quod obſervandum eſt. Sed & Magiſtratus talem ſubditum ex ſua ſocietate dimittere tenetur, & ſubditus ex ea diſcedere. Si vero ſubditus diſcedere nolit & tamen ex privato ſuo arbitrio de obedientia Deo præſtanda publice ſe velit gerere contra mandatum Magiſtratus, à ſuprema poteſtate merito tanquam pertinax & ordinis refractarius punitur, quamvis Magiſtratus id non agat ſine peccato, ſi ipſe per errorem à recto veritatis tramite, quem ſubditus, præter opinionem Magiſtratus, tenebat, diſceſſerit; nam etiam Deo ſuæ adminiſtrationis rationem reddere tenetur: peccat autem & ſubditus ſi ſatis juſtam permanendi cauſam non habeat. Sic Judæi in ſynedrio Act. 4. 18. 19. & 5. 28. 29. non parvum commiſerunt peccatum, quod Apoſtolis in ſua republica interdixerint Chriſti prædicationem, & contra illud interdictum prædicantes, cenſuerint;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

quamvis non immerito, poſito ſcilicet totius ſynedrii plane culpabili errore, cenſuerint. Nec tamen ullo modo peccarunt Apoſtoli, quod poſito tali Judæorum interdicto ex eorum ditione non diſceſſerint, ſed in ea manentes contra eorum interdictum Chriſtum prædicaverint, quia non ex privato ſuo arbitrio, ſed mandato & inſtinctu divino id præſtiterunt: ita ut jure & confidenter dicere potuerint Judæis, vos ipſi judicate num juſtum ſit coram Deo, vos audire potius quam Deum. Quare hæc Apoſtolorum actio nulli temere eſt imitanda.

§. 36. Si vero Magiſtratus talem ſubditum dimittere nolit, & tamen punire velit, ſubditus, ille quamvis veritatem obtineat, quam deſerit Magiſtratus, ei tamen, niſi aliunde jus habeat, reſiſtere non poteſt, cum in terris Dei vicem gerat ſuprema poteſtas: nec etiam ex metu pœnarum humanum imperium divino præponere, ſed Deo ſupra omnia obedire, & tentatis omnibus legitimis mediis, Deo eventum committere tenetur. Nam alioquin propter hominum & humanorum figmentorum diverſitatem nullus in ſocietate poſſet obſervari ordo, & quiſque pro temerario ſuo judicio & affectu omnia confunderet. Ad quam difficultatem evitandam tamen, cum Anonymo, divinum imperium humano poſtponendum non eſt; ſed tali ordine, quo demonſtravimus, divinum ſemper humano præferendum.

pag. 86. §. 37. Quare, *ſi ii qui ſummum tenent imperium, ſint Ethnici, cum iis nihil contrahendum eſt*, ſi ex eo contractu aliquid divino mandato adverſum neceſſario ſequatur, aut jure ſequi poſſit, ſed potius extrema ferenda ſunt. *Si quis* vero per ignorantiam minime inculpabilem ita *contraxerit*, non tantum talem ineundo contractum peccaſſet, ſed etiam ex tali contractu agens adverſus divinum mandatum, ſuam culpam in immenſum augeret. Quare, cum omnes teneantur per veram reſipiſcentiam abrumpere ſua peccata, ſapientis & probi viri erit non permittere ſe tali contractu ad aliquod divino mandato contrarium ſeduci, ſed potius ſi initi contractus licentiam poſt agnitam & patefactam ſuam ignorantiam culpabilem, à ſuprema poteſtate obtinere nequeat, quævis perferre in pœnam ſua culpa male initi contractus ſibi procuratam, quam culpæ culpam addere, coram Deo: uti hic vult Anonymus. Fateor quidem ad hoc præſtandum in hominibus pro divinæ gratiæ menſura, magis vel minus temeritatis adeſſe poſſe, ſed id nihil impedit, cur non etiam minimus hic abſque temeritate ſuum præſtet officium: & ſi quis etiam ex optimis temere quicquam ſuſceperit, is ſciat quod omnis reſiſtens ſupremæ poteſtati, ipſi Dei ordinationi, reſiſtat Rom. 13. 2.

§. 38 Quod itaque *ex tot Judæis qui Babylone erant, tres tantum Juvenes, qui de Dei auxilio non dubitabant, Nabucadonozori obtemperare noluerint*, ut legitur Dan. 3. nihil arguit quam eorum Judæorum & ipſius illius regis, peſſimo & erroneo ſuo mandato tot ſubditos abſurdiſſimæ idololatriæ reos facientis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

culpæ magnitudinem; nam omnium officium fuiſſet ſe eodem modo Deo committere, ac faciebant illi tres. Nam nullibi apparet iis *certa revelatione* ſpeciale ſupra alios *promiſſum fuiſſe auxilium*, ut nugatur Anonymus. Et ipſa natura talem idololatriam apertiſſime condemnat. Nec quicquam conſtat de *Eleazari* & ſuorum certa revelatione de ſingulari auxilio divino. Quantum *ad Chriſtianorum fœdera cum Turcis & Ethnicis, ad majorem Chriſtianorum ſecuritatem pacta*, ea his nihil repugnant, ſi ex iis nihil divino mandato contrarium ſequatur: ſi vero tale quid ſequatur, ob dictas rationes illicita plane ſunt. *De Belgarum vero contractu cum Japonenſibus* in hypotheſi nihil dicere poſſum, cum omnes ejus circumſtantias ignorem. Sed eum à noſtra theſi abſque peccato deficere non poſſe certiſſimum eſt.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Oſtenditur neminem omnia in ſummam Poteſtatem transferre poſſe: nec eſſe neceſſe. De Republica Hebræorum, qualis fuerit vivente Moſe. Qualis poſt ejus mortem antequam Reges elegerint. Deque ejus præſtantia. Et denique de cauſis, cur Reſpublica divina interire, & vix abſque ſeditionibus ſubſiſtere potuerit.

§. 1. ANonymus vel perpendens ingentem abſurditatem eorum, *quæ de jure ſummarum poteſtatum in omnia, deque jure naturali uniuſcujuſque in eum tranſlato*, quodammodo convenienter præſtructis abſurdiſſimis ſuis fundamentis impudentiſſime effutitam nulli placere poſſe, & in recte conſtituta Republica Chriſtiana plane intolerabilem cenſendam fore, vel forte de immenſa eorum abſurditate convictus, quod tamen vix ſperari poteſt, cum eam non abjiciat ſed emolliat aliquantum, hujus capitis initio aſſerit, quod eorum *contemplatio, quamvis cum praxi non parum conveniat* (nihil dicens num id recte fiat, vel minus, imo addens, quod *praxis ita inſtitui poſſit ut ad eandem magis ac magis accedat*, unde patet eum illam non tam improbare, quam approbare) *nunquam tamen futurum ſit quin in multis mere theoretica maneat.* Utinam nunquam Theoretica fuiſſet, nam non niſi erronea, imo diabolica Theoria eſt, quæ humana mandata divinis præponit, & homines omni jure, quo eos natura conſtrictos tenet, diſſolvens, omni nequitiæ januam aperit patentiſſimam. Quod etiam ejus praxis ſi ullibi obſervetur, procul dubio comprobabit. Fatetur enim, *neminem nunquam ſuam potentiam, & conſequen-*

Anonym. cap. 17. pag. 187.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſequenter neque ſuum jus ita in alium tranſferre poſſe, ut homo eſſe deſinat; quod hic videtur innuere ad prædictam ſuam juris tranſlationem requiri, & nos ſupra demonſtravimus ad eam plane neceſſarium eſſe, ejus abſurditatem ſic maniſeſtiſſime convincentes. *Nec talis*, inquit, *ulla ſumma poteſtas unquam dabitur quæ omnia ita ut vult exequi poſſit*, quod non dari debeatur aut poſſit jure? nos ſupra late demonſtravimus: Hic etiam addit Anonymus, quod *ſi homines jure ſuo naturali ita privari poſſent, tum profecto impune violentiſſime in ſubditos regnare liceret, quod nemini*, inquit, *in mentem venire poſſe credo.* Et tamen ipſe his fundamentis, & conſequentiis inde profluentibus, ſequentia ſua non minima ſuperſtruit, ut patebit ex collat. pag. 185. cum 217. & 186. cum 219. &c. cur enim alioquin tantam abſurditatem, quæ hominem non hominem reddat, & quam ſequitur id quod nemini in mentem venire poſſe credit, tot ambagibus & moliminibus adſtruere conatus fuiſſet.

§. 2. Jam itaque *concedit*, an ex animo, Deus noverit, *unumquemque*, in ineunda ſcil. ſocietate, *multa ſibi ſui juris reſervare. Attamen*, inquit, *ut recte intelligatur, quouſque imperii jus & poteſtas ſe extendat*, aliam jam tentaturus viam; *Notandum imperii poteſtatem non in eo præciſe contineri*, uti ex ſupradictis ſequebatur, *quod homines metu cogere poteſt, ſed abſolute in omnibus* pag. 188. *quibus efficere poteſt, ut homines ejus mandatis obſequantur: non enim ratio obtemperandi, ſed obtemperantia ſubditum facit.* Verum ſi recte perpendamus videbimus poteſtatem imperii fluere ex jure, quod quis ad imperandum per legitimam & recta ratione probatam conſtitutionem obtinet; & conſequenter in neutro continetur quod profert Anonymus. Ea quidem in imperante requiruntur, ut ſuum jus & imperandi poteſtatem ſatis recte & tuto conſervet & exerceat, ſed minime poſſunt dici conſtituere imperii poteſtatem, aut eam continere, nam à ſe mutuo plane ſeparari poſſunt: non enim is qui ſocietatem vel metu vel quavis alia ratione non juſta ad ſuorum mandatorum obſervantiam adſtringere poteſt, ſtatim jus & poteſtatem imperandi habet, ſed nonnunquam injuſtiſſimus imperii invaſor eſt, qui contra rationem ſibi arrogat jus quod ei non competit, & per violentiam vel dolum abſque jure imperat. Non etiam is qui legitime conſtitutus imperator eſt, jure & poteſtate imperandi deſtituitur, licet forte careat iis, ſine quibus alios ad ſuorum mandatorum obedientiam obſtringere nequit: nam ea tantum ad imperii actum non ad imperandi poteſtatem requiruntur. Qua ratione fatemur ſolam obtemperantiam facere, ut quis actu ſit ſubditus, id eſt, ſolam obtemperantiam eſſe actum ſubjectionis, licet alioquin omnis obligatio ad obtemperantiam proprie ſubditum faciat; quemadmodum jus & conſtitutio legitima in imperio imperatorem, actualis vero adſtrictio ad obedientiam imperantem, cum is ſit imperandi actus.

§. 3. Concedimus tamen, *non ex eo, quod homo proprio conſilio aliquid facit*,

cit, illico concludendum, eum id ex ſuo, & non imperii jure agere: nam quo homo magis ex proprio conſilio agat id quod imperatur, concurrente ſic ſubditorum & imperantis conſilio, quo firmior inter eos inrercedat unio & amor, ac augeatur obedientia; nam *obedientia non tam externam, quam animi internam actionem reſpicit*, quod utinam obſervaſſet Anonymus, cum ſupra ſtatueret, Scripturam non niſi ſimplicem obedientiam præſcribere, ſine ſana ratione aut cognitione, & fidem non tam vera quam pia dogmata docere, de quibus confer cap. 12. 13. &c. Quo etiam imperator ſua mandata, quantum Deus in Scriptura & natura permittit ſubditorum conſilio magis accommodat, quo ſapientior, ac prudentior eadem obſervatu faciliora reddat, & ſubditos ad obedientiam paratiores, & idcirco nullo modo non ex imperii jure agentes. Ita ut merito dicatur *eum* optime *imperium tenere, qui ſubditorum animos poſſidet*, id eſt, qui ita regnat ut plus ametur quam metuatur, directe contra illud Imperatoris, Oderint dum metuant. Negari enim non poteſt, Sapienti *Magiſtratuum* directione, *ſubditorum animos etiam ad varia flecti & moveri poſſe*. Et ita multos non niſi ſolius imperantis auctoritate vel directione potius credere, amare, aliiſque multis affectibus corripi poſſe. Quantumcunque tamen his omnibus poſſit imperator, & agat jure, ſi modo ſuos non ſeducat ſubditos, qui juris abuſus foret, *nunquam tamen fieri poterit, ut potentiam abſolute ad omnia, quæ velit* jure *obtineat*, quod hic jam concedit Anonymus, & nobis ſupra ad præcedens caput ampliſſime probatum fuit. *pag. 189.*

§. 4. Hoc itaque jam conceſſo, *Ut ad id quod volo*, inquit, *perveniam ea notabo, quæ divina revelatio Moſen olim docuit*, qua ratione ſcil. imperium formari poſſet, & ſine tam abſoluta poteſtate conſervari. *Et deinde Hebræorum hiſtorias & ſucceſſus perpendemus, ex quibus tandem videbimus, quænam præcipue ſubditis, ad majorem imperii ſecuritatem & incrementum concedenda ſunt à ſummis poteſtatibus.* Hoc filum & nos ſequemur. Quam neceſſaria ſit *ad imperii conſervationem ſubditorum fides, virtus & animi conſtantia in exequendis mandatis*, adeo manifeſtum eſt, ut probatione non egeat. Ut & quantæ difficultatis ſit *ſubditos ita ducere, ut fidem & virtutem conſtanter ſervent*, ac imperantis mandatis libenter obtemperent, quemvis experientia docet. Nec negari poteſt, ut plurimum *imperia non minus propter cives quam hoſtes periclitari, & qui ea tenent non magis hos quam illos timere.* Teſtatur id *Romanorum* *pag. 190.* *Reſpublica*, teſtantur & aliæ bellis civilibus peſſumdatæ, cum nullis hoſtibus ſuperari poſſent. Hac de cauſa *Reges* olim & *quicunque imperium uſurpaverant, ad ſe ſecuros præſtandos*, multa excogitavere, licet abſurdiſſima, quæ *ſubditis perſuadere conati fuerunt*; non aliud quam Anonymus exiſtimantes, ſimplicem obedientiam, licet etiam ex falſitate profluat & errore, ſufficere. Inter quæ non infima fuerunt, *Se genus ſuum à Diis immortalibus ducere, ſe templis*

&

& effigie numinum per flamines & ſacerdotes colendos eſſe. Se *divinas habere re-velationes & familiariter cum Diis agere.* &c. Eadem ratione, inquit, & alios
pag. 191. facilius perſuaſiſſe, *Majeſtatem ſacram eſſe*, & *vicem Dei in terra gerere*, & *à Deo, non autem ab hominum ſuffragio, & conſenſu conſtitui, ſingularique providentia & auxilio divino conſervari atque defendi*, aliaque, *quæ omnia*, inquit, *miſſa facio*, procul dubio ſibi perſuadens Apoſtolum Paulum Rom. 13. de quo vide Paræum & alios, non niſi gentilium figmenta narrare. Sed ad ſcopum ſuum ſe ea tantum notaturum dicit, *quæ in hunc finem olim divina revelatio Moſen docuit.* Hæc ergo videamus.

§. 5. Iſraelitas ſeu *Hebræos, poſtquam ex Ægypto exiverunt, nullo alterius nationis jure amplius obſtrictos fuiſſe concedo*, Sed *ad libitum nova jura inſtituere, & quas volebant terras occupare non licuiſſe* puto: Habebant enim Patrum inſtituta divina plane, habebant promiſſiones Abrahamo factas & per Moſen renovatas, Exod. 3. 6. 8. 15. 17. quod tanquam Deo electus populus, ducendi eſſent in terram Canaan, in ejuſque poſſeſſionem introducendi, & ex plurimis miraculis de Moſis miſſione & auctoritate certi erant. Ratione aliorum hominum quidem *jus ſuum naturale iterum adepti ſunt* quodammodo, nam omnino pro arbitrio ne quidem cum iis contrahere poterant, niſi ſibi inutiles vellent reddere Dei promiſſiones: ſed inter ſe omnes tenebantur Patrum inſtitutis & divinis per Moſen mandatis, cujus auxilio, ductu & inſtinctu ex Ægypto exiverant. Nec ullo modo liberum erat *unicuique de integro deliberare, num jus ſuum naturale retinere, an vero eodem cedere, idque in alium transferre volebant.* Noverant enim Deum ſe elegiſſe, & Moſen à Deo conſtitutum ducem illius populi, quem ad divinum mandatum audire tenebantur: confer Exod. 2. 12. & 3. 10. 12. &. 6. 3. 4. 5. Act. 17. 25. 35. Ita ut *Moſe*, quaſi novam humanitus inſtituturus Politiam, hic non deliberet, & *ſuadet*, *Deum eligendum eſſe* in Principem illius populi, nam ut ipſe fatetur initio cap. ſequentis pag. 217. ad tale pactum *non tantum voluntas jus transferentium, ſed etiam Dei, in quem eſt transferendum, requiritur*; Sed divinitus ſignificet, & multis ſignis confirmet, Deum ex promiſſionibus, Patribus factis, populum Hebræum habere pro ſuo, ſibi ſpecialiter dilecto, Exod. 2. 24. 25. & 4. 22. & 6. 3. 4. 5. & ſe conſtitutum ducem à Deo, qui ex ſolo ejus mandato eum ducat non pro arbitrio in quamvis ſed illam promiſſam terram ſanctam, Exod. 6. 6. 7. Cui mandato & revelationi divinæ cum acquieſcerent, & aſſurgerent Hebræi, quemadmodum etiam naturæ jure tenebantur, nullo modo dici poſſunt *in Deum tranſtuliſſe ſuum jus naturale*, quaſi Deus, qui jus in omnia tenet abſolutiſſimum, nihil in eos jure potuiſſet, abſque tali tranſlatione juris, & omne Dei jus in populum illum, ſola tali arbitraria juris tralatione niteretur, cum nil niſi per eum ſit, & ipſe operetur in omnibus omnia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

omnia, & primus ac in exhauſtus omnis juris fons & origo ſit, ſed tantum dici poteſt, eos, uti ex jure & dictamine naturæ obligati erant, agnoviſſe & ſuſcepiſſe illam regiminis formam, quam Deus, ex ſpeciali gratia ſupra omnes alias nationes, inter eos per Moſen inſtituere volebat; omnes enim, *Deo ad omnia ejus mandata abſolute obtemperare, nec aliud jus agnoſcere, niſi quod ipſe vel* naturali vel *Prophetica revelatione, ut jus ſtatuit*, natura tenentur. Ita ut ineptiſſima ſint omnia quæ Anonymus colligit ad producendam ſimilitudinem inter liberam *hominum tranſlationem juris* inter ſe, *& hanc Hebræorum* natura requiſitam ſubjectionem *erga* patefactam *Dei* voluntatem, de regiminis forma, inter ſe, divina gratia conſtituendam; non enim homo ſe naturaliter ad Deum, uti ad alios homines habet, ſed cum his, exceptis parentibus, non niſi ad arbitrium ſubjiciatur, nam arbitraria humani regiminis forma, Deo naturaliter, & non niſi ad arbitrium Dei ſubeſſe tenetur.

§. 6. *Imperium ergo Hebræorum Deus ſolus tenuit*, Moſe primario ejus miniſtro, idque non *vi pacti* cujuſdam ad hominum arbitrium initi, *regnum Dei vocabatur*, ſed ratione formæ regiminis, à Deo gratioſe per Moſen revelatæ & conſtitutæ, ac ab Hebræis pro officio receptæ & admiſſæ, quod ſi pactum dicere velit, fruatur arbitrio ſuo circa nominis uſum, de quo diſputandum non eſt. Hinc *Deus jure* etiam *vocabatur Rex Hebræorum*; & conſequenter *hujus imperii hoſtes, hoſtes Dei*; & *cives, qui id uſurpare vellent rei læſæ divinæ majeſtatis*; & *jura denique imperii, jura & mandata Dei.* Nec tamen ideo *jus civile & religio unum & idem erant*, alius enim & alius utriuſque finis erat, illius ſocietatis tranquillitas, hujus hominum ſalus, ex divina gratia & ad Dei gloriam obtinenda. Ex religione erga Deum quidem tenebantur ad obſervantiam juris civilis, uti & nos, & omnes tenemur, ſecundum Paulum Rom. 13. 5. ſubeſſe propter conſcientiam; illis etiam ex divina revelatione, ſuum jus civile, quod nos tantum ad arbitrium hominum, ratione quantum poſſunt recte utentium, habemus, poſſidentibus: ſed tamen ideo non magis illorum jus civile religio, quam noſtrum: nam utrique ex religione erga Deum ſubeſſe tenemur. Eadem ſit religio & jus civile in republica, qua ad abſurdiſſimum Anonymi arbitrium, ſecundum theoreticam illam, ut fatetur, ſummæ poteſtatis nulli juri obſtrictæ contemplationem ineptiſſimam, ſummæ poteſtati jus ſummum competit de religione ſtatuendi quicquid judicat, in divino Hebræorum imperio, & aliis recta ratione conſtitutis rebus publicis, tale quid reperire non eſt. *Religionis dogmata* etiam *mandatis* obligabantur, quæ tanquam ſecunda quædam ſuperaddebatur ex gratia obligatio, qua Deus Eccleſiam ut in infantia & pueritia conſiderans, eos inſtar prudentiſſimi patris, filios etiam ſuis mandatis ad religionem adſtringentis, ad religionis obſervantiam adſtringere voluit. Sed ideo non *deſierunt eſſe documenta*, verum illi, ad do-

pag. 192.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

cumentorum obſervantiam, magis, propter ſuum, inſtar infantium à bono deficientium, defectum in propriam ſuam utilitatem, adſtricti fuerunt. Ita ut nullo modo dici ſatis accurate poſſit, quod *pietas* facta *ſit juſtitia*, *impietas injuſtitia*: ſed rectius, quod inter eos, & natura & ex gratioſe ſuperaddita lege à Deo per Moſen revelata, quemadmodum inter nos eſt ex ſola naturæ lege, juſtum fuerit, exercere pietatem, & injuſtum impietatem; nam inconceptibilis pietas ſine juſtitia, & impietas ſine injuſtitia erga Deum, unde & impios veritatem in injuſtitia ἐν ἀδικίᾳ detinere teſtatur Paulus Rom. 1. 18. *Qui à Religione deficiebat*, *civis eſſe deſinebat*, nam rempublicam à Deo conſtitutam agnoſcere non poterat, nec ut ejus pars haberi, qui Deum non agnoſcebat, & religionis cultum in eadem à Deo conſtitutum; hic enim civitati præerat, & colebatur etiam obſervantia legum civilium; quippe quæ ex pietate obſervandæ erant quemadmodum & noſtræ leges civiles, hac tantum cum diffirentia, quod illæ fuerint recipiendæ tanquam juſtiſſimæ & à Deo revelatæ, hæ tanquam conſtitutæ à Magiſtratu Dei vicem gerente, & ratione quidem quantum poteſt recte, ſed tamen non infallibiliter, utente, ac publicum & externum religionis cultum pro gratiæ ſuæ menſura ſecundum Dei verbum in Scriptura determinante. Unde fit quod inter nos non ſtatim *deſinat eſſe civis & hoſtis fiat*, qui privatim, abſque publica conturbatione, non adhæret Principis religioni, quemadmodum erat inter Hebræos qui à divino per Moſen conſtituto religionis cultu deficiebat, cum hic intercedat arbitrium & judicium hominis fallibilis, ibi vero nihil minus. *Qui* inter Hebræos *pro religione moriebatur*, etiam *pro patria mori reputabatur*, nam ex religione Patriam ſperabant, & poſſidebant Canaan, quæ erat ſymbolum melioris & cæleſtis patriæ. Cum autem ſimilis ratio ſymbolica non adſit noſtræ Patriæ ejus etiam plane alia ratio eſt. *Theocratia* ergo *vocari potuit* Hebræorum reſpublica, *quandoquidem cives ejus* præter jura naturæ, omnibus communia, *nullo niſi à Deo revelats jure tenebantur*.

§. 7. Verumenimvero, quamcunque ſpecioſe hæc ab Anonymo dicantur, uno verbo omnia rejicit. *Hæc omnia*, inquit, *opinione magis quam re conſtabant.* Hoc ſcil. exiſtimat non aliud quam Moſis titulare artificium fuiſſe, quo ipſe ſibi regnum & imperium occupare nitebatur, non aliter adhibitum, quam alii gentiles politici ſe Deorum filios, & à Diis ſuam originem ducere, perſuadere conati ſunt, ad ſeſe magis ſecuros præſtandos. Quod tamen ſibi plane adverſum eſt, cum Moſen verum agnoſcat Prophetam, de quo tanta non poteſt cogitari impietas. *Hebræos revera jus Imperii retinuiſſe ex modo & ratione qua hoc imperium adminiſtrabatur* probandum ſuſcipit. Sed quam temere! quam inepte!

§. 8. Primo ſtatuit *omnes Hebræos*, *poſt initum*, ut fingit, tranſlatione juris in Deum, *pactum*, *æquales prorſus manſiſſe*; quippe qui ſuum jus *in nullum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

lum ex ſuis, ſed Deum, *tranſtulerant*, & *omnes uno ore* æqualiter *clamave-rant*, *quicquid Deus loquetur* (*nullo expreſſo mediatore*) *faciemus.* Sed ſi textum ſacrum inſpiciamus Exod. 19. 3. 7. 8. videbimus expreſſe & Deum & populum Moſen agnoſcere, ut mediatorem, eumque Dei vocem ad populum, & populi ad Deum referre, ita ut manifeſte diſtinguatur ab iis, qui uno ore clamaverunt. Aliquod jus in eum transferri, nullo modo requirebatur, ſufficiebat enim Deum, qui in illo populo gratioſa revelatione, quæ nullis aliis nationibus obtingebat, jus dicere & leges dare volebat, eum habere pro ſuo Miniſtro, quo mediante hoc eſt præſtiturus, & populum eum pro tali agnoſcere, & ejus dicta, quod erant, pro divinis admittere & recipere. Quod utrumque prædicto loco contigiſſe videmus. Ita ut hic abſurde inferat, nequidem excepto Moſe.

§. 9. Non etiam ex eo *quod omnes Hebræi æque prima vice Deum adiverunt, ut quæ imperare vellet audirent*, ſequitur, *Jus Deum conſulendi, legeſque accipiendi & interpretandi omnibus æquale fuiſſe*, *& abſolute omnem imperii adminiſtrationem omnes æque tenuiſſe.* Concedimus *omnes æque prima vice Deum adiviſſe*, *ut quæ imperare vellet audirent*, ſed id ex ipſo Dei mandato, & non alia de cauſa contigit, quam ut, ipſo Moſe teſtante Exod. 19. 9. populus audiret Deum loquentem cum Moſe, & ſic ejus dictis Dei nomine nunciatis fidem haberet in æternum, atque ita certus eſſet, hæc omnia non eſſe politica Moſis figmenta, à quo non abeſt noſter Anonymus, cum Judæi Joh. 9. 29. dicant nos ſcimus Deum Moſi locutum fuiſſe. Huc etiam ſpectat populi reſponſum, poſt auditam Dei loquentis vocem, Moſi redditum Exod. 20. 19. Loquere tu nobiſcum & audiemus, ſeu præſtabimus quicquid tu Dei nomine ad nos referes, quod reſponſum etiam ipſe Deus, ut ſcopo plane conforme laudat & probat Deut. 5. 28. 29. Ne loquatur nobiſcum Deus, ne forte moriamur, magno enim metu mortem quaſi inſtantem deprecabantur, adverſus quem Moſes ipſe & jam non omni metu ſolutus Heb. 12. 21. adeo terribile erat viſum, eos muniebat dicens, ne timeatis, & mox addens, cauſas cur ita Deus ſe illis patefecerit, non mortem eorum fuiſſe, ſed tentationem, timorem & fugam peccati, quibus à more præſervarentur, quaſi diceret, voluit ſic Deus vos experiri tum ejus gloriam ac majeſtatem, tum veſtram imbecillitatem in ſuſtinenda ejus ira & indignatione adverſus peccata, ut ita vos ad reverentiam & filialem timorem propelleret, & à peccando, per ejus verbi negligentiam, abſterreret, ideoque mortem ne metuite; confer Deut. 5. 32. 33.

§. 10. Ita ut hic ne umbra quidem occurrat, de *primi* cujuſdam *pacti*, quod ſomniat Anonymus, *abolitione*, aut *tranſlatione juris conſulendi Deum in Moſen* à populo facta. *Moſes* ergo *ſolus legum divinarum lator*, ut dicitur Num. 21. 18. *& interpres manſit* & fuit à Deo conſtitutus & à populo receptus, ſola *pag.* 193.

 divina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

divina gratia, nullo vero pacto humano, aut humani juris tranſlatione, ſuam habens muneris auctoritatem, & conſequenter *ſupremus Judex vicem Dei* in terris *geſſit*, ut Act. 7. 35. qui Paſtor gregis Dei, Eſa. 63. 11. & rex Iſraelis dicitur, Deut. 33. 5. Deus nominatur Exod. 7. 1. & humillimus interim ac fidiſſimus in toto munere Dei miniſter, Num. 12. 7. Heb. 3. 5. fuit.

§. 11. Quod autem *quiſque, quamvis verus Propheta, vivente Moſe nomine Dei aliquid prædicare volens, reus fuerit, & ſupremi juris uſurpator*, falſum eſt, nam non tantum Septuaginta viri, ejuſdem cum Moſe Spiritus participes abſque culpa Prophetarunt, Num. 11. 17. 25. ſed & Aaron & Miriam, quibus non de nihilo Prophetæ nomen tribuitur, Exod. 7. 1. & 15. 20. Fatemur eos rebellionis reos fuiſſe, cum ſe Moſi occaſione mulieris Cuſiticæ præponerent & fidelitatem ejus in dubium vocarent, Num. 12. 1. 2. &c. ſed profecto is non fuit eorum actus Propheticus. Imo ipſe locus Num. 11. 28. quem profert Anonymus, ſi addatur etiam ſequens comma, contra eum teſtatur, nam cum Joſua miniſter Moſis, invidia & perverſo zelo, non diſſimili illo de quo Luc. 9. 49. ad Moſen deferret duos viros Eldad & Medad in caſtris prophetare, nam, ut additur, idem Spiritus, qui Moſi & Septuaginta viris, etiam iis conceſſus erat, & Moſen rogaret, ut eos prohiberet; Moſes non tantum præcipitantem ejus zelum reprehendit, verum etiam addit votum illud vere divinum, & omnes Chriſtianos ac præcipue Dei in Eccleſia & Politica conſtitutos miniſtros perquam decens, utinam omnis Dei populus Prophetæ forent, & Dominus ſuum Spiritum ſuper eos daret? Quantum vero hoc abeſt ab eo, quod illos, ex Prophetia, reos exiſtimaſſet, & ſupremi juris uſurpatores. Sed Anonymo adeo ineptiendum erat, ut conſervaret & adornaret eam, quam ſomniaverat ranſlationem juris conſulendi Deum à populo in Moſen factam.

§. 12. In quem eundem finem pergit, dicens, *quod & ſi populus Moſen elegerit, ſucceſſorem tamen loco Moſis eligere jure non potuerit: Nam* ſcil. *ſimulac Jus ſuum Deum conſulendi in Moſen tranſtulerunt, & abſolute promiſerunt ipſum loco divini oraculi habere, omne jus plane amiſerunt, & quem Moſes ſucceſſorem eligeret, tanquam à Deo electum admittere debebant.* Figmentum illud de juris tranſlatione, non eſt quod iterum excutiamus. Sed quantum ad rem ipſam, Indubitatum eſt, populum, poſtquam agnovit Deum ſibi ex ſpecial gratia leges dare voluiſſe, & ut hoc fieret, elegiſſe Moſen, tanquam ſuum miniſtrum, atque de eo à Deo certiorem redditum, abſque defectione à Deo ſine ejus conſenſu, non potuerit ſibi eligere Moſis ſucceſſorem, quippe qui nec Moſen elegerat, ſed à Deo electum & multis modis in munere confirmatum, ut naturæ jure tenebatur, admiſerat; nec eligere jure potuiſſet, cum Deus ex ſpeciali gratia populum illum ſibi aſſumpſerat, ſua voluntate tali modo & per talem, qualem placeret ei revelanda, regendum, populo ex naturæ jure obli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

obligato ad conſentiendum in eo, imo ad maximas Deo ea de cauſa gratias agendum: nam cum ipſius eſſet Deo ſubeſſe, & Dei imperare, non ipſius, ſed Dei erat, conſtituere miniſtrum, per quem ſua mandata ei nunciari vellet, & eo mortuo vel diſcedente, ſubſtituere ſucceſſorem, eum, vel per antecedentem, de cujus fide jam populo conſtabat, vel quovis alio modo, proponendo & confirmando.

§. 13. Experiamur itaque quomodo cenſeat *Moſen imperium* Hebræorum *ſucceſſoribus adminiſtrandum reliquiſſe*; *ita*, inquit, *ut nec Populare, nec Ariſtocraticum, nec Monarchicum, ſed Theocraticum vocari potuerit.* Sit ita; de nomine non eſt quod diſputemus, nec habet nos adverſarios aut diſſentientes. Aſſerti ſui rationem reddit, quia *Jus leges interpretandi, & Dei reſponſa communicandi penes unum, & Jus & Poteſtas imperium adminiſtrandi, ſecundum leges jam explicatas, & jam communicata reſponſa, penes alium erat: qua de re*, inquit, *vide Num.* 27. 21. *Et ut melius intelligantur*, pergit, *adminiſtrationem totius imperii ordine exponam.* Atque facit initium ab exſtructione *domus Dei* illius, ut quidem videtur, quam Moſes ad Dei mandatum in deſerto erexit primo die ſecundi anni poſt exitum ex Ægypto Exod. 40. 17. Et deinceps hinc illinc quædam decerpit, tum de politica tum eccleſiaſtica illius Reipublicæ adminiſtratione, & inter ſe ita pro arbitrio format & reformat: ut ſuis ſomniis aliquantulum conformia videri poſſint, & ipſe ſic tuto ſub auctoritate illius impia ſua dogmata poſſit obtrudere, & incautos ſeducere ac decipere. Quare neceſſarium exiſtimamus ad diſtinctam hujus Theocratiæ cognitionem & juſtam ejus vindicationem ab Anonymi detorſionibus, altius aliquantulum, ab ipſa ſcilicet ſervitute Ægyptiaca, hujus Hiſtoriæ ſumamus initium, & in ejus enarratione patefaciamus multiplices Anonymi errores. *pag.* 194.

§. 14. Hebræos, poſtquam ex Chananæa conceſſiſſent in Ægyptum, Patrum inſtituta, tam civilia quam Eccleſiaſtica, quadantenus & quodammodo retinuiſſe, plane veriſimile eſt, circumciſionem enim aliaque à Jacobo Patre edocti, religioſe obſervarunt. Sed mortuis Jacobo, ejuſque filiis, nepotes ad Ægyptiorum idololatriam, aliaque crimina, tam erga proximum quam Deum, defeciſſe, non improbabile fiet legenti Ezech. 20. 7. 8. Ubi teſtatur Deus, quod eos in Ægypto admonuerit, ut non tantum abominationes oculorum ſuorum, id eſt vanas ſuas cogitationes, cupiditates, conſilia tanquam abominabilia abjicerent & abnegarent, ac ſe pro Deo ſuo haberent, ſed etiam non polluerentur ſtercoribus Ægyptiorum, ſeu omni eorum cultu & inſtitutis pro ſtercoribus habitis, omnem cum illorum peccatis communionem evitarent, commemorans etiam eorum inobedientiam, & denegatum ſibi obſequium; Ægyptum ſcilicet & Ægyptiorum ſtercora præſentia & poſſeſſa cum duriſſimo ſervitute, præferebant, fertiliſſimæ terræ, ubi in ſumma liberta-

bertate, tanquam populus cum Rege ſuo, in typo æternæ felicitatis, familiariſſime victuri eſſent, ab ipſo infallibili & mutari neſcio Deo promiſſæ. Quare Dominus Deus populum ſuum, quem nolebat ob ſuam contumaciam in Ægypto punire, ne profanaretur ejus nomen inter gentes, Ezech. 20. 8. 9. tandem, non tam peccatorum, quam duriſſimæ ſervitutis pertæſum, ex Ægypto educturus; & genuinum ſuum cultum, qui inter ſanctiſſimos Patriarchas invaluerat, plenius inſtauraturus & copioſius ampliaturus, Moſi apparuit Exod. 3. ei ſuum inſtitutum de Populo per eum Ægypto educendo patefacit, eumque quamvis reluctantem, & linguæ tarditatem cauſantem, & ſufficientiſſime munit omnibus, quæ ad executionem talis muneris deſiderari poterant, addito ei Aarone fratre, qui ex ejus dictatis verba facturus erat Exod. 4. 14. 15. 16. & 7. 1. 2. & expreſſe aſſignat Montem Sinai tanquam locum, in quo à toto populo ex Ægypto educendo, ad ſuam voluntatem coli voluerit Exod. 3. 12. quod unicum etiam Exod. 5. 3. & alibi ſæpius Pharaoni proponunt, tanquam cauſam juſtiſſimam deſiderati ſui exitus.

§. 15. Antequam ergo Moſes eo pervenerat, tentorium ejus, tanquam caſtrorum prætorium, locus fuit, ubi ſe Dominus Moſi familiariter revelabat, voluntatem ſuam patefaciens, & populus ad Jus & ſacra Dei mandato percipienda confluebat, Exod. 18. 13. unde poſtea, Deo, propter populi duritiem & inobedientiam contumacem, ſuam præſentiam in caſtris denegante, ultra Duo millia paſſuum, ut fabulantur Judæi, extra caſtra, locatum fuit à Moſe & denominatum Tabernaculum conventus Exod. 33. 7. ita ut tunc omnis quærens dominum extra caſtrametationem exire teneretur. Ad hoc tentorium Aaron populum adegiſſe videtur, cum Exod. 16. 10. admoneret ut ſe ſiſteret ad Domini præſentiam. Huc à Moſe deductus Jetro Exod. 18. 7. 8. ut exaudiret omnia, quæ Deus in gratiam populi ſui ediderat prodigia. Hic Dominum laudavit & glorificavit Jetro, & holocauſta ac ſacrificia obtulit, nec nou cum accedente Aarone & Senioribus coram facie Domini convivium celebravit Exod. 18. 7. 12. Hic Moſen pro tribunali ſediſſe, & populum ad illud ex ſuo cujuſque tentorio adoraſſe, manifeſte colligitur ex Exod. 18. 13. & 33. 10. Moſen etiam necdum conſecrato Aarone, Sacerdotio functum fuiſſe, certis juvenibus, forte primogenitis, ex familiis delectis, qui etiam pro ſacerdotibus habiti videntur Exod. 19. 22. 24. ſuum addentibus miniſterium, apertum eſt Exod. 24. 4. 8.

§. 16. Et adminiſtratum fuit hoc modo Theocraticum Hebræorum imperium, uſque dum ad montem Sinai, diſignatum à Deo reſtituendi & amplian-di cultum, locum, perventum fuerit. Nam an Jetronis cum Moſe congreſſus & ad ejus conſilium delecti fuerint Chiliarchi, Centuriones &c, ante adventum ad montem, uti ante eum narrantur Exod. 18. an vero poſt eum

conti-

contigerint, & immediate ante eum tantum narrentur, ne in ceteris à Deo cum populo actis interruptio fieret, uti plurimis tam Judæis quam Chriſtianis interpretibus probabile fit ex Exod. 18. 5. & 19. 2. Num. 10. 29. Deut. 1. 6. 9. 14. & late probat Burm. t. 2. p. 676. Nihil facit ad noſtrum ſcopum.

§. 17. Poſtquam itaque huc adveniſſent, tertio menſe poſt exitum, Exod. 19. 1. 2. ac caſtra poſuiſſent ad montem, ibique conſediſſent, per integrum fere annum ad ſecundi ſcilicet menſis, anni poſt exitum ſecundi, diem vigeſimum Num. 10. 11. 12. Deus, præſcripta duorum dierum populi præparatione, immedate poſt primum adventum præſtanda, ſe Moſi & omni populo glorioſiſſime patefecit, & inito fœdere legem ſuam ſapientiſſimam, Angelorum miniſterio, divina cum majeſtate, coram toto populo, promulgavit. Et repetita promiſſione, conſcripta Exod. 19. 5. 6. Hebræis diſtincte propoſuit, inſtituta & judicia ſua, quæ qui faciet, vivet in iis; Ezech. 20. 11. ut ita promiſſioni inſervirent tanquam regula fidei & bonorum operum, ſecundum quam obedientiam & ſanctitatem comprobarent: Quibus acceſſit Sabbathum, tanquam pignus & ſignum ſanctificationis & libertatis à Deo promiſſæ, quo Deum compellare poſſent, tanquam ſuum, & de ſanctificatione, qua vere liberi fierent, & ad tranquillitatem & requiem à ſiti & deſiderio, & à conſcientia peccati ad conſcientiam conſummatam, adducerentur, certi eſſent. Addita etiam promiſſione de hujus vitæ felicitate in terra Canaan obtinenda, ut pignore cœleſtis & æternæ felicitatis in futura vita poſſidendæ. Sed cum populus, interea dum Moſes iterum ad Dei mandatum montem conſcendiſſet, & per 40. dies commoraretur ibidem apud Deum Deut. 9. 9. 12. per vitulum ad cultum erectum Exod. 32. inobediens exiſteret, ſtatuta Dei deſereret, & divina judicia ſperneret, ac teſtante Ezech. 20. 13. Sabbatha Dei profanaret, ex ſumma ſua μακροθυμίᾳ ad Moſis interceſſionem Exod. 32. 11. 12. non effudit in ipſos omnem ſuam iram, ſed tamen juravit, quod eos introducturus non eſſet in terram, quam promiſerat Pſalm 106. 19. 27. & 95. 9. 11. Num. 14. 22. 23. collat: Heb. 3. 17. 18. & ut inquit Propheta Ezech. 20. 25. Dedit ipſis ſtatuta non bona, & judicia in quibus non viverent, quæ Apoſt. Eph. 2. 15. dicit τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι legem mandatorum in placitis ſeu dogmatis, per Chriſtum annihilatam, legem præcepti carnalis, Heb. 7. 16. & δικαιώματα σαρκὸς præcepta carnalia Heb. 9. 10. quibus tribuit τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς imbecillitatem & inutilitatem, Heb. 7. 18.

§ 18. Quod fuit illud grave & importatile jugum Act. 15. 10. Eſa. 10. 27. quo Deus pertinacem & rebellem populum continere voluit. Hæc eſt ea pædagogia ſub qua Deo placuit ſuam eccleſiam omnium bonorum cœleſtium hære-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

hæredem, ad tempus à Patre determinatum, inſtar infantis à ſervo non differre, quamvis eſſet Dominus omnium, ſecundum Paulum Gal. 4. 1. quare etiam jugum ſervitutis dicitur Gal. 5. 1. fuit enim Chirographum contra eos ipſos Coloſſ. 2. 14. nam eorum obſervantia continua fiebat commemoratio peccati, & confeſſio conſcientiæ peccati adhuc nondum deleti, nam alioquin ceſſaſſent Heb. 10. 1. 2. 3. Ita ut hac lege eos juſtificare non volente, per ſolum Chriſtum juſtificari potuerint, Act. 13. 39. quare etiam quamdiu ea præcepta duraverunt in Eccleſia, ſemper expectata fuit διόρθωσις & correctio ſive mutatio in melius Heb. 9. 10., & excluſa fuit κρείτων ἐλπὶς melior ſpes, per quam prope accedimus ad Deum, & non φανεροῦται ἡ τῶν ἁγίων ὁδὸς manifeſtata via ad ſanctuarium cæleſte, Heb. 9. 8. Coll. cap. 10. 19. 20.

§. 19. Adjunxit autem Deus, teſtante Propheta Ezech. 20. 26. huic operoſo jugo, totius populi rejectionem, tanquam impuri, cum omnibus ſuis muneribus. Sacrificabant olim Patres omnibus in locis Exod. 24. 5. ſacrificabant & juvenes filiorum Iſrael. Num. 16. 9. & 3. 12. Hic autem elegit Deus Aaronem & filios ejus Sacerdotes, qui offerrent victimas in altari, quod conſtituendum erat coram tabernaculo, à Moſe, ſecundum ideam in monte à Deo ei revelatam, adornando, & nullo alio præterea loco Deut. 12. 5. 6. omneſque alios ſub pœna mortis vetuit accedere. Num. 3. 10. 38. Et idcirco cum Num. 16. 3. &c. Nathan & ſocii ejus dicerent totum populum eſſe Sanctum, & ſic ſe huic ordinationi divinæ opponerent, ad Dei mandatum diſſciſſa terra perierunt.

§. 20. Moſes itaque primo ſecundi anni poſt exitum die erexit Tabernaculum ſeu Domum Dei portatilem ex Dei mandato Exod. capp. 25. 26. 27. 35. 36. 37. 38. cum omnibus ſuis appendicibus, adornatam: Quam Anonymus humano plane more & accommodatim ad ſomnia ſua dicit *ſupremæ illius imperii Majeſtatis aulam fuiſſe, non ſumptibus unius ſed totius populi ædificandam, ut communis eſſet juris*, cum populus in eam nihil juris haberet, quippe Deo conſecratam, & ex ea idcirco nihil in privatam utilitatem ſine ſacrilegio convertere poterat. Hoc itaque erecto, Deus, qui variis aliis modis ſe Moſi patefecerat, ex eo Tabernaculo Moſi loquitur Levit. 1. 1. & diverſis vicibus Moſi & per eum omni populo tradit; leges ſeptem primis Levitici capitibus comprehenſas, imo totum cultum Leviticum, idque ante ſecundi menſis anni poſt exitum ſecundi primum diem Num. 1. 1.

§. 21. Ante quem etiam Moſes Lev. 8. ad Dei Mandatum convocato populo, Aaronem, quamvis ſe natu majorem Exod. 7. 7. tanquam conſtitutus ejus Deus Exod. 4. 16. & ante eum Sacerdos Pſalm 99. 6. confirmavit in ſuo Sacerdotio, ſolam Politicam illius Theocratici imperii adminiſtrationem, ſimul cum munere Prophetico, ſibi reſervans, etiam filios ſuos ultra commu-

nes

nes Levitas extollens 1 Chron. 23. 14. Ita ut Aaron hic, rejectis & depoſitis ſacerdotibus ex primo genitis aut ex aliis tribubus electis, tum tota tribu Levi aſſumatur, ut ſtet coram Deo in tabernaculo, ad rogandum Deum & offerenda Sracrificia, &c. quod Sacerdotium Paulus dicit Leviticum & Ordinationem Aaronis Heb. 7. 11. Hos dicit *Aulicos fuiſſe divinæ hujus Regiæ, & adminiſtratores, quorum ſupremus Aaron, quaſi à Rege Deo ſecundus fuiſſet*, & idcirco *ſummus legum divinarum interpres*: cui *nihil reſtabat ut abſolutus eſſet Monarcha, quam quod jus imperandi non haberet*. Verum cum ad legum divinarum interpretationem, & oracula divina populo enarranda, nulla fuerit requiſita naturalis & fallibilis rationis humanæ intercedens ratiocinatio in Aarone, cui ut fundamento niterentur illæ leges, rectius ipſe Deus per Aaronem, quam Aaron, leges interpretari dici poteſt.

§. 22. Et cum omne Politicum illius populi imperium non niſi ſimile divinum miniſterium ſit, nulla nitens humana ratiocinatione, ſed ſola divina voluntate revelata, Aaron eo etiam obtento, nullo modo ſatis recte Monarcha dici poſſet: Quamvis alioquin parum curaremus hæc nomina, ſi non ad adſtruendas recte abſurditates introducerentur. Et in Scriptura non apertiſſime videremus quod hæc tota divini cultus inſtituta adminiſtratio, non ſolius fuerit Politicæ conſiderationis, qualem de ea ſatis inepte pro ſua Phantaſia format Anonymus, ſed altioris cujuſdam & Spiritualis, ut late Paulus demonſtrat toto cap. 8. 9. ad Hebræos. Cum enim Iſraelitarum Primogenitos Deus ſibi eligeret Exod. 13. præfigurare voluit tam ſanctitatem Chriſti primogeniti fratrum noſtrorum, Rom. 8. 29. cum Coloſſ. 1. 15. coll. Heb. 2. 11. & Heb. 1. 6. quam electionem fidelium, tanquam primogenitorum Dei hæredum, Heb. 12. 23. & in familiarum primogenitis eas totas ſanctificare, iiſque ſuum in illis patefacere amorem, quemadmodum in Ægyptiorum primogenitis ſuam patefecerat iram, & in iis univerſas afflictaverat familias eorum, Exod. 13. 14. 15. coll. Exod. 12. 29. 30. Num. 3. 12. nobis etiam univerſæ familiæ divinæ in ſuo primo & unigenito filio benefacturus omni & cœleſti gratia 1 Joh. 4. 9. & Joh. 3. 16. & Eph. 1. 3. 4. 5.

§. 23. Cum vero poſt deteſtandam illam defectionem & rebellionem erga Deum, per erectum vitulum commiſſo crimine læſæ majeſtatis divinæ Exod. 32. primogenitos iterum rejiceret & ſolos eligeret Levitas manifeſtiſſime demonſtravit, ſe in primogenitis omnes rejicere Iſraelitas tanquam immundos Num. 3. 10. 38. Ezech. 20. 26. Nec ulli aditum patere niſi à ſe conſtituto Mediatore mediante Chriſto per Levitas præfigurato, qui mediator Novi Teſtamenti dicitur Heb. 9. 15. confer caput totum. Et quemadmodum ex univerſa Hebræorum gente paucos tantum ſibi elegit, ſic ex univerſa ſua Eccleſia externa per totum mundum inter omnes humani generis nationis tantum paucos elegiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ut eſſent ſanctum ſacerdotium ad offerenda &c. 1 Pet. 2. 5. Burm. t. 2. p. 653. Verum naturalis homo non capit ea quæ ſunt Spiritus Dei &c. 1 Cor. 2. 14. Cæteris Politicam Judiciorum Theocratici hujus imperii adminiſtrationem ſpectantibus, ab Anonymo præteritis, etiam nos eadem, ut prolixitatem evitemus, prætermittemus, & cum ipſo militarem ſpectabimus.

§. 23, Deus ergo ſecundo menſis poſt erectum tabernaculum primo die, qui etiam primus fuit ſecundi menſis anni ab exitu ſecundi Num. 1. 1. coll. Exod. 40. 17. integro menſe præcedente conſumpto, inſtitutione totius cultus Levitici, omnibusque iis quæ toto libro tertio Moſis enarrata leguntur; in tabernaculo Moſi mandavit, ut ſimul cum Aarone, aſſumpto ex ſingulis duodecim tribubus uno viro Principe, ab ipſo Deo nominatim expreſſo Num. 1. 4. &c. ſummam colligeret omnium ad militiam aptorum virorum ſeu omnem egredientem exercitum in Iſrael Num. 1. 3. à filio viginti annorum & *pag. 195.* ſupra, ad ſexageſimum annum uſque, præteritis ſolis Levitis, quippe qui Tabernaculo & omnibus ejus miniſteriis jam erant præfecti Num. 1. 49. 50. &c. ut ita, deinceps ſimul cum tabernaculo iter facturi, totus populus ſuo ordine procederet, & ſe ab hoſtibus facilius defenderet. *Militare* quoddam *juramentum* hic præſtitum, nec legimus, nec neceſſarium fuiſſe videtur, nam etiam in Militia nulli niſi Deo ſubjiciebantur, idque ad Miniſterium Moſis jam recepti. Ita ut inepte tale quid ſomniet Anonymus, & ex eo deducat denominationem *ordinem Dei*, & *Dei exercituum.* Cum rectius ordines Dei dicantur quia ſunt à Deo ordinati, & ad Dei arbitrium & mandatum ducuntur & Deus primario ſit exercituum Deus ab exercitu quem deſcribit Nehem. 6. 9. Moſes Gen. 2. 1. David Pſalm 103. 20. 21. &. 148. 2. 3. &c. Nec *Arca fœderis* ex tali juramento denominata aut *in prœliis præſens* adducta fuit, ſed quia pignus erat totius fœderis quod Deus contraxerat cum Iſraelitis Exod. 19. & tam gratioſæ quam glorioſæ divinæ præſentiæ apud Iſraelitas teſtimonium fuit, unde & arca roboris Dei Pſalm 132. 8. teſtimonii Exod. 26. 33. 34. & gloria Iſraelis dicitur 1 Sam. 4. 3. 4. 5. Iſraeliticarum vero caſtrametationum formam & ordinem hic latius delineare nihil attinet.

§. 24. Hoc unicum obſervari velim, quam aperte hæc Iſraelitarum caſtra repræſentaverint Eccleſiam Chriſtianam in mundo tanquam in deſerto circumducendam, quippe quæ decora & pulcra ut Jeruſalem, & terribilis ut caſtra cum vexillis Cant. 6. 4. Et quemadmodum omnes ad pugnam idonei in hac Iſraelitarum militia conſcribuntur, & Deum habebant regem ſuum ut pugnarent, & ſub ejus ductu & imperio exſtirpatis impiis Canaanitis, in ea terra jam Patribus à Deo promiſſa, cum Deo ut rege ſuo, tanquam in patria, ſumma cum libertate & gloria terreſtri, divinam & æternam præfigurante, viverent, ſic etiam omnes fideles, ſub ſupremo illo fidei duce Chriſto, qui tanquam rex debet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

debet imperare, uſque dum omnes hoſtes ejus pedibus ſubjecti fuerint 1 Cor. 15. 25. fortes eſſe debent in Domino & in potentia virtutis ejus Eph. 6. 10. ut pote qui inſtar Iſraelitarum non alios habent oppugnandos hoſtes, quam Dei: non quidem corporeos, ſed Spirituales, τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Spirituales nequitias in aere Eph. 6. 12. quare nec arma hujus militiæ carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad everſionem munitionum 2 Cor. 10. 4. Gladium aſſumitur Spiritus, quod eſt verbum Dei, & Scutum fidei, ac Veritate ſuccinguntur lumbi, & induitur lorica juſtitiæ, impoſita capiti galea ſalutis Eph. 6. & hac armatura ſub illo duce bellum geritur adverſus diabolum & omnes ejus miniſtros, uſque dum iis ſubjugatis efficaciſſima fide, divina cum libertate & gloria vivant in cælis. Sed terrenis & corporeis cogitationibus implicatus Anonymus huc non aſcendit, quamvis, ſi ad ineptam ejus mentem argumentari liceat, hæc multo magis apta ſint ad homines ad obedientiam Deo præſtandam permovendos, quam omnes Phantaſticæ & Politicæ ejus vanitates.

§. 25. Cum exercitu ſic extructo perventum eſſet per multas difficultates, & ſeditiones varias, ad Kades-barnea non procul à terra Canaan Deut. 1. 2. 19. & omnia parata forent, ad occupandam illam terram, ut patet, Deut. 1. 20. 21. Deus ad populi deſiderium, ut patet ex coll. Deut. 1. 22. 23. cum Num. 13. 2. permiſit, duodecim in terram illam emitti exploratores, quibus redeuntibus, & terram eam infamantibus, tanquam non parum extimeſcendam Num. 13. 32. univerſus Iſraelitarum cœtus flevit, & murmurando ſe Deo, ac Moſi & Aaroni miniſtris ejus infeſtiſſima rebellione oppoſuit, & cum Joſua & Caleb duo ex exploratoribus, qui ſe cæteris oppoſuerant, & verum nunciaverant, ſeditionem quantum poſſent, interea dum Moſes & Aaron ſe conjeciſſent in terram, diſſuaderent, totus cœtus eos lapidibus obruendos clamavit, ob quod factum Deus Moſi reſpondit ſe peſtilentia percuſſurum hunc populum & repudiaturum, ſed ad ardentiſſimam Moſis interceſſionem, concludit, nulli ex iis qui eum hoc modo exacerbaſſent, concedere, ut videant terram Patribus promiſſam, Num. 14. exceptis ſolis duobus illis Caleb & Joſua, alio Spiritu ductis, quam cæteri Num. 14. 24. 30. Joſ. 14. 8. & reduxit populum in deſertum vagaturum per tot annos quot dies exploratione conſumpti fuerant, 40. ſcil.

§. 26. Circa initium autem anni 40. poſt exitum, appropinquante jam tempore introitus in terram promiſſam, populus Deo ſæpius inobediens Num. 14. 22. aqua deficiente, tandem iterum murmurarunt, & ſe Moſi ac Aaroni oppoſuerunt Num. 20. 1. 2. cujus ſeditionis occaſione, & Moſes & Aaron fidiſſimi alioquin Dei famuli, ex rupe ad Dei mandatum aquam educturi tantam fidei jacturam paſſi ſunt, ut ipſe Deus hanc in eos pronunciaverit ſententiam Num. 20. 12. quia non credidiſtis in me ad ſanctificandum

 me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

me in oculis filiorum Iſrael, idcirco non introducetis cœtum hunc in terram quam eis dedi. Et quam primum progredientes ad proximum Montem Hor perverunt, e vita diſceſſit Aaron, exemplo ſuo comprobans quod per carnale ſacerdotium nulla fieret peccatorum remiſſio Heb. 9. 9. & 10. 1. 11.

§. 27. Moſes autem, ut jam tandem ad horum ſucceſſores perveniamus, ad Dei mandatum Aaroni exuit veſtes ſanctas, & iis induit Eleazarum Num. 20. 25. 26. Aaronis filium natu tertium, ſed poſtquam interiiſſent Nadab & Abihu, primum, qui Num. 3. 32. conſtitutus erat præfectus præfectuum Levi, & conſequenter ſummo ſacerdoti proximus, ac quaſi ſecundus Sacerdos, ut 2 Reg. 25. 18. de quo non legitur quod vivente adhuc Moſe per aliquod menſes ſacra alio ordine & modo adminiſtraverit, quam ejus parens Aaron. Et idcirco hactenus nihil mutatum.

§. 28. Poſt mortem Aaronis, Iſrael Dei bella gerens, ad occupandam terram ab hac parte fluminis, nullum agnovit militiæ ſummum præfectum à Moſe, ſed poſtquam ad Dei mandatum Num. 27. 12. 13. hanc vitam cum alia commutaturus, ex Monte Abarim Canaan e longinquo aſpexiſſet, Deum ardentiſſimie precibus rogavit, ut vellet in Iſraele conſtituere virum, qui eum educeret & induceret, ne cœtus Domini foret inſtar ovium abſque paſtore Num. 27. 15. 17. Et reſpondit Deus, Joſuam aſſumeret virum participem Spiritus Sapientiæ Deut. 34. 9. Num. 14. 24. 30. eique manum imponeret, qui ſolennis inaugurationis ritus etiam Num. 8. 10. obſervatur, ut & poneret eum ante faciem Eleazari ſummi pontificis & totius cœtus, ac in eorum præſentia præſcriberet mandata ſecundum quæ in ducendo populo Theocratici hujus imperii miniſterium adminiſtraret, ſic ei communicans ſuum, quem ex hactenus obſervato miniſterio poſſederat, divina gratia, ſplendorem. Et ſimul Deus Joſuæ mandavit per Pontificem divina peteret Oracula, cum Moſes, ejus anteceſſor, cui Deus nullum ſimilem conſtituit inter populum ſuum, ipſe Deum conſuleret familiariſſime. Non quidem Deus Joſuam ſubjecit Sacerdoti, ſed hoc ei voluit ab illo præſtari miniſterium, ut ita divinum obtineat conſilium & decretum, præter quod nihil in hujus Theocratici imperii adminiſtratione fieri volebat Deus. Huic Eleazaro & Joſuæ, cæteriſque per Moſen expreſſe nominatis mandavit Deus invadere terram Canaan & duodecim tribubus per ſortes diſtribuere Num. 33. 51. 55. & 34. 16. 29. Ex quibus omnibus, latius aliquantum deductis, tum quod per ſe ſatis grata viderentur, tum quod in ſequentibus neceſſaria futura ſint, quam parum hic à Moſe fuerint adhibita, vana & inania illa figmenta, quæ in Politicis & Eccleſiaſticis ſomniando ſibi formavit, & quibus hæc, plane divina, & non niſi revelatione divina cognita, miſere contorquendo accommodare voluit pro inepta ſua Methodo Anonymus, unicuique facillime patebit.

§. 29. Quis

§. 29. Quis enim hinc non videat *Moſen* hujus imperii *Dominatorem* minime fuiſſe, utpote qui nihil ſua, ſed omnia ſuperioris voluntate præſtitit, & quantum ad ſe ſæpius tali miniſterio difficillimo privari voluit & deſideravit. Quocirca, quamvis à Deo majori gratia donatus, non minus tamen quam cæteri, Divini hujus imperii fuit *adminiſtrator*, unde Paulus Heb. 3. 5. teſtatur, quod fidelis fuerit ὡς θεράπων tanquam famulus, & ipſe Deus eum ſuum famulum dicit Num. 12. 7. Ita ut non ut ſummum tenens imperium, ſed uti ſummi Imperatoris Miniſter, nec ſua, ſed ſola illius auctoritate, *leges tulerit*, vel potius ab eo latas publicaverit, & *de bello ac pace decreverit*. Imo omnem bellicum congreſſum ex oraculo divino commiſerit vel diſſuaſerit, Num. 14. 42. 43. Deut. 1. 42. &c. Nec *Dei dicta in ore Pontificis* minus fuerint *Dei decreta*, quam *in ore Moſis*, cum ex Moſe nullam obtinerent authoritatem vel certitudinem, ſed à ſolo Deo. Et eadem de cauſa *Dei reſponſa per Pontificem*, *à Joſua* non demum *& conciliis vim mandati & decreti habebant*, ſed à Deo, quomodo enim alioquin hoc imperium, ut ipſe fatetur Anonymus pag. 194. Theocratia appellari poſſet. Nec *ſummus Pontifex*, fateor, *militiam habebat*, nec etiam Moſes, ſed utrique circa eam ſuum competebat miniſterium, ſolo Deo imperium tenente, ut patet Num. 10. 9. Deut. 20. 2. 7. Joſ. 6. 4. Num. 31. 6. 2 Chron. 13. 12. 14.

§. 30. Nec *elegit Moſes ſummum Pontificem Aaronem & filium Eleazarum*, ſed Deus Exod. 38. 1. Num. 3. 13. & 8. 19. & 20. 25. 26. Ita ut ne vivo, *nec mortuo Moſe*, *quiſquam jus eligendi Pontificem habuerit.* Quare apud Joſephum de bello Jud. Lib. 4. cap. 5. Judæi ſe omnibus viribus oppoſuerint Zelotis, ſic ſeſe vocantibus ut inquit Joſephus, quaſi forent bonarum profeſſionum æmuli, ac non qui peſſimam facinorum immanitatem ſuperaſſent, qui ſorte Pontifices creare conati ſunt. Cum enim Deus Aaronem & filios ejus conſtituerit Sacerdotes Exod. 28. 1. & 29. 44. Num. 3. 10. *filius* ad Dei mandatum *Patri legitime ſuccedebat*, & primo quidem Eleazar qui etiam vivo Patre Aarone divino mandato conſtitutus erat præfectus præfectuum Levi Num. 3. 32. cujus munus & dignitas patere poterit ex collat. 2. Reg. 25. 28 Jerm. 20. 1. & 52. 24. Et hujus filio Pinehas dicto, cum ejus poſteris à Deo ob factum laudabile Num. 25. 11. 13. promiſſum fuit æternum Sacerdotium, divina providentia hoc ſic diſtribuente, ut, tempore Heli & ſuorum hac promiſſione aliquantulum dilata, quippe qui ex familia Ithamari, quarti Aaronis filii proceſſerant, tandem tempore Davidis, cum Zadok cum Abjathare parem ſacerdotii dignitatem obtineret, 2 Sam. 20. 25. 1 Chro. 15. 11. ex parte, & plenarie cum Salomon abjecto Abjathare, qui ex Heli & Ithamari familia ad huc ſupererat, in Zadoko, qui ex ejus familia erat, Pinehas promiſſum illud ſacerdotium obtinuerit 1 Reg. 2. 26. 27. 35. Zadoki

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

poſteris illud perfungentibus ad captivitatem Babylonicam uſque, ut videre eſt eorum catalogus 1 Chron. 6. 8. 16. item poſt reditum à captivitate, uſque ad tranſlationem Monarchiæ Perſicæ ad Alexandrum magnum, quorum nomina recenſet Nehemias 12. 10. 11. Unde ab aliis per eandem familiam ad Chriſtum uſque deducitur continua ſucceſſio filiorum Eleazari, de quibus vide Seldemum de ſucceſſ. & Ravanell. t. 2. p. 931. 932.

§. 31. Et conſequenter Joſua, tanquam futurus Dux Populi, à Deo conſtitutus ac coram Pontifice & populo per Moſen divina mandata recipiens, ut patet Num. 27. 18. 19. inepte dicitur *jure Moſis ipſi dato, perſonam Imperatoris induiſſe*: nullum enim Moſi competebat jus conſtituendi imperatorem, ſed tantum ad Dei mandatum inaugurandi à Deo electum & conſtitutum miniſtrum, poſt ſuam mortem ſucceſſurum.

pag. 196. §. 32. Ratio vero cur poſt Exceſſum Joſuæ, nec *Pontifex alium ſubſtituerit*, nec *Principes de ſucceſſore Deum conſuluerint*, non fuit ea, quam ſomniat Anonymus ſcil. quod *horum ſinguli Joſuæ Jus in militiam ſuæ tribus ſibi, & omnes ſimul in univerſam retinere voluerint*, & *poſt diviſas terras ratio communis imperatoris ceſſaverit, quia non amplius omnia omnium erant*. Nam cum Joſua non niſi conſtitutus Dei miniſter eſſet, nullum ei jus competebat. Nec quicquam Juris populus aut Principes ei conceſſerant, ſed ſolummodo eum à Deo per Moſen electum & inauguratum, uti naturæ jure tenebantur, admiſerunt tanquam Dei miniſtrum. Quid juris ergo poſt obitum ejus retinuiſſe dici poſſunt? Præterea cum ipſi principes à Moſe, rogato Dei conſilio, ex tribuum capitibus creati fuerint Deut. 1. 15. Exod. 18. 21. 22. abſurde concipitur eos quicquam juris hic ſibi vel in ſuæ tribus, vel univerſam populi militiam, retinere potuiſſe.

§. 33. Sed hujus ratio fuit, quod Deus per Joſuam, poſt diſtributam ſorte terram, & populo jam in ejus poſſeſſionem quadantenus miſſo, Theocraticum illud imperium adminiſtrari voluerit ſecundum leges & præcepta per Moſem Deut. 16. 18. 19. 20. & capp. 17. 18. 19. &c. & alibi data, quo ſpectant illa quaſi emortualia Joſuæ verba Joſ. 23. 2. &c. & 24. 1. Quælibet civitas ſcilicet ſuos habebat Seniores ſeu Senatum certo ordine ex iis compoſitum, de quibus multa Talmudiſtæ ad cod. Sanedrin. hic non enarranda. In qualibet tribu etiam ſummum aliquem fuiſſe ducem apertum jam eſt. Summus præterea fuit in toto & ex toto populo Senatus qui conſtabat ex Septuaginta Senioribus, ordine à Deo conſtituto lectis. Quin etiam, ut res poſtulavit, omnium tribuum Patresfamilias ad ſolennes conventus coierunt Quare Joſua, jam ſenex, & morti proximus, ac quaſi de adminiſtrando imperio poſt mortem diſpoſiturus, divino inſtinctu, convocavit omnem Iſrael & Seniores ejus & capita ejus, & Judices ejus, & præfectos ejus, Joſ. 25. 2. & præceptorum à Moſe preſcriptorum obſervantiam, quam maxime ſerio commendavit.

§. 34. Poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 34. Poſt mortem Joſuæ vero civilis politia ad Moſis inſtitutum & mandatum Joſuæ poſtremum duraſſe videtur, quamdiu Seniores illi ſuperſtites fuerunt, qui opera Dei in ipſo deſerto viderant. Sed poſt eorum diſceſſum, alia ſecuta progenies, quæ ignoravit opera Dei Iſraeli præſtita, & Moſis inſtituta deſerens, ad Baaliticum cultum defecit Jud. 2. 10. 11. 12. Quare Deus eos dedit in manus diripientium, qui eos ſpoliarunt, & in inimicorum manus vendidit circumquaque, ita ut coram eorum facie ſubſiſtere non potuerint, manu Dei eos in veniente quocunque procederent.

§. 35. Quando Deus iis gementibus & clamantibus Judices conceſſit & excitavit, Viros divino Spiritu præ cæteris actos, qui eos ab hoſtibus graviſſime preſſos judicarent & vindicarent ac in liberrtatem aſſererent, quique non ſuffragiis humanis, ſed Dei nutu & afflatu declarabantur: Non hic valebat poſteritas aut ſucceſſio, non una quæpiam tribus aut familia ſpectabatur, nec plebis aſſenſus exigebatur, ſed divinum inſtitutum, quo ſolo, virtutibus heroicis, robore corporis, arte bellica, & cæteris donis ad id quod agendum erat idoneis, inſtructi reciipiebantur, ut eorum opera & auſpiciis populus ille à tyrannis eriperetur.

§. 36. Omnibus hiſce temporibus nulla ratio eſt cur Iſraelitarum tribus *non tam concives quam confœderatæ dicendæ ſint*, nam præterquam quod inter eos nullum fœdus interceſſerit, ſed omnes ad divinum inſtitutum per tribuum principes moderatæ fuerint, habuerunt & ſummum Senatum ſeptuaginta viralem Hieroſolymis conſtitutum, qui tam de rebus civilibus quam eccleſiaſticis cognoſcebat, eaſque decretoria ſententia determinabat Deut. 17. 8. 13. Communem præterea cultum habuerunt Divinum, *Templum unicum in Prima* civitate Hieroſolyma. Una quidem tribus in aliam jus exercere non poterat, ſed omnes Senatui ſuberant, cujus decreto qui per ſuperbiam ſtare nolebat, ei moriendum erat, & omnibus incumbebat malum auferre ex Iſraele: Significabat autem Senatus epiſtolis per omnes civitates in Iſrael ſuæ talis ſententiæ executionem. Ita ut *Præpotentum Confœderatorum Belgarum ordinum imperium*, non convenerit *dempto ſolo templo communi*, ſed & excepto tali Senatu cui competat omnium cauſarum totius populi ſupremum judicium. Poſt diviſionem enim *ſingulæ tribus* quidem *ſuam terræ partem poſſidebant*, ſed *reliquis jure, quod in illam habebant, ceſſiſſe* dici minime poteſt: nam nihil juris in eam habebant, cum Deus ſorte cuique ſuam aſſignet, & ipſe omnes ſimul Senatui magno ſubjiciat. *pag.* 193.

§. 37. Ineptum eſt itaque, quod ſtatuit Anonymus, Singulos *præter Deum non alium judicem agnoſcere debuiſſe.* Qui ſcilicet, ut inquit, *alias ſi quis à Deo defeciſſet, reliquæ tribus ipſum non tanquam ſubditum judicare, ſed tanquam hoſtem, qui fidem contractus ſolverat, invadere debebant.* Nam Senatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

natus ille conſtitutus erat à Deo Num. 11. 16. & ſecundum ordinem à Moſe præſcriptum ſucceſſive repletus, non contractu aliquo tribuum inter ſe. Ideoque qui ſe per ſuperbiam ei ſubjicere nolebat, à Deo deficiebat, & tanquam ſubditus judicandus erat à reliquis tribubus. Atque ita non alium agnoſcebat judicem præter Deum, cum ille Senatus Dei locum occuparet in terris. Vide Deut. 17. 8. 13. Nec aliud occurrit obſervatum in exemplis quæ profert Anonymus.

§. 38. Quod *mortuo Joſua, filii Iſraelis, non ſummus imperator, Deum conſuluerint*, apertum eſt Jud. 1. 1. Nullus enim, quod concedo, talis erat. *Quod* autem *Tribus Judæ, quæ ex oraculo omnium prima hoſtem invadere debebat, ſola cum Simeone contrahat, ut junctis viribus utriuſque hoſtem invaderent, in quo contractu reliquæ tribus non fuerunt comprehenſæ, ſed unaquæque bellum ſeparatim contra ſuum hoſtem gerat*, Nihil pro Anonymo. Cum enim Joſua poſt partas multas victorias, ſed tota terra necdum occupata, tamen eam inter tribus diſtribuiſſet; ut ita teſtaretur, quod illius terræ poſſeſſionem ſibi tam certam jure polliceri potuerint, quam ſi jam obtinuiſſent; & ſimul à tribubus tolleret controverſias de finibus; quin & quamvis tribu cognoſcente adverſum quos hoſtes ſibi eſſet depugnandum, majori ordine bella poſtea gererentur à principibus, quos noverat ſine communi duce bellis præfuturos. Non parva reſtabat poſt mortem Joſuæ difficultas, à qua tribu initium prælii fieri oporteret. Multum enim, & merito, in iis primis bellis, quæ poſt mortem Joſuæ ſuſcipienda erant, ſitum fuiſſe ſecum reputarunt: Nam ſi à nationibus illis, una vel altera pugna ſub initiis victi ſuccubuiſſent, illæ facillime ſibi perſuaſiſſent Iſraelitarum fortunam una cum morte ducis commutatam fuiſſe. Qua opinione ſe facile confirmaſſent, & indies earum res felicius ſucceſſiſſent. Sin vero contra primis præliis Iſraelitæ ſuperiores evaſiſſent, nationum vim & audaciam indies minorem futuram, & languidas ac ſegniores effectas, majori facilitate debellatum iri, certo noverant. Qua de cauſa conſultus Deus reſpondit, prima omnium arma ſumenda eſſe à tribu Juda, quæ divina providentia valde numeroſa tribus, robuſta viribus, fortis animo, bellicoſa, & manu admodum prompta, cui etiam divino oraculo commiſſa fuit expeditio adverſus Benjamitas, Jud. 20. 18. & quæ in deſerto quoad caſtra metanda principem locum habuit Num. 2. 3. Ut & cui oraculo Jacobi regium diadema decretum erat Gen. 49. 10. Ex qua tandem etiam univerſus terrarum orbis ſuum obtineret Meſſiam. Hæc autem Simeonem ut belli ſocium vocavit, non quaſi divinis promiſſis fidem denegaret, multo minus, ut ſe, quemadmodum ſomniat Anonymus, ſingulari fœdere ab aliis ſepararet, ſed ut tanquam auxilio divinitus exhibito, & abſque culpa divinæ tentationis nullo modo negligendo, uteretur. Nam aſſignata poſſeſſio Simeonis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

adeo permiſta fuit & confuſa inter agros & regiones tribus Judæ Joſ. 15. ut utriuſque non niſi una & eadem potuerit eſſe defenſio & pugna.

§. 39. Quod vero variæ *tribus* ſingulares, *quem vellent*, etiam contra Dei mandatum, *in ditionem & fidem acceperint*, & *à nemine in Judicium vocati fuerint*: Id non arguit, hoc jure fieri non potuiſſe, nec debuiſſe: ſed aperte teſtatur illius reipublicæ defectum & debiti officii negligentiam, qua terribiles pœnas ſibi in ſuum caput concitarunt, & ſuſtinere debuerunt. Cum Jabenſes ſe ſubduxiſſent ab infligenda pœna Benjaminitis propter commiſſum horribile ſcelus communi voto decreta, juſtum adverſus eos ſuſceptum fuit bellum, utpote qui publico imperio & edicto ſub capitali pœna ſtatuto non parentes, & Reipublicæ authoritatem omnino labefactantes, mortis rei erant. Metius Suffetius dux Albanus cum Tullium Hoſtilium pugnantem in Fidenates deſtituiſ- Tullii juſſu relegatus ad duos currus, in partes diſtractus eſt. Et Pompejus, apud Plutarchum, cum Cæſarem fugeret, denunciavit ſe omnes eos, qui remanſiſſent Romæ, & communem cauſam non adjuviſſent, pro hoſtibus habiturum. Negari tamen non poteſt, quin ab Iſraelitis in hoc bello nimium ſævitum ſit; nam ſenes & mulieres imbelles, ac inſontes pueros occidere nimis crudele fuit. Ejuſdem crudelitatis etiam adverſus Benjaminitas commiſſæ tandem ſero pœnituit Iſraelitas, nullo modo vero ſumptæ, de tanto eorum crimine, pœnæ. pag. 197.

§. 40. Ex quibus omnibus, ſi nihil aliud concludere voluiſſet Anonymus, quam, ut hic præ ſe fert, *Neminem poſt mortem Moſis omnia ſummi imperatoris officia habuiſſe*, nihil contradixiſſemus, eſt enim vera concluſio, ſed ut plurimum ex falſis præmiſſis: imo addidiſſemus nec Moſen ea habuiſſe, cum rempublicam non ſuo, ſed revelando & expetendo ſolo divino judicio, adminiſtrare teneretur. Quod tamen hic, quamvis falſiſſimum, ſemper ſupponit Anonymus. Atque adeo, quandoquidem Iſraelitarum imperium, non minus poſt mortem Moſis, per plures à Deo conſtitutos, ad revelatam Dei voluntatem adminiſtrari debuerit, quam vivente Moſe per eum unicum, poſt mortem ejus non magis Theocraticum evaſit quam ante eam fuit, nec ante eam, nec poſt eam, nullo modo Monarchicum fuiſſe dici poteſt.

§. 41. Ita ut Anonymus hanc hujus Theocratiæ rationem abſurde tantum deſumat à *communi templo*, quod inepte, ut vidimus, dicit *imperii Domum regiam* fuiſſe, & *cujus ſola ratione*, quod jam confutavimus, *omnes Tribus concives dicit*: Nam & univerſum tam politiam & judicia, quam militiam ſpectans imperium ad divinum mandatum revelatum, & ante & poſt Moſen, quamvis non eodem ſemper, ſed pro Dei voluntate nonnunquam diverſo modo, adminiſtratum fuit, non minus quam Eccleſiaſticum; & præter omnium commune templum, fuit etiam communis à Deo conſtitutus omnium Senatus, nec non omnium communis conventus, quo vel inſtituerentur in lege divina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Deut. 31. 9. 10. &c. vel communi decreto, ad Dei voluntatem legitimo ordine rogatam, decerneretur quid agendum & omittendum, ut patet Jud. 1. 1. & 20. 1. 18. 23. 27. & 21. 2. 10. 13. cujus reſpectu multo majore jure, quam templi, concives dicendi fuerunt in eodem Theocratico imperio, & cui, non ex *juramento* militari, quod figmentum Anonymi eſſe, ſupra demonſtravimus, ſed ex promiſſa Exod. 19. 8. & ex naturæ lege Deo præſtanda, obedientia, ſeſe ſubjicere tenebantur.

§. 42. His ergo hactenus de Theocratici hujus imperii adminiſtratione, prolixius aliquanto, demonſtratis, ſequitur ut cum Anonymo videamus *quantum hæc ratio imperii conſtituendi animos moderari poterat, & tam eos qui regebant, quam qui regebantur ita continere; ut neque hi rebelles, neque illi Tyranni fierent.* Negari non poteſt *Hebræorum Principibus magnam facinorum cauſam*, vel rectius occaſionem, *ſublatam fuiſſe, eo quod jus leges interpretandi Levitis datum fuerit* Deut. 21. 5. Sed eos *nullam imperii adminiſtrationem nec partem cum cæteris habuiſſe*, falſum eſſe patet ex Deut. 17. 8. 9. & 19. 17. ubi maniſeſte patet Sacerdotes Leviticos & judices unum aliquod conſtituere collegium, ſupremum ſcilicet illum Senatum, ad quem omnia dubia tandem devolvebant, & deferri debebant. Secundum quod inſtitutum divinum etiam poſtea Joſaphat 2 Chron. 19. 8. 11. talem ſenatum reſtituit ex Levitis, Sacerdotibus & Capitibus Patrum ſeu familiarum Iſrael, eique curam omnis generis cauſarum primam & ſupremam commiſit, ita ut à Moſe Num. 11. 16. ſic primo inſtitutus hic Senatus, ad Chriſtum uſque ſemper conſtiterit Sacerdotibus, Levitis & præcipuis Judæorum Senioribus; quare & in Euangelio videmus idem Synedrium magnum, quod ſummam habebat poteſtatem judiciorum, Sacerdotibus & Senioribus populi fuiſſe compoſitum.

pag. 198.

§. 43. *Principes* autem & Dei, & *ſui cauſa, curare debuiſſe, ut omnia ſecundum leges præſcriptas adminiſtrarent*, eo *quod populus* non tantum *juſſus fuerit ſingulis ſeptem annis congregari, ut ex Pontifice leges addiſceret* ſed, *& quiſque eorum ſumma cum attentione librum legis legere teneretur* Deut. 31. 10. &c. & 6. 7. &c. Facile concedimus. Fatemur etiam *ad effrænatam principum libidinem coërcendam permagni momenti fuiſſe; quod militia ex omnibus civibus formabatur.* Nam ſtipendiariis militibus populum opprimere longe facilius fuiſſet, nec legitur ante Hyrcanum circa annum ante Chriſtum 134. poſtquam ſpoliato Davidis ſepulchro tria millia Talentorum inde abſtuliſſet, pecuniis iis fretum quenquam peregrinum militem conſcripſiſſe vide Joſeph. Belli Lib. 1. cap. 2. & Antiq. Lib. 3. cap. 12. & Lib. 13. cap. 16. & Lib. 16. cap. 11. apud Uſſer. t. 2. p. 109. Sed *Hebræorum principes ſolo religionis vinculo aſſociatos fuiſſe*, falſitatis convincunt ea, quæ ſupra diximus de communi Senatu ſupremo & ſeptennali, aliove communi conventu: quamvis non negemus

pag. 199.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mus *jure pro hoſte habitum fuiſſe*, *qui à religione defeciſſet*, cum à Deo, etiam ab hac ejus republica defeciſſe conſiderari debeat, & pro utriuſque hoſte haberi: quare Deus ejus exterminationem funditus inſtituendam præſcribit Deut. 13. 6. 18. cum ſic revera commiſſum ſit crimen læſæ majeſtatis divinæ in hac Theocratia.

§. 44. Quantum etiam ad compeſcendam libidinem Principum & populi potuerit *metus novi alicujus Prophetæ*, facile patet ex Prophetarum munere recte perpenſo. Nam eorum officium erat non ſolum docere res pertinentes ad timorem Dei, verum etiam tam plebejos quam magnates magno zelo redarguere, & acri ſermone convincere, ac ad reſipiſcentiam hortari, ut videre eſt 2 Chron. 15. 1. 2. &c. Jer. 17. 20. 21. & 35. 13. 14. Ezech. 3. 17. 18. Nehem. 9. 26. & alibi paſſim. Sic fecit Samuel 1 Sam. 13. 13. 1. Reg. 18. 18. Elias. 2 Reg. 6. 32. Elizæus. 2 Chron. 16. 9. Hanani. Eſa. 1. 4. 10. Eſaias & 22. 15. 18. & 28. 7. 8. 14. Jerem. 23. 14. &c. imo nonnunquam incontumaces & rebelles corporalibus pœnis animadvertere, uti Samuel 1 Sam. 15. 32. 33. Elias 1 Reg. 18. 40. divino inſtinctu prænunciare graviores pœnas peccatoribus infligendas, uti Vir Dei 1 Reg. 13. 2. 3. coll. 2 Reg. 23. 20. 21. Michæas 1 Reg. 22. 14. 28. Elizæus 2 Reg. 8. 12. 13. Jerem. 28. 8. Samuel Sam. 3. 11. 17. 18. Nathan 2 Sam. 12. 7. 11. Gad 2 Sam. 24. 13. 1 Chron. 21. 10. Ahias 1 Reg. 14. 10. Elias 1 Reg. 17. 1. & 21. 19. 2 Reg. 1. 16. Hulda 2 Reg. 22. 15. &c. Prædicebant etiam Imperiorum mutationes Samuel 1 Sam. 15. 23. Ahias 1. Reg. 11. 30. Elizæus 2 Reg. 13. 18. Ut & eventura bona, Eſaias 2 Reg. 19. 19. & 20. 5. 6. Jeremias Jerem. 29. 8. 9. Jahaziel 2 Chron. 20. 15. 16.

§. 45. Atque adeo non levis cauſa metus aderat, ſimulac vel Principes vel populus legem deſererent. Sed *quemvis*, *modo ſe Prophetam oſtenderet eſſe*, *eo ipſo jus ſummum imperandi habuiſſe*, nulla ratione probabitur: nam Deus ſemper in ea republica retinuit jus ſummum imperandi, & reliqui fuerunt conſtituti ejus miniſtri, qui revelatam Dei voluntatem ſequi tenebantur. Qua de cauſa Deum per Prophetas quidem conſulere ſolebant, ut Jeroboam per Ahiam 1 Reg. 14. 2. 3. 5. Joſaphat per Micham 1 Reg. 22. 5. 7. 11. 14. Idem cum rege Iſraelis per Elizæum 2 Reg. 3. 11. 12. 13. Ezechias per Eſaiam 2 Reg. 19. 2. Joſias per Huldam 2 Chron. 34. 21. 22. 26. Sedecias per Jeremiam Jerem. 21. 1. 2. & 36. 3. 7. & 38. 14. Sed nunquam Prophetis expetitum aut conceſſum fuit ſummum jus imperandi. Producatur ullus Scripturæ locus, quo id evincatur, ex Prophetiæ munere ſummum imperandi jus obtentum unquam fuiſſe.

§. 46. Probetur etiam, quod aſſeritur modo, *Prophetarum examen*, *veri-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ne forent, an falſi, ſolo Principis judicio ſtetiſſe, & non Sacerdotum, Levitarum, ac Seniorum ſeu totius magni Senatus, contra Deut. 17. 8. 13. & 19. 17. & *ſola Principis auctoritate receptos vel rejectos fuiſſe*; Uti ſomniat Anonymus.

pa. 200. §. 47. Non negamus etiam promotam fuiſſe Reipublicæ tranquillitatem ex eo, quod *Princeps reliquos nobilitate non excellebat, nec jure ſanguinis, ſed tantum ratione ætatis & virtutis.* Sæpius enim obſervatum multos vano nobilitatis ſolo titulo ſuperbos, non niſi ſeditiones & turbas in Rebuſpublicis excitaſſe, eaſque peſſundediſſe, & alios ſolo jure ſanguinis imperium tenentes, illud vel pro patrimonio vel abſque requiſita prudentia & ſapientia adminiſtraſſe. Cum alii veræ virtutis & fortitudinis ac ſapientiæ nobilitate & longa majorum, virtute parium, ſerie, condecorati non parvas Rebus publicis contulerint commoditates & firmitudinem omnino immutabilem, quod omnibus tacentibus ſola noſtra alta voce clamaret.

§. 48. Tandem plurimum ad pacem etiam contuliſſe, quod *Principes & univerſa militia, non magis deſiderio belli, quam pacis teneri poterant*, abſque difficultate concedimus. Sed *Principes à rebus novis abſtinuiſſe, ne ſummum Pontificem adire tenerentur, & coram ipſo præter dignitatem ſtare*, nullo modo credibile: nam cum hoc fieret ex ordinatione divina, non niſi per ſuperbiam à Deo deficiens Princeps, hoc præter ſuam dignitatem exiſtimare poteſt. Hæc de Principibus.

§. 49. *Videndum jam, qua ratione populus retinebatur. Ex imperii fundamentis* concedimus *adeo ſingularem amorem in civium animis oriri debuiſſe, ut nihil difficilius fuerit, quam patriam prodere vel ab ea deficere.* Nam à Deo deficiebat, qui à Patria; & Deus, qui eos aſſumpſerat in ſuum populum, à ſe ſolo gratioſe per revelatas ſuas leges regendum, in quem Anonymus inepte, ut ſupra vidimus, dicit, eos *jus ſuum tranſtuliſſe*, cum foret juſtiſſimus imperii & gloriæ ſuæ vindex potentiſſimus, non tantum omnes inſidias & defectus noverat omniſcius, ſed & per ſuos Prophetas patefacere poterat, & ſeveriſſimis ac inevitabilibus pœnis puniebat, cum adeo expreſſe prohibuiſſet obſervantiam legum populorum extraneorum Levit. 18. 2. 3. 4. 6. Quare odio infenſiſſimo perſequebantur omnes à Deo & ejus mandatis deficientes, idque pium credebant, ut patet Pſalm 139. 20. 21. 22. Extendentes etiam idem odium nonnunquam ad omnes alias nationes, & aliarum nationum quoſvis homines, quibus ſe omnibus modis, quamvis ſæpe non ſatis recte, longiſſime præponebant. Ita ut vix poſſibile fuerit, *Judæum in fidem alicujus extranei jurare, eique obedientiam promittere*, tantas illud odium, multis modis, in eorum animis agebat radices; an ſatis recte? minime dixerim.

§. 50. Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 50. *Extra Patriam habitare* difficillimum fuiſſe concedimus, cum ea ipſa divinitus conceſſa, foret imago melioris & digniores patriæ poſt hanc vitam poſſidendæ & inhabitandæ, ac Dei cultus non niſi in Patrio ſolo exerceri concederetur. Sed *flagitium fuiſſe*, ſi quis extra culpam à ſuis proſecutus, ad vitam conſervandam etiam inter alias nationes ſubſiſteret, nunquam probabitur. Aliam fuiſſe rationem eorum qui malo animo & terram & cultum deſererent, & conſequenter à Deo deficiebant, & qui contra voluntatem iis privabantur in ſolam inculpatam vitæ tutelam, cuique Scripturam inſpicienti fiet apertiſſimum. Non poterat autem *quis exilio damnari*, quia non erat hominum alios *pag.*
privare iis quæ æternam ſpectant ſalutem, cujus pretium nulli flagitio compa- *201.*
randum; ſed ſolius Dei, hæc gratioſe concedentis cuicunque placuerit. Tantus ergo cum foret Amor in Patriam, tantum in alias nationes *odium*, injuſtis ſæpe cauſis in immenſum adauctum, & nationum contrario odio oppoſitum, minime mirandum *Judæos quidvis pro Patria conſtantiſſime perferre potuiſſe*, & ſubjugatos, toties ſe ſuis ſuperioribus oppoſuiſſe Principibus. His acceſſiſſe *rationem utilitatis*, qua fruebantur ex legibus circa bonorum poſſeſſionem à Deo *pag.*
latis. Acceſſiſſe ſummam *obedientiæ diſciplinam*, qua ab infantia docebantur om- *202.*
nia ex determinato legis præſcripto facere. Acceſſiſſe nonnunquam celebranda ex Dei mandato *otium & lætitiam*. Acceſſiſſe ſummam *Templi reverentiam*, &c. ad conſervandam populi obedientiam aptiſſima media, nullus dubitare poterit.

§. 51. Supereſt jam, ut cum Anonymo, cauſas inquiramus quare factum ſit, ut *Hebræi toties à lege defecerint, cur toties ſubacti fuerint, & cur tandem* *pag.*
imperium omnino vaſtari potuerit. Proferri hic *gentis contumaciam puerile dicit*, *203.*
& plane inepte hæc omnia conjicit *in iram Dei*, de qua miratur quod *tanta cæleſti animo potuerit eſſe*, de Deo non aliud loquens & cogitans, quam impuriſſimi gentilium, Deum, inſtar hominum, omnis generis paſſionum & affectuum vitiis, ſubjicientium. Quare hæc diſtinctius perpendenda ſunt, ut pateat quid utrique ſit tribuendum, populi ſcil. contumaciæ & iræ divinæ. Deus primo cum populo in Ægypto verſante, omiſſis Ægyptiis & aliis gentibus, egit, tanquam cum ſuo, ſibi electo, quaſi cum infante, puero Hoſ. 11. 1. primogenito filio ſuo Exod. 4. 22. cui ſe manifeſtavit, & ſublata manu eos plane certos reddidit, quod ſecundum promiſſa Gen. 17. 7. 8. futurus eſſet ipſorum Deus, id eſt, qui ſecundum potentiam & gratiæ ſuæ divitias ipſis eſſet, in futuro Meſſia, ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio 1 Cor. 1. 30. Non dominus qui difficilia præſcribat præcepta, qui oneret, qui jugo premat, delaſſet & in ſervitutem redigat, vel ſuæ voluptatis & utilitatis cauſa moleſtiam ſubire cogat populum: ſed Deus qui nullo indiget, qui glorificari vult, ut potens, bonus, verax & rectus, qui amari, ut verum & ſolum bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

num, & qui populum ſuum, ut ſponſam, ſibi deſponſat per fidem, qua ſibi vivat, ſua cauſa lætetur, & in ſe glorietur, qui eos ducturus eſſet ad terram manantem melle & lacte, decus omnium terrarum, addita hac quaſi acceſſione ad meliorem promiſſionem, cum Deus hanc elegerat terram, ut ſedem ſibi, in qua gloriam ſuam hominibus manifeſtare conſtituerat. Miſit in eum finem ad ipſos Moſen, ut coram ipſis & Ægyptiis miracula faceret & Iſraelitis hanc liberationem annunciarent Exod. 3. Sed oblatam Dei gratiam per inobedientiam contumelioſe rejecerunt Iſraelitæ Ezech. 20. 8. præferentes præſentia & viliſſima cum tanta ſervitute ſuſtinenda, infinite majoribus terrenis & æternis bonis ſumma cum libertate frui promiſſis. Quam cauſam juſtiſſimam cum Deus haberet eos in ipſa Ægypto conſumendi, propter nomen ſuum tamen, ne id profanaretur coram gentibus, coram quibus ipſis Iſraelitis innotuerat Exod. 6. 2. 8. Ezech. 20. 9. Pſalm. 106. 7. 12. eos eduxit ex Ægypto & deduxit in deſertum, ubi quamvis viderint Dei gloriam & illuſtriſſima ſigna, decies Deum ſuum, ut ipſe conqueritur, Num. 14. 22. tentaverunt, & ejus voci non paruerunt. Quare Deus, cum, ſimulac ad montem Sinai, locum reſtituendo & perficiendo cultui Exod. 3. 12. deſtinatum, perveniſſent, & poſt initum gratioſiſſimum illud fœdus Exod. 12. 5. 6. & accepta mandata, per quæ ſi quis ea faciat, vivet Ezech. 20. 11. interea dum Moſes in monte diutius aliquantulum commoraretur, erecto vitulo, & maxime deteſtabili idololatria, Deum tentando ab ejus fœdere & mandatis turpiſſime deficerent, dedit ipſis ſtatuta non bona, & judicia quibus non viverent, & impuros illos declaravit cum donis ſuis, rejiciens omne aperiens vulvam (ſeu primogenitum) ut eos vaſtaret, ut ſcirent quod ille ſit Jehova Ezech. 20. 25. 26. Cum autem hujus, aliarumque tentationum divinarum & rebellionum radix fuerit, eorum animus contumax, adverſus tot Dei promiſſa, deſideria, miracula, & ſigna manifeſtiſſima, quibus ad obedientiam invitati toties fuerant, & non niſi duriſſimum illud obidientiæ divinæ præſcriptum obſequium, conſequenter horum non bonorum ſtatutorum ac omnium aliarum rigidiſſimarum pœnarum à Deo juſtiſſime ſæpius inflictarum, imo tandem totius, qualem jam videmus, rejectionis antecedens & meritoria cauſa fuerit, ineptum plane eſt, quod hic dicat gentis contumaciam pueriliter cauſari, præcipue cum ipſe Deus hanc eorum omnium cauſam in Scriptura ſæpius proferat. Exod. 32. 9. & 33. 3. & 34. 9. Ezech. 20. ſic Moſes Deut. 9. 22. 23. 24 & 9. 6. 7. 8. Rom. 9. 20. 22. 25. Paulus. Act. 7. 51. Stephanus. Zach.. 7. 11. 10. Zacharias. Nehem. 9. 25. 30. Nehemias; quos omnes impudentiſſimum hoc animal pueriliter agere dicit; ſolus ſcilicet ille vir eſt non modo Apoſtolis & Prophetis, ſed Deo ſapientior.

§. Sed inquit *cur hæc natio reliquis contumacior fuit*. Ignorasne illud hominum

num

num ineptiſſime? eadem quæ in te, in illis fuit contumaciæ cauſa, ſcilicet impuriſſimus animus carnalibus appetitibus & affectibus repletus, ac in denſiſſimis errorum & peccatorum omnis generis tenebris hærens, qui quamvis etiam in aliis fuerit nationibus, quia tamen iis non tam illuſtris & toties multiplicata gratia contigit, non toties Dei nomine moniti, convicti, &c. quibus non obſtantibus ſuis adhæſerint peccatis, uti Judæi & tu, qui inter Chriſtianos, ut liber tuus indicat, vivis, apertiſſimum eſt eos minoris contumaciæ reos fuiſſe, quam tu cum tui ſimilibus.

§. 53. Fruſtra itaque & eadem, qua Iſraelitæ contumacia, non agnoſcis contra Dei teſtimonium, eorum contumaciam fuiſſe cauſam defectuum, & tandem vaſtati eorum imperii, ac eam in ſolo Deo quæris, qui quaſi ex temeraria quadam *ira* vel vindictæ cupidine *conſtantius illud imperium noluiſſet*, & *ſtatuta non bona dediſſet, ut eos vaſtaret, cuique,* Taciti verbis dicis, *illo tempore non* pag. 204. *fuiſſe curæ ſecuritatem illorum, fuiſſe ultionem.* Non diffitemur Deum Iſraelitarum peccatis offenſum, præceptis bonis, in pœnam juſtiſſimam, & ſimul ad Judæos inſtar fræni retinendos in officio ſuperaddidiſſe ſtatuta non bona, id eſt, per quæ obtineri per ſe non poſſet ipſa ſalus, cum conſiſterent in differentia ciborum, & potuum, lavationibus & purgationibus externis, ſacrificiis operoſiſſimis, & omni illo cultu difficillimo, per omnem vitam obſervando magno metu & inquietudine Act. 15. 10. Heb. 2. 15. dato non tantum, ſed &c. quæ iram operarentur Rom. 4. 15. ac præceptis bonis adjeciſſe horribiles execrationes, de quarum effectu ut eſſent pædagogus ad Chriſtum Gal. 3. 24. Rom. 10. 4. utpote ob transgreſſionem appoſita Gal. 3. 19. quæ Judæi pro æternis habebant, quia ea habebant pro bonis, cum eſſent ſimul umbræ rerum futurarum, accedente corpore perituræ Col. 2. 16. 17. & ſecundum omnia per ſapientiam Dei ſic fuerunt conſtituta, ut ſua natura tenderent quaſi ſua ſponte ad interitum, nam uni loco alligata, & certis perſonis, & temporibus, eorum mutabilitatem aperte prodebant. Atque adeo Deus quidem ex ira juſtiſſima tale jugum impoſuit, ſed præceptorum eorum debilitas ad juſtitiam, & tempus determinatum non niſi à ſapientiſſimo Dei conſilio profluxit, quo ſuam eccleſiam aliter in juventute & infantia voluit regere. Ita ut non abſque blaſphemia dicat, *Deo curæ non fuiſſe ſecuritatem eorum*, cum nihil magis curæ fuerit, & Moſes teſtetur Deum eos caſtigaſſe, ut pater filium Deut. 8. 5. Non potuit autem Deus impunita dimittere peccata commiſſa, cum jam ad interitum inclinaret imperium eorum, ipſis ſic ſua culpa præbentibus occaſionem ad illum interitum, & quantum in ipſis erat, quamvis inſcie, promoventibus imperii ſui ruinam à Deo illo ipſo tempore ſapienter ab æterno determinatam.

§. 54. Quare Anonymus hic inepte ſtatuit, in inſtituenda republica Deum, ante rebellionem vituli, aliud habuiſſe *intentum, ex quo ſi reſpublica conſtituta fuiſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

fuiſſet, omnia ſecuriſſime ſe habuiſſent, & nunquam deſiiſſent: jam autem ex ira conſtituiſſe hoc tendens in populi interitum imperium. Nam Deo ab æterno ſunt cognita conſilia ſua. Nec hæc imperii inſtitutio tendit in populi ſeu hominum interitum, ſed regiminis illius, quatenus erat umbra futuri boni, & ſervitus, qua liberanda erat eccleſia, poſtquam jam ad majorem pervenerat ætatem, ad quem interitum perveniſſet, licet non peccaſſent, cum ex peccato non interitus ille, ſed jugum fuerit. Ita ut ea conſtantia horum præceptorum, non gratia, ſed pœna major fuiſſet, & ſervitus, imo crudelitas, & ſumma imprudentia Dei, qua Eccleſia jam majorennis inſtar infantis fuiſſet cöercita, & umbris ducta ſine ullo corpore. Niſi forte abſurdus Anonymus cum Æſopico cane umbram pro corpore captet.

pag. 205. §. 55. Quantum vero ad *Hiſtorias*, quibus Anonymus ſuas abſurditates *confirmare conatur*, non diffitemur Iſraelitas hoc jugum ægre tuliſſe, & ei ſe multis modis oppoſuiſſe, nam hæc ipſa fuit eorum contumacia, qua ſibi ſuam, non imperii, quippe quod ſua natura tendebat ad interitum, ruinam procurarunt, & promoverunt: Deus enim ex ira quidem jugum hoc difficile reddiderat, ſed etiam ex gratia eo utebatur, ut pædagogo ad Chriſtum, cui illi rebelles filii ſeſe oppoſuerunt. Prima rebellio fuit ea, quam inſtituit *Korah cum ſuis* Num. 16. 1. &c. Levitarum *electionem ægre ferentes*, & unanimiter *clamantes, omnes æque ſanctos eſſe*, cauſanteſque Moſen, ſuam tribum præ omnibus eligentem, & jus pontificatus fratri dantem, nihil divino mandato, ſed ad libitum omnia inſtituere. Hi cum in ſignum fidei adhibito miraculo omnes extincti forent, nova & totius populi univerſalis ſeditio orta fuit, credentis ſcil. eos non Deo judice, ſed arte Moſis extinctos eſſe, *qui tandem*, ut inquit Anonymus, *poſt magnam cladem feſſus ſedavit, aſt ita ut omnes mori mallent quam vivere, quare tunc temporis*, pergit, *ſeditio magis deſierat, quam concordia cœperat, quod Scriptura teſtatur Deut.* 31. 21. 27. 29. Sed quid hæc pro Anonymo? An exiſtimat his juſtam fuiſſe rebellionis cauſam, & conſequenter injuſtam pœnam populo inflictam fuiſſe? An putat non Deum ſed Moſen ſuis artibus hæc effeciſſe miracula? An Moſi & Scripturæ fidem non habet, cum teſtantur Aaronem & Moſem apud Deum interceſſiſſe pro rebellibus, Num. 16. 21. 48? An Deo non credit, qui ipſe teſtatur ſe Moſen & Aaronem cum Levitis, rejectis aliis omnibus, ſibi elegiſſe, Exod. 3. 10. & 4. 14. 16. & 28. 1. & Num. 3. 11. 12. &c? An laudat hanc populi pervicaciam qua mori mallent, quam vivere ſub hoc jugo, à Deo juſtiſſime, & in ſummam eorum utilitatem, impoſito? vel an putat Judæos ſuo periculo divinis mandatis obedientiam recte denegaſſe, uti de ſumma poteſtate loquitur ſupra pag. 185? Sin minus, quid hæc faciunt ad Rhombum? Nec Moſes, *Deut*. 31. 21. 27. 29. teſtatur hanc *ſeditionem magis deſiiſſe, quam incepiſſe concordiam*, ſed generaliter de populi per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

vicacia & contumacia, loquitur jam ſæpius experta; ex qua (quod Anonymo plane adverſum eſt) concludit, quod poſt ejus interitum omnia foret corrupturus, quantum poterat, jam morti proximus, hec avertere ſtudens, & maxime ſana præſcribens mandata.

§. 56. Quibus non obſtantibus, imo contumacia tanto magis accreſcente, poſt ejus mortem *magnæ* ſecutæ ſunt *mutationes*, *magnaque ad omnia licentia, luxus & ſocordia*, *quibus omnia in deterius ire cœperunt*, *donec ſæpe ſubacti jus divinum plane ruperunt & regem mortalem*, rejecto Deo, *voluerunt. Atque hinc ingens materia novis ſeditionibus*, *ex quibus etiam tandem imperii totius ruina ſequuta eſt.* Sed in his, ad imperii finem uſque proſequendis, Anonymi veſtigia legere, minime neceſſarium eſt, tum quod in iis nil adeo procul à veritate recedat, quin ſupra fuerit examinatum, tum quod nobis nil adverſum contineat. Nam noſtra ſponte ſupra jam modo conceſſimus Judæos ſua pervicacia, rebellionibus & peccatis à Deo juſtiſſime puniendis, ruinam imperii & cultus, ex Dei ſapientia tantum ad tempus inſtituti, determinato tempore, non parum promoviſſe, vel potius aptiſſimam ad eam præbuiſſe occaſionem: tum quod ex iis minime concludere poſſit, uti debebat, hoc imperium non ex primo & ſapienti Dei propoſito, ſed tantum *ex miranda* quadam, & forte non inculpabili, *cœleſtis annimi ira*, ut profaniſſime loquitur Anonymus, *cui non ſecuritas populi*, *ſed*, uti ex Tacito addit profanus, *ultio curæ fuit*, profluxiſſe. Utpote quod, præter jam dictas rationes illud refellentes, & clementiæ & præcipue juſtitiæ divinæ, quas adeo extollit Anonymus, ut ſupra ea ſola de Deo cognoſcenda defendat, apertiſſime repugnaret, nam irrationalis ira & vindicta non ex juſtitia vel clementia, ſed ex bruto quodam impetu agunt. Perpendite quam parum ſibi conſtent errores. *An* vero *imperium hoc*, *qua ratione æternum eſſe potuit*, *imitabile ſit*, *vel pium*, *id*, *quoad ejus fieri poteſt*, *imitari.* De quo dubitari nequit, ſi tale foret, quod falſo aſſerit Anonymus, cum ſemper, ſecundum ipſum Anonymum majus bonum minori præferendum ſit, *id ex ſequentibus* inquit, *patebit*; ubi & nos videbimus ineptias ejus, quas ex hoc tam inepto fundamento deducit.

pag. 206.

pag. 207.

§. 57. *Coronodis loco*, ex iis quæ hoc capite tradidit, notari vult, *Jus divinum ſive religionis ex pacto oriri*, *ſine quo nullum eſt niſi naturale*, *& ideo Hebræi*, inquit, *nulla pietate erga gentes*, *quæ pacto non interfuerunt ex juſſu religionis tenebantur*, *ſed tantum in concives.* Sed profecto hic OEdipus adſit oportet, non Davus, qui interpretetur, quid huic homini ſit jus divinum, quod & religionis dicit, & ex pacto fluit, & quid naturale, quod nullam docet pietatem. Quantum ejus mentem aſſequor putat Jus naturale nullam docere pietatem erga Deum vel proximum, ſed ſolam veritatem, nam apud eum pag. 165. Philoſophiæ ſcopus nihil eſt præter veritatem. Fidei autem ſcopus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

obedientia & pietas. Ita ut obedientia & pietas ſint in regno à ratione plane diverſo & ſeparando pag. 170. nec ſecundum eum Deus naturaliter magis quicquam juris habet in Hominem, quam unus hominum in alium: Quare cenſet jus divinum, quod etiam religionis dicit, quodque docet obedientiam & pietatem erga Deum & proximum, non niſi ex pacto oriri, unde putat pag. 185. ſummæ poteſtati licitum eſſe, nullo jure naturali repugnante, ſuo cum periculo & damno, Deo in jure ſuo revelato obedientiam denegare, & non niſi ex pacto debere. Et ex eodem fundamento hic dicit Hebræos, nulla pietate erga gentes obſtrictos fuiſſe, quia pacto, quale initum putat Exod. 3. non interfuerunt. Quæ eſt apertiſſima abnegatio Dei, & illius loci Exod. 3. corruptio, jam ſupra nobis late refutata.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Ex Hebræorum Republica & Hiſtoriis quædam dogmata politica concluduntur.

Anonym. cap. 18. *pag.* 207.

§. 1. TAndem ut pateret in quem finem tanto molimine corrupiſſet & invertiſſet inſtitutionem & adminiſtrationem Theocratici inter Hebræos imperii, hoc capite format politicas quaſdam ex iis concluſiones ineptiſſimas & abſurdiſſimas maxima ex parte, poſtea noſtræ Reipublicæ quantum potuit applicandas, & ſic ſub ſacra ſpecie introducendas ineptas ſuas opiniones & ſententias, ut volente Deo, meridiana luce clarius unicuique faciemus. Præliminariter autem præmittit, quod, *quamvis Hebræorum imperium*, prout ipſe ſomniavit ex prima Dei intentione, ante mirabilem illam cœleſtis animi, ut loquitur impurus, iram & vindictæ cupidinem, id conſtituendum fuiſſe, *æternum eſſe potuerit*, *idem tamen nemo jam imitari poſſit*, *nec etiam conſultum ſit*. Sed cur quæſo? An non ſemper majus bonum minori præponendum eſt, quod dicis pag. 178. æternam eſſe veritatem. Rationem reddit. *Nam*, inquit, *ſi qui ſuum jus in Deum transferre vellent*, *id cum Deo*, *ſicuti Hebræi fecerunt*, *expreſſe paciſci deberent*, *adeoque non tantum voluntas jus transferentium*, *ſed etiam Dei*, *in quem eſſet transferendum*, *requireretur*. Verum quis profundiſſimam hujus dicti abſurditatem exhauriat. Supra demonſtravimus, quam abſurdum ſit, creaturam ſuum jus in Deum transferre, & quam contradictorium, Deum in hominem nullum habere jus niſi ex hominis arbitrio & gratia in Deum tranſlatum. Non lubet hanc camarinam iterum movere. Solum re-

ſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſpiciamus pactum cum Hebræis initum, Exod. 3. Quid ibi contigit, An populus vel ex amore vel ſapientia Deum ſibi Ptincipem elegit? An in eum tranſtulit Jus ſuum? Nihil minus. Deus ſibi aſſumpſit populum, ſola gratia, cæteris præteritis; in hoc eſt charitas, inquit Apoſt. 1 Joh. 4. 10. non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe nos dilexerit. Moſen miſit, populo nihil tale quid cogitante. Exod. 3. 10. imo per inobedientiam rejecerunt Deum Ezech. 20. 8. Et poſtquam in deſerto, ad ſplendidiſſima Dei promiſſa, ſub obedientiæ, natura Deo ad omnia ſua mandata, quocunque modo revelanda, debitæ, conditione propoſita, ut natura dictabat & imperabat, in omnibus obedientiam Deo præſtandam polliciti erant, ſumma cum contumacia rebellarunt & divino imperio ſe pervicaciter oppoſuerunt, unde facile vel cæco patet, quam inepte dicat Hebræos ſuum jus in Deum tranſtuliſſe. Fateor tamen, quod, cum jam Deus nulli populo tali gratia, tale concedat imperium, aut tale fœdus ac Exod. 19. 5. 6. cum Hebræis ineat, nec eccleſia, jam majorennis & liberioris naturæ, tale ferat jugum & inſtitutionem infantilem, nullum etiam id legitime aut ſapienter imitari poſſe. Olim Deus per Prophetas ut patet Jerm. 31. 32. 33. &c. promiſerat ſe hiſce temporibus poſt excluſum antiquatum & abolitum Heb. 8. 10. 13. prius fœdus, ſeu teſtamentum, factum, cum populum ſuum educeret ex Ægypto, quod quaſi acceſſio fuerat fœderis & teſtamenti, ſub quo fuerunt Patres, Gal. 3. 17. novum erecturum eſſe fœdus, longe melius Heb. 7. 22. quod nullam admitteret dominationem & ſervitutem externam, & idcirco antiquari & aboleri non poſſet, cujus Mediator non Moſes aut homo quis, ſed Deus hominis natura aſſumpta Heb. 9. 15. 1 Tim. 2. 5. quod confirmatum, non ſanguine brutorum, ſed melioribus hoſtiis Heb. 9. 23. ſanguine Chriſti Heb. 12. 24. 1 Joh. 1. 7. cujus leges non in tabulis lapideis, ſed carneis cordis, Spiritu Dei tanquam digito ſunt conſcriptæ 2 Cor. 3. 3. cujus ſacerdotium non foret inconſummatum uti Leviticum Heb. 7. 11. nam mutato Sacerdotio neceſſario fiebat mutatio legis, ut Apoſtolus ibid. vers 12. ſed æternum & immutabile ibid. vers 17. 18. 24. quocirca cum nec in ipſo illo fœdere jam ulla poſſet fieri mutatio, plane abſurdum foret divinum cultum & imperii formam ad eam difficilem Hebræorum, umbratilem & perituram neceſſario conformare.

§. 2. Secunda, quam addit, Ratio, ab utili deſumpta, non niſi eos ferit, *qui ſoli abſque externo commercio vivere* non poſſent. Ita ut, ſecundum eam ex Anonymi mente, licitum ſit iis, qui tali commercio non indigent, Hebræorum imperium, cum omni cultu Levitico, revocare, cujus abſurditatem in hiſce temporibus jam demonſtravimus generaliter in omnibus. *Multa tamen*, ut inquit, Anonymus in Hebræorum imperio fuiſſe, noſtris temporibus *notatu digniſſima, quæ forſan imitari conſultiſſimum eſſet*, nimis anxie non examina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

aminabimus, ſed quænam talia cenſeat, & tanquam *ad ſcopum ſuum facientia* producat, diligentius perpendemus.

§. 3. Circa conſtitutionem Theocratici Hebræorum imperii Duo notat. pag. 208 Prius, *Quod contra Dei regnum non pugnet, ſummam Majeſtatem eligere, quæ ſummum imperii jus habeat.* Verum æque facile potuiſſet aſſerere, quod contra Dei regnum non pugnet ſecundum conſtituere Deum. *Nam ſi*, ut ineptit, *Hebræi omne ſuum jus in Deum tranſtulerunt*, quid iis ſupererit, ut aliam à Deo ſummam Majeſtatem eligant? quid juris habebit illa Majeſtas? Et cum ſupra pag. 207. dicat omne *jus divinum ſive religionis ex pacto oriri*, quid ni hac methodo liceat mihi cum homine ineptiſſimo ineptire, vel potius ei ſecundum proprias ineptias reſpondere, poſt initum cum Deo pactum, & Deo ſic jus divinum obtinente, æque ſecundum eligere Deum, ac aliam à Deo Majeſtatem imperandi. Exiſtimate, quam hoc dignum notatu ſit. Et quis ſit ſcopus ejus ad quem hæc faciant. A populo *Moſi traditum* non *fuiſſe ſummum jus imperandi*: ſed agnitum tantum fuiſſe miniſterium a Deo impoſitum, qui ſummum jus & imperium ſibi reſervans, Moſen elegerat miniſtrum, & populum de ea electione plane certum reddidit, ita ut non niſi naturam abnegantes, talem Dei miniſtrum, rejicere potuerit, ſupra jam aliquoties probatum fuit. Imo Deus Deut. 17. 15. expreſſe prohibet, ne alium ſibi præponant regem, niſi quem ipſe Deus elegerat, manifeſte ſibi reſervans omnem Principum illius populi electionem.

§. 4. Poſterius notatum eſt, *Quod quamvis ſacrorum miniſtri legum interpretes fuerint, eorum tamen non erat, cives judicare, nec aliquem excommunicare.* Verum cum excommunicatio quid foret ibi non innoteſceret, mirum non eſt, quod eam adhibere non potuerint. Hic videatur Seldenus de Synedriis, & Sanhedrin Coccæji. Præterea cum repugnaret Reipublicæ, ne quidem judices aut Principes id potuere, nam abſque exilio, de quo ſupra, non potuiſſent excommunicari. Deinde, vide Deut. 17. 8. 13. late traditur ſacerdotibus poteſtas judicandi cives, etiam mortis reos. Tandem etiam nullum erat diſcrimem cauſarum quæ judicabantur in Synedrio magno, inter Civiles & Eccleſiaſticas; ſed tam has quam illas examinabant & judicabant, illiuſque ſenatus partem ſemper etiam ex inſtituto divino conſtituebant Sacerdotes & Levitæ, qui ibidem ut membra talis Senatus omnia judicabant; quare etiam Chriſtus teſtatur, quod in ſede Moſis ſederint. Mat. 23. 2. 3. Nec quicquam ſimile poteſt inferri ex exemplis *adjurationis Joſuæ Joſ.* 6. 16. *& Saulis* 1 *Sam.* 14. 24. *& juramenti temerarii Iſraelitarum Jud.* 21. 18. Nam præterquam quod ipſis poſſim opponere amaram aquam execrationis & adjurationem mulieris prævaricantis à ſolo Sacerdote præſtandam Num. 5. 18. 21. ibidem nullo modo Sacerdotibus & ſacrorum miniſtris omne judicium interdicitur: imo

teme-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

temerarium illud juramentum Iſraelitarum Jud. 20 1. & 21. 2. ſatis apparet à toto Senatu & conſequenter à Sacerdotibus & Levitis ſimul præſtitum fuiſſe cum omnibus aliis. Ita ut, hæc Duo notata, ad Anonymi ſcopum plurimum factura, à Veritate valde procul diſcedant, & admodum debile ſint fundamentum eorum quæ ſuperſtruere conatur.

§. 5. Similia *tria notat* ex Hebræorum ſucceſſibus & Hiſtoriis, quibus non parum prodit, tum quam iniquo ſit erga omnes eccleſiæ miniſtros animo, tum quam turpis noſtræ reipublicæ ſupremarum magiſtratuum adulator; illos inter Iſraelitas omnium hæreſium & aliarum calamitatum ſolas cauſas conſtituens, ut ita hos concitaret ad iniquum in eos dominium, & his proponens, ſed falſo, quantos ea reſpublica ſuſtinuerit labores ex ſuis Principibus & præfectis militum. Primo notat, *Quod nullæ in Religione Sectæ fuerint niſi poſtquam pontifices in ſecundo imperio authoritatem habuerunt decretandi & negotia imperii tractandi, quæ auctoritas ut æterna eſſet, jus ſibi principatus uſurpaverunt, & tandem reges appellari voluerunt.* Secundum imperium cujus defectum, vel potius ſub quo Judæorum detectum, nullo modo negandum, notari voluit Anonymus, ni fallor ei eſt, quod obtinuit poſt reditum à captivitate Babylonica, quando tum Reſpublica, tum Eccleſia tam ſubditorum quam ducum malitia, ſic dirigente ſapientiſſima Dei providentia varias fortunæ ſtatuſque mutationes ſubire coacta fuit, jam Perſis eorumque Satrapis, & cum iiſdem poſtea Græcis ſub Alexando Magno eorumque ſucceſſoribus Lagidis, & Seleucidis, Ægyptiis & Syris regibus ſubjecta, uſque dum tandem ſub Aſmonæis, Arabice ſic dictis, quod forent religionis Patriæ, Venerandi Antiſtites majorem recuperavit libertatem, iterum diminutam à ſubſequentibus Romanis eam Herodi ſubjicienribus. Cum autem primi duces Hebræis præpoſiti forent, non penes eos ſolos erat ſumma rei, ſed adjunctos habebant primores paternarum familiarum Ezr. 4. 2. 3. & 3. 2. 8. & 5. 1. 2. adjunctum habebant Pontificem, ſimul cum ſacerdotibus & Levitis Hagg. 1. 1. 12. & 2. 3. Ita ut hic quaſi reſtitutum videamus magnum Senatum olim a Moſe conſtitutum in quo non minus ſacerdotes & Levitæ, quam Principes & capita populi ſuum obtinebant locum, & habuerunt decretandi aucthoritatem & imperii negotia ſimul cum aliis tractandi. Sed hinc poſtea contra legem, circa decretandi authoritatem & imperii negotia adminiſtranda, ad ejus ruinæ præparationem plurimum accrevit Pontificum authoritas, præcipue temporibus Aſmonæorum, quibus etiam Principes fuerunt Pontifices, imo eorum ultimus Hyrcanus Regium nomen & authoritatem aſſumſit, & ducatum jam antea commutatum in Principatum, in Regnum vertit. Huic mutationi occaſionem præbuit ipſe populus, ſimul cum ducibus ad ſumma crimina delapſus; nam his implicatus ab Ægypti Syriæque regibus, & præcipue ab Antiocho Epiphane Syriæ rege

per aliquot menſes ultra triennium miſere ſubactus, & per Judam Machabæum libertati reſtitutus, prioribus ducibus & pontificibus deletis, huic ipſi filio Matathiæ Sacerdotis, mutata tota Reipublicæ facie, & Principatus & Pontificatus dignitatem conceſſit, ſuccedentibus etiam duobus ejus fatribus & poſterioris filio Hyrcano; quem regnum erexiſſe diximus. Cum autem hæc omnia nullo jure fierent: quippe quod Levitis & Pontificibus, quales erant Machabæi, extra Senatum, cujus, poſt legitimam electionem, non indecora membra eſſe poterant, nullus conveniebat Principatus aut Regnum ullum. Atque per has reipublicæ Judaicæ concuſſiones & mutationes cum ejus manifeſtaretur infirmitas, atque jam ad interitum præpararetur, ex iiſdem populi & Sacerdotum defectibus Deus etiam ſpeciali ſua Providentia varias in religione ſectas & hæreſes oriri permiſit, ut tanto major excitaretur ſitis & futuri Meſſiæ, qui omnia doceret Joh. 4. 25. deſiderans expectatio; quod tanto facilius contigit, quod hoc tempore deficerent Prophetæ, qui divina reſponſa referrent, & ſuperiorum Prophetarum oracula magiſtrorum gloſſis admodum eſſent detorta & conſpurcata, de quibus populus acri contentione decertans, variis ſectis & factionibus non conſpurcari non potuit. De ſectis earumque origine hic vide *Scalig. elench. trihæreſ. cap. 22. p. 314.* Atque adeo hanc ſectarum & hæreſium in religione originem, Anonymus non Judaicæ reipublicæ Imperio,
pag. 209. ex cujus legibus Senatus ex Sacerdotibus, Levitis & Principibus compoſitus ſummam rerum tenebat, ſed ejuſdem defectibus, jam circa finem ejus, tam ducum & populi quam Sacerdotum malitia, & prudentiſſima divina directione, obortis, adſcribere debuerit, quare imperium ipſum cum in ſuo vigore ſtaret, nullis talibus ſectis ſciſſum fuit. Ita ut nullo modo dubitari poſſit & ei facile concedamus, quod non excluſis, quemadmodum male facere videtur Anonymus, ducum & populi maximis defectibus & peſſimis morum corruptelis *Pontificum adulatio, religionis & legum corruptio, harumque incredibilis augmentatio, magnam dederint occaſionem altercationibus quæ nunquam componi potuerunt*, & requiſiverunt ſuperiorem Doctorem, qui inter tot avia rectam aſſignaret viam: qui & nunc iterum ſecundo rediturus, ſuos in ſumma gloria docebit omnia, & hæreſibus, quæ jam etiam ex plurimis, in iis reliquis, imperfectionibus, oriri, & variis de cauſis, etiam in ipſam eorum utilitatem, eſſe debent inter eos, liberabit.

§. 6. Verum ut ulterius execrabilem poſſet reddere divinorum miniſtrorum in noſtra republica dignitatem, ex verbo Dei legitime determinatam & circumſcriptam, Secundo notat, *Quod Prophetæ, viri ſcil. privati,* præter quos & Deum tamen pag. 196. ſupremos Principes ſupra ſe nullum agnoſcere debuiſſe affirmat; & quos pag. 199. dicit, eo ipſo quod ſe tales oſtenderent, ſummum imperandi jus habuiſſe, *libertate ſua monendi, increpandi & exprobrandi*

homines magis irritaverunt quam correxerunt; *qui tamen à Regibus moniti vel caſtigati facile flectebantur.* Poſtquam enim miniſtros, ſub hiſce nominibus miniſtrorum V. T. privaſſet omni facultate peccatores contumaces, ſecundum id quod in V. T. conceſſum & mandatum erat Deut. 17. 8. 13. & in N. T. plurimis locis, à ſe ſeparandi & ex ſuo medio legitime removendi, eosque ſolos omnium in Doctrina corruptelarum reos egiſſet, nil reſtabat, quam ut etiam monendi & increpandi libertate & auctoritate privaret. Sed videamus num & hoc felicius, quam ſuperiora, ſuccedat? Prophetas nonnunquam fuiſſe viros privatos, divino Spiritu actos, non minus negari poteſt, quam quod etiam non ignobiles nonnunquam in publico munere conſtituti fuerint, ſed hæc non morabimur. Fatebimur etiam, quod Prophetarum increpationibus ſæpe magis irritati quam correcti fuerint Judæi; ut & quod magis flexi fuerint nonnunquam regum caſtigationibus, quam Prophetarum monitis.

§. 7. Sed veris eorum cauſis recte perpenſis, manifeſtum fiet quam abſurde Anonymus eos culpans hinc aſſerat, *quod piis regibus intolerabiles ſæpe fuerint, & religionem ex tali eorum libertate plus deterimenti quam incrementi accepiſſe, imo magna hinc orta fuiſſe bella civilia.* Populus Hebræus ut & alius quivis, magis pœnis & verberibus quam verbis flectebatur, utriſque vero muniti erant reges & Principes, Prophetæ ſolis hiſce. Pœnas quidem prænunciabant futuras, ſed præſentibus magis flectitur homo quam futuris: Etiam in præſenti nonnunquam puniebant Prophetæ, ſed raro, & ideo ſemper aliqua reſtabat populo vana ſpes effugiendi à Prophetis minata mala, cum Principum manus ſe effugere non poſſe aperte viderent. Præterea miſit Deus Prophetas temporibus plerumque maxime corruptis, cum vel populus regum, ſi forent pii, mandatis non obtemperabat, vel populus à Deo ſimul cum regibus deficiebat, & ſic ſimul cum iis adverſus Dei mandata & Prophetas inſurgebat. Ita ut omnis obedientia quam rebellis populus præſtabat regibus piis, fuerint ex metu pœnarum, & impiis ex profuſione in eandem malitiam; & omnis inobedientia Prophetarum ex rebellione, qua vel populus vel rex cum populo defecerat à Deo. Quare impoſſibile fuit veros Prophetas piis regibus intolerabiles fuiſſe, ut fingit Anonymus, utrique enim eundem finem non conſpirare non potuerunt. Sed impiis & pertinaciter vitiis adhærentibus regibus Prophetas & Deum per Prophetas intolerabiles fuiſſe, quis miretur? Quod etiam impii ſubditi, multiplicatis ad reſipiſcentiam mediis, tanto magis obfirmati fuerint in malis, & adeo ſplendidis & foventibus ſolis radiis, quibus liquefieri debebat eorum cor, induratum fuerit, quis id unquam ullo jure Prophetis imputaverit, fidiſſimis Dei adminiſtris? porci etiam gemmas pedibus conculcant, & mordent eos qui concedunt, ut in Euangelio. Orta ſint bella civilia per Prophetarum ſatis rigida mandata, nunquam demonſtrabitur id contigiſſe, niſi in populo Deum deſerente & adverſus eum rebellante.

§. 8. *Rex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 8. *Rex Aſa, qui ex teſtimonio Scripturæ* ratione cultus divini & rituum, quos integros & incolumes ad legis præſcriptum reſervavit, exceptis ſolis excelſis, quibus & Rex & populus, per errorem, contra legem, unicum Salomonis templum deſignantem, vagum, quamvis veri Dei, & illicitum, per montes, & ſub arboribus cultum obſervarunt 1 Reg. 15. 14. *pie regnavit*, quamdiu pietatem ſectatus fuit, adverſarium non habuit Prophetam, ſed cum tamen Homo, etiam inſtar Davidis, quem ſecutus dicitur 1 Reg. 15. 11. deficeret, & contra Dei mandatum, pietatem deſerens, & immemor favoris & beneficii divini, obtenti in glorioſiſſima victoria, quam de rege Æthiopum, ac ejus numeroſiſſimo exercitu reportaverat, adverſus Baaſam regem Iſraelis injuſtum ei bellum inferentem, non in Deo, ſed in carne fiduciam collocaret, & veri Dei Templum expoliaret, compilatis omnibus ejus ornamentis, quæ cum ipſe, tum Pater ejus Abiah dedicaverat & introduxerat, ut ex iis munus ad Ben-hadad Regem Aram, ſimul cum omnibus aliis regibus finitimis cupidiſſimum explendi odii ſui contra ſemen Abrahami, aliiſque particularibus de cauſis ei infenſiſſimum, mitteret, eumque tam illegitimo modo permoveret, ut irritum faceret pactum ſuum cum Baaſa rege Iſraelis, atque ita terram Canaan, quam Deus Hebræis gratioſe conceſſerat, hominibus à veri Dei cultu alieniſſimis, tam injuſto & illicito modo, diripiendam & poſſidendam exponeret: Hanani Phropheta ex Dei mandato ei ſignificavit, quod ſtulte fecerit, & hac de cauſa gravia bella adverſus eum eſſent futura 2 Chron. 16. 7. 9. Quod ægre ferens, virum Dei in carcerem conjecit, plane aliter ac David, quem imitari volebat, qui ad divinam per Prophetam factam reprehenſionem reſipuit, & ulterius procedens, ut ſolent qui ſemel aberrarunt a via, multos eodem tempore ex populo oppreſſit. Si Anonymus hæc regis facta probare poſſit, & pro pietate habere, ac ei pietati regis intolerabilem cenſeat hanc Prophetæ reprehenſionem, ut ſolet, abſurditate ſua ſatis confutatus erit & proſtratus. Abſurdum ergo & hoc ſecundum Anonymi notatum.

§. 9. Tertio *Dignum*, inquit, *ut notetur*, *eſt*, *Quod quamdiu populus regnum tenuit non niſi unum bellum civile habuerit, quod tamen abſolute extinctum fuit, & victores victorum ita miſeriti ſunt, ut omnibus modis curaverint, eoſdem in antiquam ſuam dignitatem & potentiam reſtituere. At poſtquam populus Regibus minus aſſuetus, imperii formam in Monarchiam transformavit, civilibus Bellis nullus fere finis fuit, & prælia adeo atrocia commiſerunt, ut omnium famam exſuperaverint.* Verum cum Deus ſibi aſſumpſerit & obtinuerit Hebræorum imperium, nunquam populus regnum tenuiſſe dici poteſt. Quia tamen & Moſen & Joſuam, quamvis aliquantum diverſa ratione, ut patet pag. 195. imperatores dicit, procul dubio vult populum imperium tenuiſſe ante reges poſt exceſſum Joſuæ, vel forte ante ipſos Judices, quod tamen non videtur,

pag. 210

qui

qui populi imperium regibus opponit, & non judicibus. Quicquid ſit, regnante populo dicit unicum tantum fuiſſe bellum civile, ut ex contextu patet, reſpiciens quaſi bellum Benjaminiticum Jud. 20. & 21. narratum, verum non ſatis recte hoc dicit Bellum civile, erat enim executio ſententiæ à toto populo in aliquam ejus partem latæ ob crimen ob omnibus condemnatum, cum bellum civile ſit, ubi cives populi totius imperium occupant, aut invadere conantur. Præterquam quod Anonymus ipſe ſupra ſtatuerit illas tribus earumque Principes ſummum habuiſſe imperium & ſibi mutuo ſubjectos minime fuiſſe, unde hoc nullo modo civile bellum dici poteſt. Sed concedamus fuiſſe bellum civile; ſub Regibus nullum fuiſſe poterit aſſignare, niſi poſt deteſtabilem illam ſeparationem regni Iſraelis à Juda; unde non unum ſed duplex Hebræorum regnum fuit, quæ nihil habuerunt commune, niſi forte quaſdam leges, nam plurimæ fuerunt mutatæ, & aliud erectum templum, aliaque plurima, quare nec poſt illam regni diviſionem civilia bella fuerunt inter reges illos, ſed hoſtilia. Quid ſi & hoc concederemus ſub Regibus fuiſſe plurima bella civilia ſatis atrocia, cauſam dicere facillimum eſſet. Regem enim ſibi petierant contra Dei mandatum, & manifeſta rebellione & defectione à Deo 1 Sam. 8. 7. 9. me rejecerunt, inquit Deus, ne eſſem Rex eorum. Quare juſtiſſima de cauſa Deus iis monarchicam reipublicæ formam, comitantibus plurimis incommodis conceſſiſſe potuit, quæ tamen ideo ex ea regiminis ratione neceſſario fluere dici non poſſunt. Quamvis hic non propoſuerimus diſputare quæ forma imperii cæteris præferenda ſit.

§. 10. Cæterea quæ narrat incommoda populo ſub Regum imperio contigiſſe, ſi verum ſit quod narrat, & jam minutatim examinare non vacat, ejuſdem à Deo defectionis & rebellionis pœnas fuiſſe, non autem neceſſaria conſequentia illius regiminis formæ, docent regna etiam abſque iis plane libera; nam ut plurimum à Regum & ſubditorum malitia, vel probitate, & legibus, aliiſque plurimis circumſtantiis, enumeratu difficillimis, dependent. Tandem ſi & hoc concederemus, Monarchicam imperii formam omnium harum enumeratarum calamitatum cauſam fuiſſe, quid inde pro ſe? Quid utilitatis hoc diſputare? quæ ratio propter quam hæc adeo operoſe Judæorum exemplo confirmet? Eſtne quis qui ad tantam pervenit abſurditatem, ut & in noſtra republica Monarchiam erigere ſtudeat? Apage talem hominem & deteſtabili tali crimine digna pœna tollatur.

§. 11. Ex dictis quatuor quaſi concluſiones format, manifeſtantes ex parte cur hæc tria prædicta notaſſe videre velit. Primo *videmus*, inquit, *quam pernicioſum & religioni & reipublicæ ſit*, *ſacrorum miniſtris jus aliquod decretandi*, *vel imperii negotia tractandi concedere*. Verum quamvis non tantum Angliæ regnum, ſed & ipſa Hebræorum reſpublica, in qua ſacrorum miniſtri in pag. 211.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

magno ſenatu legitime electi decretandi jus, & reipublicæ negotia tractandi, ſimul cum populi Senioribus habuerunt, contrarium probare poſſet; Videtur tamen quod ex unico vel altero exemplo tam generalis concluſio formanda non ſit, nam infinitæ populorum diverſitates & aliæ plurimæ circumſtantiæ, tantam hic cauſant varietatem, ut id alicubi aliquando ſit admodum pernicioſum, alibi alias plane neceſſarium, nam & in Helvetiorum Republica legationes inierunt ſacrorum miniſtri, nec ſine magno Reipublicæ commodo: Quare hoc cujusque Reipublicæ prudentibus Principibus ſeu Magiſtratibus plane committendum arbitrarer, quippe qui omnibus perpenſis ſoli norunt diſcernere quid ei ſit periculoſum, quid non. Hoc tamen concedimus illud Miniſterium præcipue ex Chriſti Doctrina per ſe nullum tale fundare jus decretandi in republica, vel imperii negotia tractandi, quippe quod ab ejus inſtitutione pure eccleſiaſtica plane diverſum eſt, & ſolis Magiſtratibus proprium, quibus idcirco competit pro ſua prudentia deliberare quantum illius juris ſacrorum Miniſtris ſit concedendum vel non.

§. 12. Secundo *videmus*, inquit, *quam periculoſum ſit ad jus divinum referre res mere ſpeculativas, legesque de opinionibus condere, de quibus homines diſputare ſolent, vel poſſunt.* Verum unde hoc videat, profecto non capio. Nihil enim in adminiſtratione Theocratici Hebræorum imperii hactenus notatum memini ubi vel tale quid contigit, vel tale natum ſit inde periculum. An id factum fuerit poſt ortas Judæorum hæreſes & ſectas, ignoro, & notatum non fuit, ita ut inde videri non potuerit. Sed hoc prætereamus. Progredi tamen non poſſum, quin iterum cogar inquirere, quid hoc ſibi velit *res mere ſpeculativas ad jus divinum referri?* Nam ſi per jus divinum intelligat, quod revelatur in Scriptura, uti debet, cum cenſeat jus naturale ſeu rationem non niſi veritates ſeu res mere ſpeculativas docere, & velit ſcripturam nullas docere res ſpecultivas, & idcirco cuique liberum eſſe tales de iis formare opiniones, quales cuique placet, faſtiditam cramben recoquit, nam ſupra plurima demonſtravimus talia, & infinitas inde orituras difficultates probavimus. Prout enim quis ſentit, ſic agit, & nihil eſſe de quo diſputari non poſſit inter homines, docet non modo hominum corruptio continuo creſcens, ſed & ipſa experientia in Anonymo, qui hominem abſque pacto nulla ratione cenſet obligatum ad obedientiam Deo præſtandam, & nulla pietate teneri erga alios quam illius pacti concives pag. 185. & 207. de quibus nullus unquam crediddiſſet hominum impietatem eo aſcendere poſſe, ut quiſquam de iis diſputaret, taceo, ea aſſereret. Ita ut per conſequens ſecundum Anonymum nullum in republica ſit periculum ab errore, & quidvis ſentire, quivis ſalva pace poſſit, nullo modo repugnante Scriptura.

§. 13. Fateor non recte fieri leges de opinionibus cujuſvis privatis, & privatim

vatim fovendis, nam fruſtra fiunt, quia ſi extrinſece non prodantur, plane ignorantur, & naturaliter quiſque ſibi ſuo abundat judicio, ac non niſi Deo ſubjectam habet conſcientiam; ita ut proculdubio *violentiſſime regnetur ubi tales opiniones pro crimine habentur.* Sed alia eſt ratio opinionum publice profitendarum & in republica docendarum, ut ſecundum eas in colendo Deo & proximo publice agatur, nam ſi hæ nullo modo determinatæ fuerint, certa non poteſt eſſe pax reipublicæ, nec fungitur Magiſtratus officio ſuo, ſi reipublicæ ſalutem omnibus modis, quantum poteſt, non procuret. Imo ſi ſe in his exponat arbitrio plebis, facile condemnabit innocentem & ſontem abſolvet: non enim ſic regit, ſed à bruto plebis impetu regitur. Quæ unica fuit cauſa, qua Pilatus, ut Phariſæorum iræ concederet, Chriſtum, quem innocentem noverat, cruci affigendum tradere fuit commotus. Quamvis hæc tamen adfuerit differentia, quod Judæis ſub Pilato proprium quoddam fuerit relictum judicium de cauſis ſuæ legis à Romanorum legibus diſtinctæ, quod ordinarie ſubditis non competit; erant enim hæ reliquiæ ſceptri à Juda non removendi antequam adeſſet, Meſſias, verum cum id capitale non fuerit nullo modo excuſabilis Pilatus, quod horum iræ tantum conceſſerit, ut ſe tantæ culpæ reum faceret.

§. 14. Nec ad evitandum tale malum in Republica quicquam prodeſt *pietatem & religionis cultum in ſolis illis* externis *operibus ponere, & de reliquis liberum unicuique judicium relinquere*; nam præterquam quod hoc foret in reipublicæ ſalutem omnem veram pietatem & religionem abjicere, & utriuſque umbram captare, hinc tanta introduceretur in rempublicam Hypocriſis, deſtructo omni fide & candore, ut nullum pactum nec ullus contractus in republica tam prudenter iniri poſſet, quod ſatis firmum foret & ab hominibus, quorum interna externis operibus reſpondere non tenentur, eludi non poſſet, & conſequenter id, quod Anonymus hic tanquam optimum remedium pacis in republica profert, primum & unicum foret, quod univerſalem ejus cauſaret interitum: nam abſque fide & certitudine contractuum nulla poteſt ſubſiſtere ſocietas. Sed *de his*, ut inquit, *poſtea fuſius*. *pag.* 212.

§. 15. Tertio *videmus*, inquit, *quam neceſſe ſit, tam Reipublicæ quam Religioni, ſummis poteſtatibus jus, de eo, quod fas, nefaſque ſit, decernendi concedere.* Verum quis de eo dubitat, ſi id intelligat, de publico in republica decreto, & ita fiat ut Deo rationem ejus reddere poſſit, niſi forte Deus id ſibi ſoli reſervaverit, & pro arbitrio per revelationem de jure tali decernere voluerit. Sed cum de hoc *in ſequenti* ſe *ex profeſſo* acturum promittat, etiam hic ſuperſedebimus.

§. 16. *Denique* Quarto *videmus*, inquit, *quam exitiale ſit populo, qui ſub regibus non conſuevit vivere, quique jam leges conditas habet, Monarcham eligere.* Eaque longius deducta, tandem hanc format univerſalem concluſionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

pag. 214. nem. *Quod ſcilicet uniuſcujuſque imperii forma neceſſario retinenda eſt, nec abſque periculo totalis ruinæ mutari poteſt.* Quam ambabus ulnis amplectimur. Quamvis non exiſtimemus omnes calamitates Judæorum mutatam regiminis formam ſecutas, minus fuiſſe pœnas abjecti Dei, quam mutati imperii probabiliter conſequentes difficultates. Hæc ſunt Anonymi notata & obſervata, ad ſcopum ejus, ut ait, maxime facientia, & concluſiones inde formatæ quorum uſum ſequitur ut videamus in ſequentibus, & examinemus, quem habeat ſcopum, & quantum ad eum faciant.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Oſtenditur Jus circa ſacra penes ſummas poteſtates omnino eſſe, & Religionis cultum externum Reipublicæ paci accommodare debere, ſi recte Deo obtemperare velimus.

§. 1. HOc capite præſtiturus id, quod in ſuperiori pag. 212. concluſione tertia, ſe *ex profeſſo* acturum promiſerat, ſic primo ſe explicat, *Cum ſupra dixi, eos, qui imperium tenent, jus ad omnia ſolos habere, & a ſolo eorum decreto jus omne pendere, non tantum civile intelligere volui, ſed etiam ſacrum, nam hujus etiam & interpretes eſſe debent & vindices: atque hoc hic expreſſe notare volo, & de eo ex profeſſo in hoc capite agere.* Verum nos ibi quidem conceſſimus ſolis ſummis poteſtatibus concedendum eſſe jus de eo, quod fas nefaſque eſt in Republica, publico decreto decernendi: ſed quod inde recte ſtatuatur, cum Anonymo, eos jus ad omnia ſolos habere, & a ſolo eorum decreto jus omne tam ſacrum quam civile pendere, nullo modo exiſtimamus, idque hic ex profeſſo defendere & probare propoſuimus: nam cenſemus quarumcunque ſummarum Poteſtatum jus & Deo & naturæ ſubjectum eſſe, & ab eorum decreto tantum dependere quid publice tanquam juſtum in republica quiſque tenere debeat, ſi iis poteſtatibus ſubjectus eſſe velit, minime vero quid per ſe juſtum ſit coram Deo, & quiſque privatim pro tali habere debeat; cum ipſum ſummarum poteſtatum decretum quodcunque fallibile ſit, & cuique ſubdito denegari nequeat privata de juſto & æquo coram Deo ſtatuendi libertas, quamdiu ſe publico decreto non opponit, aut quicquam facit, quo publici Magiſtratus decreti obſervantia vel tollatur vel diminuatur. Experiamur itaque quid valeat Anonymus.

Anonym. cap. 19. pag. 214.

§. 2. *Prius oſtendere volo*, inquit, *Religionem vim juris accipere ex ſolo eorum decreto qui jus imperandi habent; & Deum nullum ſingulare regnum in homines*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mines habere, niſi per eos qui imperium tenent; *& præterea quod religionis cultus & pietatis exercitium Reipublicæ paci & utilitati accommodari, & conſequenter à ſolis ſummis poteſtatibus, determinari debet*; *quæque adeo ejus etiam interpretes eſſe debent.* Ne autem inepta ejus ſacra nimis aperte ſeſe deſtruerent, *expreſſe* monet, *ſe de pietatis exercitio, & externo Religionis cultu, non autem de ipſa pietate*; *& Dei interno cultu, qui uniuſcujuſque juris eſt, quod in alium transferri non poteſt, loqui.* Sed tamen abſurditatem non effugit, nam ſi ei qui imperium tenet tantum ſubſit externus religionis cultus & pietatis exercitium, non autem ipſa pietas & cultus internus, quidni Deus ratione hujus ſingulare quoddam in homines obtineat imperium. Et præterea cum externus ſine interno, tantum cortex & umbra ſit religionis, nullum in religionem imperium tenet, cui tantum externus religionis cultus ſubeſt. Præcipue ex ſententia Anonymi qui putat externum legitime præſtari poſſe, licet quis interne verſetur in ſummo errore: cum nos exiſtimemus externum abſque interna veritate nullo modo legitimum eſſe, poſito interno cum veritate, externum deſiderari ſeu non ſequi non poſſe. Confer hic dicta ad pag. 185. *ubi* manifeſtum fiet, non ſolum externum, ſed & internum cultum, ab Anonymo magiſtratui ſubjici, quamvis & hic, & pag. 102. expreſſe contrarium velle videri velit. Monet etiam quod, cum ex cap. 14. conſtet, *eum legem Dei adimplere, qui juſtitiam & charitatem ex Dei mandato colit*, quod tamen nullus tenetur niſi ex pacto, ſecundum cap. 17. pag. 207. *Regnum Dei ſit, in quo juſtitia & charitas vim juris & mandati habent.* Quod concedi poteſt ſi ſub juſtitia & charitate comprehendat omnia quæ Deo debentur, nam ut ad cap. 14. diximus, & Deus in proximo, & proximus in Deo colitur. Sin minus, nullo modo regnum Dei, ſed humanum, & alienum à Deo cenſeri debet: ſed quæſo, eſtne hæc externa juſtitia & charitas an interna, ſi hoc magiſtratui non ſubeſt, ſi illud, nil niſi umbra eſt regni divini, cum id præcipue interna & Spiritualia ſpectet. pag. 215.

§. 3. *Si igitur jam oſtendam*, inquit, *juſtitiam & charitatem vim juris & mandati non poſſe accipere, niſi ex jure imperii, facile concludam religionem vim juris accipere ex ſolo eorum decreto, qui jus imperandi habent, & Deum nullum ſingulare regnum in homines habere, niſi per eos qui imperium tenent.* Non autem aliunde probationem eam producit, quam *quod*, ut in cap. 16. ad pag. 176. confutatum eſt, *in ſtatu naturali non plus juris rationi quam appetitui ſit, & ea de cauſa peccatum in ſtatu naturali concipi non poſſit, nec ullus locus ſit juſtitiæ & charitati*, quo nihil ineptius eſſe, vel rationi & Scripturæ magis adverſum, cum ſupra demonſtraverimus, hic eadem repetere nihil attinet. Apparet tantum ad quas abſurditates adſtruendas tam abſurda locaverit fundamenta. Et ne quid abſurditatis deſit, addit, *quod ut veræ rationis documenta vim juris haberent, neceſſe fuiſſe, ut unuſquiſque jure ſuo naturali cederet & in unum vel*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

plures alios transferret & tum demum innotuiſſe, quid juſtitia, quid injuſtitia,
pag. 216. *quid æquitas, quid iniquitas eſſet.* Cenſet enim hominem naturaliter nec proximo nec Deo obligatum eſſe niſi ex pacto, quod cum jam ſæpius confutaverimus non eſt quod iis iterum inhæreamus. Solummodo notetur quam inepte ſuas ineptias & non niſi per ineptias probare conetur.

§. 4. Cum itaque homo naturaliter Deo ſit obligatus ad juſtitiam & charitatem, nec ea obligatione ſolvi poſſit per tranſlationem juris in Principem, ſed ſupra Principem Deo maneat obligatus per naturam, uti diximus ad pag. 185. ubi & ipſe Anonymus id concedere videtur, cum aſſerit Deo ſupra omnia obediendum, abſurdiſſimum eſt quod hic dicit, *Deum nullum regnum in homines habere niſi per eos qui imperium tenent*: qui cum non dentur niſi ex pacto, homo etiam, ſi nolit, Deo obedire non tenebitur. Quod horribile dictu & auditu eſt inter Chriſtianos, & ut idem clarius pateret, addit, *quod etiam Religio Prophetice revelata vim juris apud Hebræos non habuerit, niſi poſtquam unuſquiſque jure ſuo naturali prius cederet & omnes communi conſenſu ſtatuerent iis tantum obedire, quæ ipſis à Deo Prophetice revelarentnr.* Quaſi non omnes eſſent obligati a natura ad recipienda omnia quæ à Deo revelantur, & omnibus liberum eſſet ea recipere vel non; & ſalvo jure naturæ non daretur obligatio ad obedientiam voluntatis Deo revelatæ.

§. 5. Quantum ad *ſupplicium violati Sabbathi* ante & poſt pactum populi cum Deo, utrumque à Deo fuit, ibi enim Moſes Dei verbis & mandato ſtrenue reprehendit Hebræos, ut patet Exod. 16. 28. 29. hic autem, ſecundum generalem pœnam comminatam Exod. 35. 2. ſpecialiter ſignificat transgreſſorem lapidandum eſſe Num. 16. 32. 36. Ita ut Moſes hic ne minimum plus juris habuerit, quam ibi.

§. 6. Quod *deſtructo Hebræorum imperio Religio vim juris habere deſierit,* Falſum eſt, obligabantur enim omnes ad ejus obſervantiam, quam etiam, quantum licuit, Deo præſtiterunt, & ſimulac potuerunt, omnia reſtituerunt à captivitate ſua. Singulari gratia Deus eos in Babylone nimium diſpergi non permiſit, ne fide avitiſque moribus prorſus exciderent, nec tantum ſuis moribus vivere à Babyloniis prohibitum non fuit, verum etiam in majorem libertatis ſpeciem regimen quoddam iis fuit conceſſum, habebant enim capita tribuum Ezr. 1. 5. & 8. 16. & 9. 1. Jerm. 29. 1. & Daniel cum ſociis ſummis fungebantur præfecturis Dan. 2. 48. 49. & 3. 30. & 5. 29. & 6. 29. Nec ullum tempus Prophetis & viris eximiis feracius fuit hoc ipſo, quibus Deus populum ſuum illuſtriſſimis promiſſionibus erigere, conſolari & confirmare voluit,
pag. 217. quales fuerunt Ezechiel, Daniel, Ezras, Nehemias &c. unde manifeſtiſſimum eſt, quod vim juris habere religio plane non deſierit in illa captivitate.

§. 7. *Jeremias cap.* 29. 7. exules quidem ſuadet, ut æquo animo exſpectent finem

finem captivitatis, promittens Deum ipſis poſt 70 annos daturum eſſe reſtitutionem in Patriam cum omni benedictione, dicens *conſulite paci civitatis, ad quam vos captivos duxi: orate pro ea ad Jehovam, nam in pace ejus erit vobis pax.* &c. *nam ſic dicit Jehova ſimulac repleti fuerint Babyloni ſeptuaginta anni viſitabo vos &c.* Quibus verbis apertiſſimum eſt Deum voluiſſe, ut acquieſcerent in libertate, quam media ſervitute fruebantur, & ſibi complacuiſſe in cultu quem ei quantum poterant præſtabant, non enim ignobili ſervitute tranſacto fuit ea cuſtodia, qua liberaliſſime ſervabantur, ſed illuſtriſſimis facinoribus præclarum Eccleſiæ militantis in terra typum retulit: Sed nullo modo docet Jeremias Religionem vim juris non obtinuiſſe, ſeu captivos Judæos ad revelatam religionem obligatos non fuiſſe, ut inepte concludit Anonymus.

§. 8. Ita ut etiam ineptiſſime ſomniet *Religionem, deſtructo Hebræorum imperio, non amplius tanquam juſtum ſingularis imperii, ſed catholicum rationis documentum, haberi potuiſſe, rationis dicit, quia catholica religio nondum ex revelatione innotuerat.* Nam cum Deus inter eos imperium teneret, & ejus voluntate & directione deducti eſſent in captivitatem, ſub qua, eandem quam inſtituerat regiminis formam, obtinere non poterant, ſed aliam, ipſi non minus ſecundum hanc, etiam in captivitate, à Deo inſtitutam religionem jure tenebantur obſervare, quam Deus eorum manebat Deus in captivitate. Nec potuerunt eam habere pro catholico rationis documento, nam comprehendit plurima, quæ nulla ratione naturali probari poſſent. Et quomodo hic dicit religionem catholicam necdum ex revelatione innotuiſſe, cum antea ſtatuat, legem univerſalem omnibus naturaliter revelatam eſſe, ſed ut ſolet ſibi aperte contradicit.

§. 9. Quod autem *divina documenta lumine naturali vel Prophetico revelata vim mandati à Deo immediate non accipere, ſed neceſſario ab iis qui jus imperandi habent*, ſequi aſſerat ex dictis cap. 4. quod ſcil. *Dei decreta æternam veritatem & neceſſitatem involvant, & Deus concipi non poſſit tanquam legislator & Princeps hominibus leges ferens*, à nobis ibid. confutatum, eſt iterum ineptias ineptiis adſtruere, & Deo denegare omne imperium in homines ſeſe ei non ſubjicientes, quo nihil abſurdius auditum unquam fuit, contrarium probantibus horribiliſſimis illis pœnis à Deo juſtiſſime inflictis omnibus, qui eum abnegarent. Non enim Deus foret, ſed precario ad hominis arbitrium regeret, ſi placeret iis, qui jus imperandi habent, quos pag. 185. dicit ſuo periculo poſſe nullo jure repugnante omnem Deo denegare obedientiam.

§. 10. Quantum ad *experientiam*, qua dicit comprobari, *nulla divinæ juſtitiæ veſtigia reperiri, niſi ubi juſti regnant.* Reſpondemus I. Etiam ſæpe multos ſub impio rege vivere & reperiri poſſe. II. Publice juſtitiam ab injuſtis Principibus quidem proſterni, ſed non ſtatim privatim inter omnes, quibus aliud

dictat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

dictat conſcientia. III. Juſtitia publice profligata magnam quidem privatis præberi occaſionem, eandem proterendi, ſed nullo modo imponi neceſſitatem. IV. Omnibus omnem juſtitiam abjicientibus omnes etiam ejuſdem criminis reos eſſe, & divinas pœnas æque effugere non poſſe. V. Hinc ad ſummum nihil aliud concludi poſſe, quam juſtos Principes ad populi juſtitiam plurimum facere, & injuſtos contra: nullo modo vero Dei mandata vel natura vel revelatione cognita vim juris non habere abſque decretis Principum.

pag. 218. §. 11. Ita ut ineptiſſime concludat, *tam Experientia, quam Ratione conſtare, jus divinum à ſolo decreto ſummarum poteſtatum pendere.* Nec ſanius inde deducat, *Eaſdem etiam ejuſdem eſſe interpretes.* Quod quidem ſi recte ſumatur non negamus, ſed ex alio plane fundamento. Nam cum Deus naturaliter omnibus patefecerit ſuam voluntatem, & omni populo ſuo per revelationem, ſolius magiſtratus eſt determinare, quid ſit exiſtimandum publice in republica divini & naturalis juris, ſeu quid tanquam tale obſervandum, cum ſolus ſummum teneat imperium, relicto interim cuique proprio ſuo arbitrio, quamdiu ex eo contra publica decreta & conſequenter ex Magiſtratus ſententia contra publicam tranquillitatem non agit, vel conceſſa ex republica diſcedendi facultate, ſi ex ſuo arbitrio contra publica decreta non agere non poſſit, & conſtitutas in transgreſſores pœnas ferre noluerit. Magiſtratu ſemper naturali jure obligato manente ad reddendam Deo rationem de hac divini naturaliſque juris inter ſuos ſubditos publica determinatione. Sed tamen ideo nullo modo dici poteſt Summas poteſtates eſſe juris divini interpretes, quia jus divinum a ſolo decreto ſummarum poteſtatum pendet, nam per ſe & quemvis & ſummas poteſtates obligat, hiſce tantum, uti naturali jure tenentur, tanquam Dei miniſtris, adjicientibus ſuam quam habent inter populum auctoritatem, & per eam omnes ſecum æque obligatos non tam ad ſui, quam Dei obedientiam, adſtringentibus.

§. 12. Ut autem abſurditatem ſuam ulterius adſtruat, aggreditur oſtendere, *Cultum religionis externum & omne pietatis exercitium reipublicæ paci & conſervationi debere accommodari, ſi recte Deo obtemperare velimus.* Quaſi Deus ullum mandaſſet religionis cultum externum reipublicæ paci adverſum. Sed examinemus quod profert, & quouſque ſit admittendum, videamus.

§. 13. Primo ſtatuit, *Pietatem erga Patriam, ſummam eſſe, quam aliquis præſtare poteſt, quia ſublato imperio nihil boni poteſt conſiſtere.* Verum nobis major eſt pietas erga Deum, hanc enim in Patriæ ſalutem abnegare, ſummum crimen eſt. Nam ut ipſe Anonymus faſſus eſt pag. 185. Deo ſupra omnia eſt obediendum. Et ſublato imperio nihil quidem eſt boni publici & communis: ſed tamen quiſque Deo manet obligatus ad omnia quæ vel natura vel revelatione cognovit Deum dictare & velle.

§. 14. Et ideo falſiſſimum eſt, conſtituta ſocietate, *nihil proximo pium*

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

præſtari poſſe, quod non impium ſit, ſi inde damnum totius reipublicæ ſequatur; Et contra nihil in eundem impium committi quod pietati non tribuatur, ſi propter Reipublicæ conſervationem fiat. Nam ita eſt conſtituenda Reſpublica, ut ex pietatis exercitio damnum non capiat, & illicitum plane eam ullo impietatis actu conſervare, nam ut dictum, Deo ſuper omnia obediendum eſt. Non nego quidem totius ſalutem partis conſervationi longe præferendam eſſe; ſed pietatem hoc prætextu impietatem & contra fieri, minime verum eſt. Nonnunquam etiam in ſumma Reipublicæ neceſſitate & periculo evidentiſſimo, aut in aliis quibuſdam circumſtantiis quidem pietas erga Patriam quid exigit, quod extra talem neceſſitatem non exigeret, ſed nunquam impietatem exigere poteſt. Et quicquid pietas exigit, ſi reipublicæ damnum inferat, id non illius, ſed hujus culpa contingit, nunquam enim pietas, ſed pietati adverſum, culpabile eſt. Exempla quæ profert nullo modo quadrant, nam præterquam quod prius de concedendo pallio poſt expetitam tunicam, & impie concedendo ſi inde damnum reipublicæ ſequatur, non niſi loci illius corruptio ſit, Chriſtus nullo modo pium dixit concedere pallium, niſi ut major evitaretur injuſtitia, non ut erga Patriam nova committeretur, & idcirco ibi pium non fit impium, ſed manet quale fuit pium, aliud tantum exigente pietate in aliis circumſtantiis, quod abſque eis non exigeret. Uti & in poſteriori exemplo Manlii Torquati, Pietas mandabat, ut poſitis illis circumſtantiis occideret filium, quamvis id abſque iis fuiſſet impium & nunquam licitum, nec unquam in reipublicæ ſalutem præſtari permiſſum. Et idcirco hinc nullo modo probari poteſt pium impium fieri, & impium pium, nunquam enim malum bonum aut bonum malum fieri poteſt.

§. 15. Et conſequenter abſurdiſſime concludit, *Salutem populi ſummam eſſe legem, cui omnes tam humanæ quam divinæ accommodari debent.* Nam contra populus non niſi in Deo & divinarum legum obſervantia ſuam ſalutem quærere debet, & omnes ſuas humanas leges unice eo dirigere, ut magis magiſque promoveatur ea Dei in terris obſervantia, ac tandem divina gratia ſalus per Chriſtum obtineatur æterna. Minime vero divinas leges pro arbitrio in temporaneam ſuam ſalutem flectere poteſt, exiſtimando quod Deus impium aut contra, niſi cum Anonymo abnegata omni obedientia Deo naturaliter debita: quod eſt homini, non Deo ſupra omnia obedire.

§. 16. *Solius ſummæ poteſtatis officium* quidem *eſt*, publico & decretorio judicio, pro ſua opinione, adhibitis legitimis mediis, optimo, ex Scripturæ & naturæ legibus, *determinare*, *qua ratione unuſquiſque* ad publicam ſalutem populi *debet proximum pietate colere*, idque quantum poteſt promovere; ſed cum etiam cuique ſit conceſſa Scriptura, & omnibus communis natura, utriuſque ſtudium commendatum, nulli denegandum judicium privatum,

quamdiu id publico non obeſt, aut ſi obſit, permittendum ut ex ſocietate diſcedat, niſi ſe pœnis conſtitutis ſubjicere malit: ita ut interim Magiſtratus ſemper accurate memor ſit reddendæ Deo rationis. Idem eorum officium etiam ſe extendit ad externa cultus divini, nam interna nulli homini ſubeſſe poſſunt, ut dicit pag. 102. quamvis alibi directe contra ut pag. 185.

§. 17. Atque hac ratione forte quodammodo, quamvis minus proprie, ſummæ poteſtates poſſent dici *interpretes religionis*, qua phraſi Anonymus non alia de cauſa utitur, quam ut ea tegat ſuas abſurditates de auctoritate ſummæ poteſtatis circa ſacra, quare eam, utpote duram nimis, & ineptam, potius prætermittendam cenſemus, cum non tam ſint interpretes religionis, ſupremi in terra judices, ſecundum Dei voluntatem, per Naturam & Scripturam notam, determinantes, qua ratione Deus publice in ſua ditione colendus ſit. Cum autem omnes in terris ſummæ Poteſtates humanæ ſint, & idcirco erroribus obnoxiæ, nullo modo pietatis foret, eorum decreta obſervari, ab eo, qui privato ſuo judicio, poſt legitimam inquiſitionem, eadem cenſet, vel Scripturæ contraria, nec impietatis ea negligere, ſi conſtitutam pœnam perferre decreviſſet; quod ſi noluerit, neceſſario, cum apertæ impietatis foret niſi aliunde legitimam facultatem haberet ſe opponere Magiſtratui, ex ejus imperio diſcendendum eſt; imo ſi nec id permittat Magiſtratus impietas, quidvis potius perferendum cenſeo, & Deo cauſam committendam, quam ut ſe vel impie Magiſtratui opponeret, vel contra divina Naturæ ſeu Scripturæ ſibi aperta dictata injuſtis Magiſtratuum decretis obedientiam præſtaret.

§. 18. Atque adeo ineptiſſima profecto eſt concluſio generalis, quam ex
pag. 219 prædictis format Anonymus, *Neminem pietatem recte colere, nec Deo obedire, niſi omnibus ſummæ poteſtatis decretis obtemperet*, nam cum his nullo modo conſiſtere poteſt quod ipſe conceſſit pag. 185. Deo ſupra omnia obediendum, & aperte condemnat Apoſtolos Act. 4. 19. & 5. 29. Quod enim hic dicit, *eos prædicaſſe, jure poteſtatis quam à Chriſto acceperant, adverſus Spiritus impuros*; Plane ineptum eſt, nam præterquam quod valde profecto deſiderarem ſcire, quinam huic homini, qui adeo inepte de Angelis locutus fuit pag. 5. & 50. ſint Spiritus impuri? quæ poteſtas adverſus eos, & quid jus illius poteſtatis? falſum eſt, Apoſtolos ex jure talis poteſtatis prædicaſſe; nam præter eam poteſtatem, expreſſum iis Chriſtus dedit prædicandi mandatum, ut patet Matt. 10. 1. 5. ad cujus mandati executionem illo tempore, quidem admodum utilis erat & neceſſaria talis poteſtas; ſed ea per ſe nullo modo fundabat jus aliquod prædicandi ſine mandato. Jam autem omnibus non minus mandatum eſt obedire Deo in iis, quæ per Naturam & Scripturam dictavit, quam Apoſtolis ut prædicarent Chriſtum, ut Marc. 8. 34. 38. 2 Tim. 2. 12. Luc. 14. 25. 26. 27. Matt. 16. 25. 26. Fateor quidem in Apoſtolis ex abundantiſſima gratiæ menſura,

ſura, hic nihil adfuiſſe temeritatis, qualis jam forte facillime reperiretur & culpanda foret in hominibus, quibus tantum gratiæ conceſſum non fuit; ſed tamen ideo ipſe actus ſi abſque temeritate fiat, non magis culpandus foret in his quam in illis. Nam tam hi quam illi ex officio ſervant Dei mandatum.

§. 19. Quod autem dicit, *Deum iis certa revelatione contra Tyrannum auxilium promiſiſſe*, Id concedimus, eratque tunc temporis ea promiſſio neceſſaria, quia in prima illa Chriſtianæ eccleſiæ erectione, nihil aliud à Judæis & Gentilibus expectari poterat: jam autem Summis poteſtatibus ipſam Chriſti Doctrinam recipientibus, tali non adeo videmur egere; quamvis quis, gentilibus Euangelium nunciare legitime miſſus, propter cauſæ ſimilitudinem, ſummo jure ſibi applicet eaſdem promiſſiones. Sed tamen, an ideo jam legitime non fit, quia non datur tam expreſſa promiſſio? Nihil minus. Nam ea promiſſio tantum fuit addita mandato juſtiſſimo, nè Apoſtoli per infirmitatem ab officio abſterrerentur, nullo modo ut jure agerent quod erat mandatum.

§. 20. Sed inquit, ſi hoc liceret, *fruſtra imperium ſtatueretur, & illud Salomonis Prov.* 24. 21. *Fili mi, time Deum & regem, impie dictum fuiſſet.* Verum plane aberrat, nam Chriſti Doctrina non evertit imperia, ſed tantum humanum imperium Divino poſtponit, quemadmodum & Salomon prædicto loco timorem Dei regis timori præponit. Ita ut utiliſſima ſint imperia, utpote quæ à Deo Rom. 13. 1. 2. ſunt ordinata & idcirco Deo ſemper ſubjecta, quare ſi ſe ei opponant, ejuſdem criminis reus foret quivis ſubditus, vel ſimul cum ſuo Magiſtratu deficiens, vel ſeſe divinæ ordinationi opponens. Adeoque nihil tutius quam ut Deo ejuſque mandatis adhærens Tyrannidis ſævitiam ſi poſſit effugiat, vel Deo cauſam committens patienter ferat, niſi aliunde ſibi habeat, ſe adverſus eum defendendi jus. Fatemur tamen hic non parva cura vitandam omnem temeritatem, tum Principi, tum ſingulis ſubditis, cum utriſque tandem Deo ſit reddenda ratio.

§. 21. Quantum ad *Praxin*, qua ſuam concluſionem confirmari dicit, ea nulla eſt. Nam *quod nemini ſubditorum liceat auxilium ferre ei quem ſumma poteſtas reum mortis vel hoſtem judicavit*, id nihil probat, quam quod non liceat ſe Principi opponere, quod exiſtimamus certiſſimum; nam qui id facit, ordinationi Divinæ reſiſtit, Rom. 13. 2. Sed non tamen ideo cum peccante Magiſtratu tenetur peccare, aut divinis mandatis humana poſtponere. Nec inter *Hebræos repugnabat amori quo quiſque proximum tanquam ſe ipſum tenetur amare*, quo quivis erat obligatus, *detegere falſarium*, quem adjuratione, ſe præſente, facta in judicio falſi teſtimonii reum cognoverat, & ſic veritati teſtimonium dare Lev. 5. 1. ne ejuſdem criminis particeps fieret Prov. 29. 24. aut in judicio *judici indicare* & toto populo adjuvante *occidere fratrem, filium, filiam, uxorem, vel amicum* qui in occulto dicit, eamus & ſerviamus diis aliis, diis populorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

qui circa nos, atque ita clam defectionem à Deo conatur introducere Deut. 13. 8. 9. & 17. 2. 7. Sed hoc ipſum aperte ſignificabat amorem Dei omnibus præferendum eſſe: ita ut hic nullo modo impium quid, pium fiat, quia quaſi committitur in ſalutem reipublicæ, ſed quod pium eſt, pie peragitur; ne quis ſub ſpecie pietatis erga proximum, impietatis erga Deum reus fiat.

§. 22. Deinde falſum eſt, tum quod *Hebræi ad conſervandam libertatem, Religionem ſoli imperio accommodaverint*, cum non illi, ſed Deus, primo religionem, & deinde ſecundum eam imperii leges præſcripſerit; tum *quod iis, ut ſeſe à reliquis nationibus ſepararent, dictum fuerit, dilige proximum tuum, & odio habe inimicum tuum* Matt. 5. 43. *Jeremia* demum *poſt amiſſam imperium in captivitate Babylonica docente cap.* 29. 7. *conſulere incolumitati civitatis, in qua captivi tenebantur; & Chriſto, poſtquam eos per totum orbem diſparſum iri vidit, docente, ut omnes abſolute pietate colerent.* Nam id nunquam in Scriptura ſacra, ſed à Phariſæis, falſis legis Doctoribus & corruptoribus, dictum fuit, lex enim Lev. 19. 18. habet *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, unde illi non tantum abſtulerunt illud, *ſicut te ipſum*, à Deo expreſſe additum, ut etiam ex corde exſtirpato proximi odio, proflueret amor, verum & *proximi* ſignificationem reſtrinxerunt ad amicos & Judæos, & fallaciſſima ratiocinatione, quemvis non amicum non judæum concluſerunt odio proſequendum eſſe, ſumpto proculdubio prætextu à Deo præſcripti mandati, de extirpandis, & nulla affinitate aut fœdere jungendis illis ſeptem populis notiſſimis; à quibus abſurdiſſimis corruptelis Chriſtus Matt. 5. 43. 44. legem vindicat, veram legis de dilectione proximi ſententiam, tanquam divinus legis Doctor, abſque ulla ratione imperii, cui ſe accommodaſſet, cum ejus regnum non eſſet hujus mundi, iis opponens, & docens non modo externis verbis & operibus, verum etiam ex corde præter amicos & judæos, diligendos eſſe Gentiles & Samaritanos infeſtiſſimos inimicos Judæorum, qualem pro Judæi proximo habendum Scribam illum in Euangelio fateri coëgit Luc. 10. 37. idque ſecundum legem quæ Lev. 19. 18. proximi amorem ut ſui ipſius, docet, & non modo Exod. 24. 4. jubet inimici pecus aberrans in viam reducere, ſed & ſecundum Salomonem qui ex ea lege Prov 25. 21. docet cibare inimicos: imo ſecundum ipſum jus naturæ, quod omnes homines hominibus commendat. Οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ. Veteres ſapientes dicere ſolitos, ait Hierocles. Ex quo omnem collocandi in aliquem beneficii occaſionem in lucro ponebant olim Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus, homines demerendis hominibus nati. Et cum Hebræis divino mandato præſcriberetur ſeptem nationum extirpatio, non niſi Dei miniſtri, & divinæ ſententiæ executores fuerunt Rom. 13. 4. in quibus odium non magis ferri poteſt, quam in Judice, reum ex legis dictato mortis condemnante. Imo quotieſcunque in hac ipſa executione meminiſſent ſibi pollicitam à Deo

gen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

gentilium hæreditatem, & tandem etiam colligendos gentiles, ut Dei filios, abſque miſericordia hoc juſtiſſimum Dei Judicium gentibus ob ſua peccata decretum, executioni dare, nec debuiſſent, nec potuiſſent. Tantum abeſt, ut hinc aliquod jure potuerint ſumere fundamentum, tam irrationalis odii, ac ex peſſimis Phariſæorum legis corruptionibus, non modo erga has, ſed etiam erga quaſvis nationes, & ipſos ſuæ nationis Samaritanos exercuerunt. Quod ipſum odium injuſtiſſimum, etiam in captivis coëgit & compeſcuit Jeremias, cum præſcriberet, ut conſulerent paci civitatis in qua captivi tenebantur. Ita ut Anonymus hic nihil habeat quo ſuam abſurdiſſimam ſententiam de accommodandis ad populi ſalutem legibus divinis, aut obedientia ſummis poteſtatibus, quævis, etiam Scripturæ & Naturæ adverſa, mandantibus, præſtanda, abſque privato cujuſvis judicio.

§. 23. Quantum ad eos, quos *adverſarios* ſuos dicit, & quibus tribuit, *quod jus ſacrum à jure civili ita ſeparent, ut hoc tantum penes ſummas poteſtates,* *pag. 220.* *illud autem penes univerſam Eccleſiam eſſe contendant*, nos iis accedere non poſſumus, ſi reperiantur qui id ſic intelligant, ut Magiſtratui interdicant jus ſecundum Dei voluntatem, tum per Naturam tum per Scripturam revelatam, publico & decretorio judicio, poſt legitimam ſatis inquiſitionem, & invocatum precibus divinum auxilium, determinare, qua ratione Deum in ſua republica coli voluerit. Nam abſque hoc utriuſque tabulæ divinæ legis cuſtos dici non poſſet, & nullo modo Magiſtratus, ſeu patriæ patris, taceo Chriſtiani Magiſtratus, cujus eſt & futuræ vitæ ſalutem, populo, quantum in ſe eſt, procurare, officium præſtare poſſet; verum ſi hoc concedant, & Eccleſiæ ejuſque Doctoribus, ſub cura & inſpectione Chriſtianorum Magiſtratuum, tribuant jus & facultatem Dei voluntatem populo proponendi, ſecundum eam monendi, objurgandi, reprehendendi, & contumaces, ordine à Magiſtratu ſecundum Scripturam probato, pudefaciendi, & ab Eccleſiæ communione removendi, ineptiſſimus eſt Anonymus, qui hanc *ſeditioſam* audet dicere *opinionem*, quæ minimas ſeditioni occaſionem præbet: ſed remedium præſentiſſimum, cum Magiſtratui concedat ſupremam curam, ſecundum Dei voluntatem præſtandam.

§. 24. Et ad hanc opinionem confirmandam plurimum profecto facit *exemplum à ſummo Hebræorum pontifice deſumptum*, hac unica tantum cum diverſitate, quod ipſe ſolus haberet divina reſponſa, quæ non niſi per ipſum à Deo peti poterant, cum jam omnibus tam ſubditis quam Magiſtratibus & Eccleſiæ miniſtris, in Scriptura loquatur Deus. Nam ut tunc munus pontificis à Deo, non à Moſe, ut fingit Anonymus, & nobis ſupra confutatum fuit, ſed ex Dei mandato per Moſis miniſterium inſtitutum fuit: & in Aaronem, & filios ejus, à Deo deſignatos, collatum; ita & jam ſacrorum miniſtrorum munus in

Eccleſia divinum eſt, à Deo inſtitutum, & per Magiſtratus & populi, ad patefactam omnibus Dei voluntatem, & conſtitutum ordinem, vel etiam ipſius Dei, ſorte factam, deſi gnationem, electos Dei miniſtros, ſecundum ipſa Dei oracula in Scriptura propoſita, adminiſtratur. Ibi quidem ad hujus muneris confirmationem ſolo Moſis miniſterio uſus fuit Deus, quia ſe non niſi Moſi revelabat, & per eum populo; cum jam ſe omnibus patefaciat, & idcirco omnium miniſterio, ſub conſtitutorum à Deo Magiſtratuum, ejuſdem Eccleſiæ filiorum, tanquam nutriciorum tamen, Eccleſiæ cura, uti velit, in conſtituendis ſacrorum ſuorum, ad ſuum præſcriptum, miniſtris. Ita ut non magis tunc à Moſe, quam jam à populo ſuam prædicandi Dei verbum aucthoritatem habere dici potuerint, nam & tunc, & jam, divinum fuit, & eſt miniſterium, à Deo per homines collatum, Magiſtratibus, ut legis cuſtodibus legitimam curam gerentibus, ne quid hic contra divinum ordinem agatur. *Pontifices* autem poſt captivitatem Babylonicam etiam *Principatus obtinentes*, cum id manifeſte contra legem fieret, ut ſupra demonſtravimus in Aſmonæis ad pag. 208, pro aſſerendo ſuo errore, de jure ſummarum poteſtatum circa ſacra, hic inepte producuntur ab Anonymo: nam quid juris fundari poteſt in injuſtitia & errore.

§. 25. Quantum ad *Reges penes quos jus circa ſacra abſolute fuiſſe* aſſerit, & mox ulterius ſe patefacturum promittit, de iis ipſis, ſibi adverſus, fateri tenetur, quod *manus ſacris in templo adminiſtrandis*, *admovere non licuerit. Quod* autem, ut nobis certiſſimum eſt, *in Chriſtiano imperio locum non habeat*, *unius alicujus familiæ ſegregatio ad hoc miniſterium*, cæteris rejectis, facta divinitus, inde minime concludi poteſt, *hodierna ſacra ſolius juris ſummarum po-*
pag. 221. *teſtatum eſſe*, ut inde ſatis abſurde concludit Anonymus: nam cum per Chriſtum ab Eccleſia tolleretur jugum illud, propter abnegatum Deum in deſerto ei impoſitum, non abſtulit divinitatem ſeu divinam aucthoritatem à Deo inſtituti miniſterii Eccleſiaſtici, idque deinceps ſola humana ſummarum poteſtatum aucthoritate niti voluit; ſed reſervata ejus aucthoritate divina, nullum non admiſit, aptum, & ſecundum ordinem à Deo in Scriptura præſcriptum, ſub cura & inſpectione ſummarum poteſtatum, electum. Ita, ut jam aucthoritas hujus muneris non minus ſit divina, quamdiu Scripturæ conformatum eſt, quam olim cum per Moſen ex Dei mandato fuit inſtitutum. Sed tamen cum nullus niſi ſub cura & inſpectione ſupremarum poteſtatum, in tali munere publice in alicujus reipublicæ Eccleſia poſſit conſtitui, & ex divina aucthoritate tali munere fungi, negari non poteſt, quod etiam ſacri miniſterii cura ſummis poteſtatibus competat, & non niſi eorum auctoritate tale miniſterium à quoquam in republica publice obiri. Verum hoc procul abeſt ab eo, quod hoc miniſterium non niſi ſummarum poteſtatum auctoritate niteretur, ſeu quod, ut Anonymus loquitur, hodierna ſacra ſolius juris ſummarum poteſtatum

tum forent. Quæ Duo, cum non ſatis noverit diſtinguere, ſed ſemper confundat, & ſub hujus prætextu illud foveat, hoc unico obſervato facllime diſſolvuntur omnes quas profert probationes, ad confirmandam ſuam abſurditatem adductas.

§. 26. Nam certiſſimum eſt, quod *jus & auctoritas ſacrorum apud populum plurimum valeat*, nec immerito, nam eſt divina, & ſoli Deo, ejuſque verbo competens, ita ut nullus abſque ſacrilegio eam ſibi vendicet. Cum autem *populus* plurimum *pendeat ab eorum ore qui* ex ordinatione & inſtitutione divina horum *ſacrorum miniſtri* ſunt, nam à nullo homine ſacrorum authoritas dependet, ſed à ſolo Deo, *Magiſtratus*, cui incumbit ſuprema cura ſalutis totius populi, & conſequenter ut ſacra ex ipſius Dei aucthoritate & inſtituto, in Scriptura manifeſtato, legitime adminiſtrentur, quam *plurimum poterit in omnium animos*, quamdiu procuraverit ſacra per legitime conſtitutos miniſtros ad verbi divini præſcriptum, non ſua, ſed divina authoritate proponi.

§. 27. Nec ullum hic eſt periculum *diviſi imperii*, ut nugatur Anonymus, *ac contentionum & diſcordiarum quales inter Hebræorum Reges & Pontifices fuerunt*. Cum univerſum imperium ſolis Magiſtratibus competat, & ſub eorum cura, à Deo demandata ad imperium & mandatum divinum, cui etiam ſumma poteſtas humana ſubjicitur, divina ſacra, & idcirco non niſi ex authoritate divina, adminiſtrentur. Nec inter Hebræos ullæ fuerunt in religione ſectæ, ut ipſe fatetur Anonymus pag. 208. niſi poſtquam Pontifices etiam Principes fuere, & ſic Principes ſua authoritate divina ſacra voluerunt adminiſtrari, & conſequenter non Dei & Eccleſiæ ſed imperii miniſtros dari. Demonſtravimus etiam ſupra ad pag. 209. contentiones inter Hebræorum Reges & Prophetas Dei (nam de quæſtionibus inter Pontifices & Reges, de quibus hic nugatur Anonymus, nihil, quod memini legitur) nullas fuiſſe, aut eſſe potuiſſe, niſi poſtquam illi à Deo & pietate deficerent, & falſis Prophetis forent addicti. Ita ut omnes illæ contentiones, non ordinationi à Deo in Hebræorum Republica & Eccleſia conſtitutæ, ſed hominum, Principum & populorum, defectibus imputandæ veniant.

§. 28. Quamobrem non niſi putida Anonymi calumnia eſt, hac ratione ſacrorum miniſtris *viam ad imperium* parari, nam ſemper, etiam cum ſummas poteſtates ex authoritate divina, ſeu tanquam Dei miniſtri, officii ſui, tali cum prudentia & reverentia, quæ ſubditos decet, admonent, ſub cura, & ſuprema ſummarum poteſtatum inſpectione, divino ſuo munere funguntur. Si vero ſupremæ Poteſtates hanc ſibi à Deo demandatam ſacrorum curam negligant, & ſolis miniſtrorum illorum dictatis cæcæ duci velint, eorum judicio etiam ſubjicientes ea, quæ privative ſolis Magiſtratibus curanda ſunt, cum homines ſint illi miniſtri, patentiſſimam portam aperiunt, qua illis pateat & aptiſſimus

mus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

mus ac proximus paratur aditus ad ſummum imperii faſtigium, & non niſi imperatorum nomen ſupremis poteſtatibus reliquum maneat. Hæc enim ea via fuit, qua Pontifices Romani ſummos terrarum Monarchas omni ſuprema in hominum animos, & conſequenter etiam in eorum poſſeſſiones, actiones & bona, directione privarunt, & pedibus ſuis ſubjecerunt.

§. 29. Quare omnibus ſummis poteſtatibus, ſi ſuo munere ita fungi velint, ut tandem Deo cum gaudio rationem reddere poſſint, & recte adminiſtrati imperii divini præmia reportare, præcipue huic ſuæ muneris parti incumbere convenit. Si etiam ab altera parte verſus religionem flectamus oculos, videbi-
pag. 222 mus *hoc ipſum religionis & pietatis incremento non parum conducere.* Nam hac ratione ſupremæ Poteſtates non tantum erunt Eccleſiæ & Religionis nutricii, ſed & pietatis exemplaria, omnibus ſuis ſubditis longe ſuperiores, & tamen ſimul cum iis imperii divini æque ſubjectæ, quæ in Republica, non aliter quam Pater in familia, ſed ſuprema in terris poteſtate, ſubditos tanquam filios, regent, corrigent, ocebunt, defendent ad Dei mandatum, & ſic tam in bello, quam in pace, ſub ſummo Dei imperio, ut veri Dei miniſtri & duces, non tantum ad hujus, ſed etiam futuræ vitæ beatitudinem & ſalutem, quantum poterunt, ducent & flectent, & tandem Deo rationem reddituri, erecto vultu dicent, hi ſunt filii, quos tu Domine mihi dediſti, in quos ego tuo nomine imperium adminiſtravi, quos tibi reddo ut tuos, atque ita cum iis, ſed digniore ſupra eos corona, coronabuntur.

§. 30. Nec omnium *contentionum inter Reges & Prophetas Hebræorum* alia vix cauſa fuit, quam continuus & confirmatus neglectus Regum & Principum in hac ſui muneris parte, ex quo cum Deus eos ſingulari gratia per extraordinarios Prophetas, omnes de ſui muneris divinitate ad divinum præſcriptum certiores reddentes, quibus jam caremus, cum habeamus Deum eorum verbis in Scriptura tam Principibus & ſubditis, quam ſacrorum miniſtris loquentem, excitare vellet, tanquam ingrati & moroſi in peccatis ſomniantes & obdormiſcentes, ſe Deo, ejuſque miniſtris, quos pro divinis agnoſcere poterant & debebant, multis iniquiſſimis modis oppoſuerunt, nam quæ pax dari poterat in Regno, cujus Rex ſe Deo opponit, & ex ſubditis maximas & numeroſiſſimas Deo adverſas collegit copias.

§. 31. Nec ob hanc, ſacra legitime miniſtrandi, muneris divinitatem, *Reges ſæpius à Religione* & Deo *defecerunt*, ſed ob illegitimum voluptatum & Dominationis inordinatæ deſiderium, & animi ſui contumaciam erga Deum, qua ſe divino imperio ſubjicere nolentes, pertinaciter ſe ei oppoſuerunt; cur enim alioquin Dei miniſtris, qui ſe tales ad Dei verbum legitime demonſtrabant, falſos enim præſcriptis à Deo pœnis jure plectebant, aures accommodare noluiſſent.

§. 32. Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 32. Quare *ſi* jam etiam *ſummæ Poteſtates* Deo denegent obedientiam, *à Religione deficiant*, & legitimis, etiam ſua ſub inſpectione & cura, ſecundum Dei verbum conſtitutis; & requiſita cum prudentia & reverentia, de Dei voluntate monentibus ſacrorum miniſtris, vel quibuſcunque aliis, id legitime præſtantibus, peccata deſerentes ad Deum non redeant, contra, ſuorum ſubditorum quos ſecum ut plurimum ſeducunt, & hujus & futuræ vitæ ſummam creant perniciem, & tam Regni quam ſuorum interitum, niſi Deus illud ex ſpeciali providentia propter quosdam, qui Deo obediunt ſuper omnia, ex immenſa ſua miſericordia conſervare voluerit, uſque dum illorum impietate completa, & horum fide quaſi igne purgata, hi tandem gratioſi ſui præmii, illi vero juſtiſſime ſuæ pœnæ in æternum à Deo participes fiant.

§. 33. Sive igitur, ut Anonymi verbis concludam, *rei veritatem*, *ſive imperii ſecuritatem*, *ſive*, *denique pietatis incrementum ſpectemus*, ſtatuere cogimur hodierna ſacra noſtra ſolius juris divini eſſe; non humani, non ſupremarum poteſtatum; Sed præcipuam muneris ſummis poteſtatibus à Deo demandati partem eſſe, ex Dei præſcripto, in Scriptura revelato, poſt legitimam inquiſitionem, & precibus advocatum Dei auxilium, procurare, ut ſacrorum miniſtri legitime conſtituantur, & divina authoritate inſtituta ſacra non ad ſuo cerebro imaginatam quandam populi utilitatem, ſed ad idem Dei præſcriptum, quod populo ſemper utiliſſimum eſt, eadem authoritate divina adminiſtrentur, eoſque defendere, & deficientes, conceſſa ſibi à Deo poteſtate, legitime removere, directe contra quam voluit & ſomniavit Anonymus.

§. 34. *Supereſt* ut examinemus cauſas *cur ſemper in Chriſtiano imperio de hoc jure diſceptatum* exiſtimet, *cum Hebræi nunquam, quod ſciat, de eodem ambegerint:* quamvis ipſe hac eadem, & immediate præcedente pagina, licet abſurde, dicat tam *Hebræorum* quam *Chriſtianorum reges*, *ob hoc tantum quod ipſis hoc jus non abſolute competebat*, *à Religione ſæpiſſime deſciviſſe*, *& cum ipſis fere totum populum*; atque ex eo, *nunquam ſedandas ortas fuiſſe inter Hebræorum Reges & Pontifices contentiones & diſcordias.* Unde manifeſte iterum patet, quam parum hic homo ſui memor, ſit, & ſibi conſtet. *Sane* non modo *monſtro ſimilis videri poteſt hæc* contentio, ſed ipſa non minimum peccatorum noſtrorum monſtrum eſt, natum ex illo monſtroſiſſimo dominandi appetitu, quo ſummæ poteſtates Deo, & ſacrorum miniſtri ſummis poteſtatibus & Deo, ad divinum præſcriptum ſubeſſe noluerunt, obſtetricantibus ab illa parte multis luxurioſis & omnis generis peccatis deditis, rerum indigis aſſentatoribus & paraſitis, quibus etiam hic noſter Anonymus jure annumerandus venit, Regum animos, innata pravitate huc inclinatos, plurimum in peſſimam hanc partem flectentibus; ab hac vero parte ad tollendum hoc monſtrum prognatum à miniſtris, qui, ſub ſacro prætextu Dominium affectant, concur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

rentibus plurimis ex ſuperſtitioſa mulierum & plebis multitudine, ſua ſuperſtitione nonunquam etiam alioquin ſapientes ſecum abripientibus. Quod ipſum jam adultum inter alios monſtroſiſſimum in lucem potruſit omnibus Dominis ſuperiorem miniſtrum, qui ſe Deum in terris denominare non veretur, & duriſſimam in omnium ſuorum ſubditorum animos exercet tyrannidem, ac pro divinis ſua vult adorari oracula ex Romana tripode profuſa. Inter alios autem peperit monſtroſiſſimas Summas poteſtates, ad Anonymi præſcriptum omnia ſui populi ſacra non divini, ſed ſui juris exiſtimantes, quæ Deo, non ad divinum, ſed ſuum arbitrium obedientiam præſtant, & non, prout Deo, ſed ſibi videtur, ſua authoritate, & idcirco non Dei, ſed ſui imperii, cui etiam ex Anonymi ſententia, unice accommodanda ſunt, ſacra, adminiſtrari procurant: nam, ut inquit Anonymus pag. 185. ſi nolint, nullo jure civili vel naturali repugnante, Deo in jure ſuo revelato obedire, ſuo periculo & damno licite poteſt: id eſt, Deo non inſtar ſubditi tenetur ſubeſſe, ſed eum tantum inſtar hoſtis metuere tenetur, nullo modo ei obligatus, ſed abſque Deo ſua procurans, & Deo relinquens ſua, tanquam à ſe aliena, utpote non ſui ſed alterius & divini regni.

pag. 223. §. 35. Occaſio vero natæ hujus contentionis *de re tam manifeſta, tamque neceſſaria*, circa *primordia Chriſtianæ Religionis*, facile poteſt detegi. Hanc enim Deus, non, ut inter Hebræos per Moſen, per ſummos imperii miniſtros, annunciari voluit, ſed per ſubditos, privatos, & à Chriſto electos & miſſos ad nunciandum omnibus populis authoritate divina patefactum à Deo Euangelium tot ſeculis omnibus promiſſum per Moſen & Prophetas, & tunc ſummo cum deſiderio à piis expectatum & efflagitatum, poſtquam ipſe Chriſtus multis ſignis & teſtimoniis in cœlo & in terra omnibus, ſolis contumacibus exceptis, ſecundum tunc inter Judæos obſervandas à Deo conſtitutas leges comprobaſſet, ſe verum illum eſſe Meſſiam promiſſum, in quo unico foret omnium gentium ſalus, comprobantibus etiam primis ejus in propaganda tanta ſalute, conſtitutis & electis miniſtris, ſimilibus ſignis & miraculis, divina poteſtate illum in finem conceſſa, ſe veros, ejuſdem Spiritus cum Chriſto, divini illius Euangelii miniſtros eſſe, & alios ſucceſſive ſubſtituentes, eadem divini illius miniſterii, vel potius Dei aucthoritate, qua & ipſi conſtituti fuerant Dei miniſtri. Sed cum hi ab iis qui inter Judæos & Gentes imperia tenebant, ut plurimum contumacibus, & divino imperio ſe ſubjicere nolentibus in opere tam divino, & contra talem reſiſtentiam variis de cauſis perficiendo, multis modis impedirentur, illi ſpeciali Dei auxilio adverſus omnis generis tales perſecutiones muniti, aperte coacti fuerunt profiteri ſe Deo ſupra omnia obedire decreviſſe, Act. 4. 19. Cum autem ſubſequentibus temporibus ab una parte Magiſtratus ejuſdem contumaciæ cum Judæis & Gentibus rei, non tantum Euangelii

gelii obedientiam abnegarent, ſed etiam ejus miniſtros infeſtiſſime proſequerentur, & vaſtarent primo plantatas eccleſias, & ab altera parte varii ſub ejuſdem Euangelii miniſtrorum nomine, ſed longe alio Spiritu ducti, eodem Apoſtolorum exemplo abuterentur, ad propagandos, contra Dei & ſummarum poteſtatum voluntatem, pudendos ſuos errores, Chriſtiani poſtea Magiſtratus alii ex ſuo munere compeſcuerunt hæreticos, in auxilium vocatis virorum doctiſſimorum conciliis. Alii vel ex ignorantia, vel ſuperſtitione, vel perverſo à gentilium crudelitate diſcedendi ſtudio, omnem religionis curam conceſſerunt Eccleſiæ miniſtris, ſe ipſos etiam iis ultra modum ſubjicientes, alii in aliud abierunt extremum, & omnem ſacrorum authoritatem ſibi arrogarunt, non tam ex Dei quam ſui arbitrio ſacra miniſtrari curantes. Atque hinc illæ lachrymæ. Anget Animus, quod hic tantum tenear renovare dolorem. Ab illis enim temporibus ad hæc uſque noſtra, illa contentio quaſi pomum Eridis inter Chriſtianos Magiſtratus & Eccleſias fuit, & utrique ſæpe non parvas creavit moleſtias, quamvis, ut jam vidimus, ſit res tam manifeſta, tamque neceſſaria. Non nego quod ingens numerus quæſtionum Theologicarum licet ſummatim propoſitarum ſuccedentibus temporibus obortarum & abſurdiſſima Scholaſticorum Doctorum permiſtio Philoſophiæ cum Theologia, omnes Politicos & ſumnos Magiſtratus à ſacrorum inquiſitione, magis magiſque abſterruerint, & ſacrorum miniſtros Romæ dominantes, in monſtroſiſſimo illo Dominio, magis confirmaverint. Sed cum illi rerum ſummam tenerent, ad confirmandam in æternum injuſtiſſimam ſuam dominationem diligentiſſime procurarunt, ne inter ſuos unquam diſputaretur de ſummarum poteſtatum aucthoritate circa ſacra, ſed abſque diſputatione Pontifici concederetur; quamvis tamen id ex voto obtinere non potuerint, quod hic latius enarrare nihil attinet. Et ea de cauſa hæc non niſi ſubſequens & remota hujus controverſiæ inter Chriſtianos cauſa poteſt haberi, quam tamen Anonymus inepte pro principali obtrudere contendit.

§. 36. ***Apud Hebræos longe aliter rem ſe habuiſſe***, novit qui Scripturam vel a limine ſalutavit. Nam cum Deus inter eos ex ſpeciali gratia Eccleſiam, etiam Imperium inſtituit, & eadem ratione utrumque per Moſen divinitus ordinavit & illam per hoc defendi, hoc autem & illam ad ſuæ voluntatis patefacta dictata adminiſtrari voluit. Unde utriuſque aucthoritas apud populum eadem plane fuit, divina ſcilicet, & miniſterialis ſeu à Deo expreſſe delegata, in mutuam & totius populi ſalutem optime conſpirans, ita ut Diabolus nullam tunc temporis habuerit occaſionem injiciendi inter eos hoc pomum Eridis peſtilentiſſimum. Moſes quidem ut primus & primarius Dei miniſter, poſtquam ex Dei mandato tam Eccleſiam quam Politiam ordinaſſet, præcipue rerum politicarum adminiſtrationi incubuit, ſed tamen nunquam vel ſacra neglexit, nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

præterquam quod extraordinarium à Deo conceſſum Prophetandi munus retinuerit, diligentiſſimam adhibuit curam, ut omnia non minus in Eccleſia, quam Politia ad Dei præſcriptum adminiſtrarentur; vel propria ſua & non divina auctoritate ſacra inſtituit & ordinavit. Atque adeo ex ejus exemplo ultra id quod ſupra conceſſimus, de jure ſummarum poteſtatum, circa ſacra nihil omnino probari poteſt. Quod idem de omnibus aliis Hebræorum Regibus, ex Dei mandato imperium tenentibus, & ſacrorum adminiſtrationem ex ejus præſcripto adminiſtrari procurantibus, ſi non apertiſſimum foret, demonſtratu facillimum eſſet. Ita ut Anonymus poſt longas ambages tandem ineptiſſime concludat, *totum Religionis exercitium, ſacrumque miniſterium, à ſolo Regum mandato dependiſſe* Cum non niſi à Divino pependerit, & Regum officium fuerit, ejus adminiſtrationem, ſecundum id ipſum divinum mandatum, quam diligentiſſime procurare.

pag. 224.

§. 37. Verum in hujus capitis fine per modum explicationis ante dictorum novum cæteris addit argumentum, ſed non majoris efficaciæ aut minoris abſurditatis, dicit enim *Hebræorum Reges & Principes Moſe poſteriores*, quos ſupra negaverat, *ut Moſes, jus ſummum Pontificem eligendi, Deum immediate conſulendi, & Prophetas, qui ipſis viventibus prophetarent, damnandi, habuiſſe; jus ad omnia abſolute, tam ſacra, quam civilia, omnino habituros fuiſſe, ſi modo nulli fuiſſent Prophetæ, ex authoritate quam habebant, novum Regem eligere poterant, & veniam parricidio dare.* Atque inde concludit, *Hodiernas ſummas poteſtates, quæ nec Prophetas habent, nec recipere jure tenentur, hoc jus, tametſi cælibes non ſint, abſolute habere, & ſemper retenturas, modo tantum religionis dogmata, in magnum numerum augeri, neque cum ſcientiis confundi ſinant.* Profecto & charta & tempus hujus capitis confutationi dedicata deficerent, ſi omnia hujus ratiocinii abſurda, pro meritis exagitanda forent, digito tantum aſſignabo. De Moſis jure ſummum pontificem eligendi, ſupra confutato, nihil dicam, omnibus enim notiſſimum eſt ex Exod. 28. 1. Pontifices ab ipſo Deo electos fuiſſe, & à Moſe tantum ad Dei mandatum, quaſi inauguratos. Quod idem dicendum de Prophetarum aucthoritate novum Regem eligendi, cum tantum ut Dei miniſtri eum electum nunciarent, ut patet 1 Sam. 13. 14. & 15. 28. Sed Prophetas parracidio veniam dare potuiſſe, non magis id potuerunt, quam Deus ſe abnegare, & non eſſe Deus, cum ſummum eſſe deſinat. Deinde hodiernæ poteſtates, novos non habeant Prophetas, habent ipſos Hebræorum in Scriptura loquentes, eoſque recipere naturæ jure coguntur, cum vel ipſa natura dictet, omnem hominem ſe divino imperio ſubjicere teneri. Hebræorum Principes abſque Prophetis abſolute jus ad omnia habuiſſe, falſiſſimum eſt, nam ad Moſis præſcriptum imperium adminiſtrare & Eccleſiæ adminiſtrationem procurare tenebantur 2 Chron 8, 14. Prophetam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

tam damnare, quem non damnaverat Moſes, adverſus Deum rebellio erat & oppoſitio. Sed quid hoc ſibi velit, hodiernas poteſtates id jus retenturas, tametſi cœlibes non ſint, equidem nulla conjectura divinare poſſum. Nam Hebræorum Reges, & Principes, nec etiam Pontifices & Prophetæ, imo nec ipſe Moſes cœlibes fuerunt. Cœlebs eſt Pontifex Romanus, ſed hoc ipſum Antichriſtianum eſt, & Doctrina Diabolorum 1 Tim. 4. 3. Nec intelligo quomodo illi poſſint impedire ne Religionis dogmata augeantur, nam id à Deo fit, & ſi ſine Deo, non divina ſed humana dogmata forent. Et quid aliarum ſcientiarum ſeparatio faciat ad juris hujus conſervationem jam dictum.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Oſtenditur in libera Republica unicuique & ſentire quæ velit, & quæ ſentit dicere licere.

§. 1. NEminem *ſuam facultatem libere ratiocinandi, & de rebus quibuſcunque judicandi, in alium transferre, vel ad id cogi poſſe,* ſupra per totum cap. 16. late defendimus adverſus Anonymum, qui tamen & initio cap. 17. hoc ipſum accipere videtur. *Hinc fit ut illud imperium violentum ſit, quod in animos eſt,* & ſubditos cogit ad cedendum alteri omne ſuum jus naturale, quale Anonymus per totum cap. 16. latiſſime adſtruere conatus fuit. Et *ſumma Majeſtas injuriam ſubditis faceret, eorumque jus uſurparet, ſi unicuique præſcriberet, quid* ſecum & in animo ſuo, privatim, *tanquam verum amplecti, & tanquam falſum rejicere debeat. Hoc enim uniuſcujuſque juris eſt,* & non tantum *nemo, etſi velit, cedere poteſt,* ſed etiam in quavis Magiſtratuum prima conſtitutione, ſibi reſervaſſe, & reſervandum conceſſum fuiſſe, ſemper intelligitur. Quare ineptiſſimum eſt quod Anonymus pag. ſequenti dicit *ſummas poteſtates jure poſſe omnes, qui cum iiſdem in omnibus abſolute non ſentiunt, pro hoſtibus habere.* Imo eaſdem *jure poſſe violentiſſime regnare, & cives leviſſimis de cauſis ad necem ducere.* Nam ſic aperte juſtum & jure fieri dicit, quod hic pro ſumma habet injuria. Sed non eſt huic homini aliqua boni & mali differentia, cum libertas ei tantum brutum nomen ſit, & omnia quemadmodum ſupra vidimus ei neceſſario fiant. *Anonym. cap. 20. pag. 225.*

§. 2. Omnis generis juſtis & à Deo vel recta ratione conceſſis mediis *ſubditorum animos occupare,* non modo Magiſtratibus *licitum,* verum etiam neceſſarium, & in iis ſummopere laudanda prudentia eſt. Sed idem agere mediis illicitis & rectæ rationi adverſis ſummopere culpandus dolus eſt, & appetitæ

tyrannidis apertum ſignum. Verum quantacunque Prudentia præditus ſit, Magiſtratus, vel quam doloſiſſime rem ſuam inſtituat, nunquam efficiet, ut omnium animi ejus decretis æqualiter acquieſcant, adeo diverſa ſunt hominum judicia & in bonum vel malum inclinata. Ordinatiſſimum Hebræorum Theocraticum imperium, ab ipſo Deo ordinatum, quot non ex hominum malitia ſuſtinuit rumores & ſiniſtras interpretationes? Et vaferrimi Principes nunquam evitare potuerunt omnes ſubditorum ſuorum murmurationes & oppoſitiones, juſtas ſæpe, & ut plurimum etiam injuſtas.

§. 3. Hinc *de jure non diſputans* Anonymus, *utile cenſet*, *Summas poteſtates*, *quantumvis* ſecundum eum *jus ad omnia habeant*, *& juris & pietatis interpretes credantur*, quod ſupra nobis confutatum fuit, permittere, *homines* *pag. 226.* *judicium de rebus quibuſcunque ex proprio ſuo ingenio ferre.* Et *in Republica nunquam niſi admodum infelici ſucceſſu tentari poſſe*, *ut homines*, *quamvis diverſa & contraria ſentientes*, *nihil tamen niſi ex præſcripto ſummarum Poteſtatum loquantur.* Quid juris ſummarum poteſtatum circa ſacra ſit, ſupra ex ipſo earum munere ſatis demonſtratum fuit. Eadem hic repetere non juvat. Patet ibidem etiam, quam neceſſario cuique relinquatur privatum ſuum in animo ſuo judicium, quippe quod ſoli cujuſque conſcientæ & Deo ſubjectum eſt, quamdiu ex eo per externas actiones nihil fit adverſus ſummæ poteſtatis decreta. Et ab altera parte patet ibidem, quantum ſummus Magiſtratus teneatur, ſecundum patefactam à Deo in Natura & Scriptura voluntatem ſatis legitime inquiſitam, quid pro bono & malo, juſto & æquo vel injuſto & iniquo tam erga Deum quam proximum publice in republica habendum ſit, ſummo & ſupremo judicio determinare. Et conſequenter etiam qua ratione quiſque de iis debeat loqui, cum loquela non minus quam quævis alia hominis actio externa, ſummis poteſtatibus ſubſit. Verum quoniam ſubditi non tantum aliquando ſibi privatim loquuntur, vel etiam ſuis, idque vel adeo tecte ut ad Magiſtratum deferri non poſſit, vel etiam animo potius conquerendi & bono, quam traducendi & malo, ſed etiam univerſim nullus hominum non facillime offendat in verbo, cum lingua ſit ignis & mundus iniquitatis Jac. 3. 2. 6. certum eſt quod linguam nullus hominum domare poſſit, ut inquit idem Apoſtolus Jac. 3. 8. Quare ſummæ Poteſtates nunquam niſi infelici ſucceſſu, imo niſi jure inde metuatur totius ſocietatis majus incommodum, injuſte, ſubditos ſuos adeo coarctare & omnia eorum verba circumſcribere, & limitare, ut & quocunque modo prolata ſcrutari & inquirere, ac præſcriptis etiam durioribus pœnis punire poſſunt, ut in intimis domuum cubilibus, & inter ſuos & familiares ac fidos amicos non dicant & agant aliud, quam ipſæ publice dicendum & agendum ſtatuere voluerunt & debuerunt. Nam id, præterquam quod in praxi impoſſibile ſit, proximus ad animi ſervitutem & tyrannidem gradus eſt. Veruntamen cum Magi-

Magiſtratus & univerſa ſocietas non minus hominum verbis quam actionibus turbari, & ſummum poſſit ſubire periculum, non minus neceſſarium Magiſtratum eadem circumſcribere & legibus compeſcere, quam nimis anxia ſcrutatione non rimari & inveſtigare. *Quapropter nobis hic* cum Anonymo *inquirere incumbit*, *quouſque unicuique hæc libertas*, *ſalva reipublicæ pace*, *ſalvoque ſummarum poteſtatum jure*, *poteſt & debet concedi*; quod *præcipuum* ſui tractatus *intentum* dicit.

§. 4. *Reipublicæ finem*, *non eſſe dominari*, *nec homines metu retinere & alterius juris aut eos ex rationalibus beſtias*, *vel automata facere*, *ſed unumquemque metu liberare*, ut *ſecure*, *quoad ejus fieri poteſt*, coram Deo *vivat* cum aliis hominibus, *& eorum mens ac corpus tuto ſuis functionibus fungantur*, *& ipſi libera ratione utantur*: *imo ipſam libertatem*, *ſub* imperio divino, quod nunquam addit Anonymus, quia putat homines naturaliter erga Deum nulla teneri obedientia pag. 184. & 185. *revera Reipublicæ finem eſſe*, nulla ratione *pag. 227.* negari poteſt. Et hac ipſa de cauſa, requiri ut *omnis* publica, in commune bonum *decretandi*, ſecundum id quod Deus in Natura & Scriptura dictavit, *poteſtas*, *vel penes omnes*, *vel aliquot*, *vel penes unum eſſet*, apertiſſimum eſt. Quare *quivis* etiam in Republica, *cedere debet*, naturali *ſuo jure*, ſecundum Dei & naturæ dictata, *ex ſolo decreto ſuæ mentis*, publice & inter alios *agendi*, ſibi retento *jure*, ſecum privatim, & in animo ſuo *ratiocinandi & judicandi*, quid divinis in Natura & Scriptura dictatis conforme cenſuerit vel non, & ſecundum ea judicia ſuas actiones privatas, quantum conſcientia, poſt legitimam omnium inquiſitionem adhibitam, fert & permittit, quaſi coram Deo inſtituendi. Ita ut ſalvo ſummarum poteſtatum jure, non tantum aliud, & contrarium ſentire poſſit, quam publice ſentiendum & profitendum cenſuit ſuprema poteſtas; ſed etiam privatim aliud agi poſſit, quam publice agendum præſcripſit. Nam id minime contrariatur ſupremæ poteſtatis decretis, eo quippe non ſpectantibus. Verum cum etiam ex privatis actionibus quibuſdam vel privato-publicis, ut ſuorum judiciorum privatorum cum aliis communicatione, idque pluribus vel paucioribus, ſive ſociis, ſive concivibus, ſive alienis, & hoſtibus, ſive domeſticis, uxori, viro, filiis, famulis facta &c. malum reipublicæ metuendum ſit, neceſſario ſummæ poteſtati etiam jus competit, eaſdem quantum fieri poteſt in publicum bonum, ſecundum Naturæ & Scripturæ dictata determinare, atque ita privatam cujuſque libertatem ex recta ratione circumſcribere, & legibus regere.

§. 5. Quare *ſi quis* Ex. Gr. ſubditus *aliquam* ſummæ poteſtatis *legem ſanæ rationi repugnare* putet, *& propterea eandem abrogandam* cenſeat, idque Judicium ſibi retineat, & omnem evitet occaſionem quid vel contra legem, vel propriam conſcientiam agendi, plane manet inculpabilis, tam coram Deo

quam

quam Magiſtratu; cum ibi culpabilis foret, ſi Magiſtratum Deo præferret, hic & ibi, ſi ſua culpa male judicans & errans juſtis Magiſtratuum mandatis obedientiam negaret, ut & ſi hoc ſuum judicium aliis, contra Magiſtratus decreta, communicet: nam quamvis id agat *ſola ratione, non autem dolo, ira, odio, nec animo aliquid in rempublicam ex authoritate ſui decreti introducendi, & ſuam ſententiam judicio ſummæ poteſtatis ſubmittat, ac interim nihil contra illius legis præſcriptum agat*, tamen agit contra ſupremæ poteſtatis mandatum de propagando ſuo judicio circa Magiſtratuum decreta, ſummo jure, & in publicam utilitatem præſcriptum, & idcirco non *bene*, ut *optimus quiſqus civis*, quemadmodum Anonymus loquitur, ſed male, ut inobediens quiſque civis, *de republica meretur*. Verum ſi & illud mandatum illegitimum cenſuerit, & ſibi contra illud neceſſario agendum exiſtimaverit, neceſſario, niſi ex imperio diſcedere maluerit, ſe potius decretis pœnis, Deo ſuam cauſam committens, ſubjicere tenetur, quam vel contra conſcientiam, quantum fieri potuit, ſatis recte informatam, mandato præſtare obedientiam, vel Magiſtratui tale quid mandanti, contra divinam ordinationem ſe opponere, aut malum quid precari vel intendere: nam utrumque non minus à Deo prohibitum, quam conſcientiæ dictamen recte formatum nobis inditum eſt, & partem toti neceſſario poſtponendam eſſe, docet ipſa natura. Atque adeo facile *videmus, qua ratione unuſquiſque, ſalvo jure, & authoritate ſummarum poteſtatum, hoc eſt ſalva Reipublicæ pace, ea quæ ſentit dicere & docere poteſt, nempe ſi decretum omnium rerum agendarum iiſdem relinquat, & nihil contra earum decretum agat*, nihil etiam contra propriæ conſcientiæ, ex officio legitime informatæ, judicium, aut contra Deum, & ſi hæc ſuo judicio, cum Magiſtratus decreto ita pugnent, ut alterutrum neceſſario ſit eligendum, ſemper Deo ſuper omnia præſtet obedientiam, & omne fugiens peccatum, humanis ſe potius quam divinis pœnis & iræ patienter ſubjiciat.

§.6. Sed *hominem* ſubditum *contra id quod bonum judicat, &* à Deo per Naturam aut Scripturam determinatum *ſentit, agere debere, & ſalva juſtitia & pietate poſſe, imo debere, ſi ſe juſtum & pium præſtare velit*, profana & athea Anonymi ſententia eſt, nam ſic homo magis homini quam Deo foret ſubjectus, & abnegata omni naturali juſtitia, ejuſque conſcientia & obligatione, quivis ſubditus omnibus Magiſtratuum etiam ineptiſſimis decretis & ipſi Naturæ ac Scripturæ adverſis, adſtrictus, cum Magiſtratu à Deo deficiente, & naturam deſerente, Deum & naturam deſerere, iiſque bellum indicere cogeretur, & omnem ſuæ ſalutis curam plane negligere; quod ipſum eſt illud, quod hac ipſa pagina dixit *fini Reipublicæ contrarium* eſſe, *homines ex rationalibus beſtias & automata facere.* Nam ſi proprium ſit denegandum judicium, quid erunt omnes hominum actiones, quam bruti impetus, & inſtituti ad Magiſtratus mandatum & impulſum.

§. 7. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 7. Et *juſtitiam à ſolo ſummarum poteſtatum decreto* tam *dependentem* facere, *ut nemo niſi qui ſecundum earum recepta decreta*, qualiacunque fuerint, *vivit, juſtus eſſe poſſit*, eſt non tantum Magiſtratui adſcribere quod Dei eſt, qui ſolus eſt fons omnis juſtitiæ & ad cujus arbitrium omnia Magiſtratus decreta ſunt conformanda, ſed etiam in fallibili creatura, virtutis infallabilem regulam & normam quærere, quod repugnat. Dependet quidem à Magiſtratus decreto determinare, quid publice pro juſto ſit habendum in republica, & ſubditus obſtrictus eſt, ei obedientiam præſtare, niſi videat aliud dictare Naturam aut Scripturam. Sed tamen ideo juſtitia non pendet à Magiſtratu, ſed à Deo. Et Magiſtratus non Dominus & fons, ſed tantum eſt miniſter juſtitiæ. Nam ipſe patefactis à Deo in Natura & Scriptura juſtitiæ regulis obſtrictus eſt, & Deo, Domino ſuo, adminiſtratæ, ſecundum illas regulas, juſtitiæ rationem reddere tenetur; quod non teneretur ſi à ſolo ejus decreto juſtitia penderet. Adeoque pro juſto quidem exiſtimatur in Republica, qui ſecundum Magiſtratuum decreta vivit, ſed juſtus non eſt, niſi & ipſa illa decreta cum præſcriptis à Deo juſtitiæ regulis conveniant; imo injuſtus foret, ſi quis coram Deo injuſta Magiſtratus decreta ſequeretur, & duplici pœna dignus eſſet ſi quis cognoſcens δικαίωμα τοῦ θεοῦ jus Dei Rom. 1. 31. Magiſtratus mandata divinis præferret, ſecundum Luc. 12. 47. latam à Chriſto ſententiam.

§. 8. *Magna* quidem *eſt Pietas quæ circa pacem & reipublicæ tranquillitatem exercetur.* Sed quæ erga Deum, hanc tranſcendit, & ei longe præponenda eſt. Imo quantum cœlum à terra, & in infinitum magis, illa hanc excedit: ita ut ne quidem per momentum dubitari poſſit, de præferentia illius ante hanc.

§. 9. *Pacem & tranquillitatem Reipublicæ conſervari non poſſe, ſi unicuique ex ſuæ mentis arbitrio vivendum eſſet*, facile concedo. Sed uti ab illa, ita & ab hac parte vitanda ſunt extrema. Non ſunt adſtringendi ſubditi iis quæ repugnant eorum conſcientiæ, & ſecundum eam Dei in Natura vel Scriptura patefactis dictatis: nam id foret aſſumere divinum, in conſcientiam ſoli Deo ſubjectam, imperium, ſummum læſæ Majeſtatis divinæ crimen. Non etiam ſubditi ſuo arbitrio determinare poſſunt, quid in Republica pro juſto habendum ſit; aut Magiſtratui, etiam injuſta mandanti, niſi aliunde facultatem habeant, ſe opponere: nam id foret ordinationi divinæ reſiſtere, & læſæ ſupremæ Majeſtatis crimen. Sed Magiſtratus, poſt legitimam inquiſitionem, & ſecundum ſuæ conſcientiæ dictamen Naturæ & Scripturæ conformes leges ferentes, privatum ſubditis tenentur relinquere judicium, idque ita circumſcribere, ut Reſpublica nullum inde poſſit metuere periculum, ac ſubditos, iis ſe ſubjicere nolentes, vel pœnis ad eorum obſervantiam adigere, vel petentibus, facultatem ex imperio diſcedendi, concedere. Subditi contra æquas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Magiſtratuum leges cum ratione recipere, & iis ſe non ut bruta, ſed homines rationales ſubjicere tenentur, & ſi forte conſcientia ſatis recte informata dictet eaſdem iniquas & Naturæ vel Scripturæ adverſas eſſe, ſe nullo modo ea de cauſa ſupremæ poteſtati opponere, ſed Deum & ejus obedientiam omnibus præferentes, vel pœnis licet, ut putant, à Magiſtratu injuſte decretis & inflictis ſe ſubjicere, vel rogata & obtenta diſcedendi venia, eas effugere & evitare tenentur. Atque ita & Magiſtratus ſupra ſubditum & ſubditus infra Magiſtratum Deum agnoſcent ſupra ſe, & nullus privatus ſuo, ſed non niſi Magiſtratus & divino & ipſe Magiſtratus non niſi divino arbitrio ſuas actiones inſtituent, & ſimul ſuo ordine & loco, tanquam ejuſdem corporis, ſed diverſæ dignitatis, & diſtinctorum munerum, membra, totius Reipublicæ tranquillitatem & pacem, quam optime conſervabunt, & promovebunt.

§. 10. Atque adeo *impium* quidem *eſt*, *ex ſuo arbitrio aliquid contra decretum ſummæ poteſtatis, cujus quis ſubditus eſt, facere.* Nam ſi arbitraria res fuerit, proculdubio ſubditus Magiſtratus arbitrium ſuo longe præponere tenetur. Sed aliquid agere, quod tanquam neceſſarium mandat vel Natura, vel Scriptura, licet contrarium mandet ſuprema poteſtas humana, pietatis eſt; & impium foret contrarium, nam Deus creaturis poſtponeretur. Latius hæc particularibus exemplis illuſtrari poſſent; ſed feſtino ad finem.

§. 11. Præterire tamen non poſſum, quin, antequam hinc diſcedam, demonſtrem immanem hominis abſurditatem, quam eructavit, cum diceret, quod ſubditus *nihil contra decretum & dictamen propriæ rationis agere poſſit, quamdiu juxta decreta ſummæ poteſtatis agit.* Nam id vel ſic intelligit, ut etiam videtur, ſubditum poſtquam decrevit, omnia ſummæ poteſtatis dictata ſequi, non contra propriæ rationis dictamen agere, cum id præſtat. Quod non tantum & apertiſſime nugari; ſed etiam ſibi manifeſte contradicere. Nam tale decretum ſubditi, eum plane alterius juris faceret, quod impoſſibile dixit initio hujus & ſeptimi decimi capitis. Deinde hoc fini & fundamentis reipublicæ repugnaret, nam ſubditos ex rationalibus beſtias & automata faceret, & omnem libertatem tolleret, contra ipſum Anonymum pag. 227. Imo nec ſuprema poteſtas, abſque ſumma ſubditorum injuria, & iniquiſſima juris eorum uſurpatione, unicuique præſcribere poteſt, quid tanquam verum amplecti, & tanquam falſum rejicere debeat, ut fatetur Anonymus pag. 225. initio hujus capitis, & conſequenter nec tale decretum ſubditorum poteſt admittere. Vel ſic intelligit, quod ratio ſubditorum ipſis ſemper idem dictet, quod ſummarum Poteſtatum ratio iis dictat: quod facile concederemus, ſi omnes ratione ſua æque uterentur & abuterentur. Sed ipſe Anonymus pag. 225. fatetur nullis, pene incredibilibus modis, eo perveniri potuiſſe, ut homines unquam non experirentur, unumquemque ſuo ſenſu abundare, totque capitum quam palatorum

eſſe deſcrimina. Quis itaque capiat hæc ſacra? quis conciliet tam adverſa & pugnantia?

§. 12. Verum *etiam ex praxi hoc confirmare poſſumus*, inquit, *nam in conciliis tam ſummarum quam minorum poteſtatum omnia ex communi omnium decreto, tam ſcilicet eorum, qui contra, quam qui pro, ſuffragium tulerunt, fiunt.* Fateor, ſed quis ignorat id tantum locum habere in iis, quæ ſunt arbitrarii juris & à ſummarum poteſtatum arbitrio dependent, quibus ſubditi non ſubjici non poſſunt, & ſemper obedientiam præſtare tenentur, nullo modo vero quæ naturalis & divini juris ſunt. Quare ſi maxima concilii pars decerneret, prohibendam eſſe divinam obedientiam, oppoſita minor pars, vel aperta proteſtatione, vel concilii derelictione, vel quovis alio conſtituto, aut jure practicabili modo, à tali decreto diſcedere, & ſi jure poſſent, impedire ejus executionem tenerentur: nam non magis illi tam impii & injuſti decreti authores eſſe poſſunt, quam ſubditi ſe ei ſubjicere. Præterquam quod concilium ſummarum Poteſtatum, quod plurium votis omnia facere poteſt jure, & abſque peccato erga Deum, & cui idcirco tam ejuſdem membra quam ſubditi in omnibus abſque peccato ſe ſubjicere poſſunt, non niſi Anonymi Chimæra ſit, nam abnegato Deo, id Deus foret, & monſtrum Romano Pontifice, qui adhuc fatetur ſe Deo ſubeſſe, longe monſtroſius. Verum ad hunc ſupremum impietatis & Atheiſmi gradum Anonymum jam ſæpius aſcendiſſe ſupra vidimus. Iterum itaque concludimus, *Quod unuſquiſque, non niſi prædicta ratione, Judicii ſui libertate, ſalvo ſummarum Poteſtatum jure, ex ipſis Reipublicæ fundamentis*, ſecundum Naturam & Scripturam, *uti poſſit*, vel debeat niſi cum Anonymo Deum abnegaverit, & ſummas Poteſtates pro Deo coluerit.

§. 13. Atque ex his jam facile determinare poſſumus, *quænam opiniones in Republica ſeditioſæ ſint, eæ nimirum, quæ ſimulac ponuntur, pactum, quo unuſquiſque, jure agendi ex proprio ſuo arbitrio ceſſit, tollitur.* Id eſt, eæ quæ Deo & ordinationi divinæ reſiſtere docent, nam ſummæ Poteſtates à Deo ordinatæ ſunt Rom. 13. 1. 2. Ex. Gr. *ſi quis ſentiat ſummam poteſtatem ſui*, ſeu ſupremi inter homines, *juris non eſſe:* nam hoc eſſet ſummam invadere poteſtatem, & apertum committere crimen læſæ Majeſtatis. Quemadmodum foret crimen læſæ Majeſtatis divinæ, ſummis poteſtatibus humanis, cum Anonymo, tribuere jus abſolutum à Deo independens; nam ut nullus ſubditus ſupremæ poteſtati humanæ infra Deum denegare poteſt ſummum in ſe jus, ita nulla ſuprema poteſtas ſuum jus in ſubditos abſolutum ſeu independens à Deo, exiſtimare poteſt. Quamdiu ergo ſubditus ſe non opponit Magiſtratuum decrets, ſed quando ea privato ejus judicio diſcretionis divinis, in Natura vel Scriptura, dictatis adverſa videntur, obedientiam Dei, humanæ præferens, ſe decretis Magiſtratuum pœnis patienter ſubjicit, vel rogata & obtenta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

diſcedendi venia, qua pactum ſubjectionis mutuo conſenſu ſolvitur, ex ejus imperio diſcedit, nullo modo ſentit ſummas poteſtates ſui juris non eſſe, ſed id apertiſſime agnoſcit, & divino juri, ut decet, ſubjicit, quocirca ſeditioſus dici non poteſt. Verum ſi Magiſtratus contra divinas in Natura vel Scriptura Leges quædam decernat, & ſubditus iis præ Deo adhæreat, non quidem erga Magiſtratum, ſed ſimul cum Magiſtratu erga Deum ſeditioſus erit.

§. 14. *Seditioſum* etiam tam erga Deum quam Magiſtratum foret, ſentire *neminem promiſſis ſtare debere, vel oportere unumquemque ſuo arbitrio vivere*, neglectis ſcil. Dei & Magiſtratuum legibus, *& alia plurima*, quæ ſummarum poteſtatum ordinationi divinæ repugnant. Verum quod Anonymus hic diſtinguat, hæc *non tam ſeditioſa eſſe propter judicium & opinionem, quam propter factum quod talia judicia involvunt, videlicet quia eo ipſo, quod tale quid ſentit, fidem ſummæ Poteſtati tacite vel expreſſe datam ſolvit*, nugatorium eſt. Nam factum, quod hic fidem poteſtati datam ſolvit, eſt ipſe ille judicandi actus, ut enim ipſe dicit, eo ipſo quod tale quid ſentit, id eſt, judicat, fidem datam ſolvit; qualem hic ergo ſomniat actum judicio involutum? Non ignoro quod ſeditioſa talis opinio puniri non poſſit in ſubdito, quamdiu eam contra Magiſtratus decreta cum aliis non communicat, aut ex ea nihil adverſus ſummas Poteſtates agit, tum quod alioquin Magiſtratui innoteſcere nequeat, eum talem fovere ſententiam, tum quod unicuique denegari non poſſit privatum in conſcientia coram Deo judicium; ſed tamen ea non minus ideo ſeditioſa manet opinio, quia talis eſt, ex qua nihil agi poteſt, quin ſit ſeditioſum & ordinationi divinæ adverſum. Ac proinde fateor, alias opiniones, ex quibus etiam agi poteſt ſine ſeditione erga Magiſtratum, in republica ſeditioſas dici non poſſe, quamvis erga Deum ſeditioſæ ſint, ſi à Naturæ vel Scripturæ Regulis deficiant; ſed tamen cum illa non tantum majorem vel minorem ſeditioni occaſionem præbere poſſent, pro circumſtantiarum diverſitate, & non minima Magiſtratus cura eſſe debeat, procurare ut ſubditi ſecundum Naturæ & Scripturæ dictata bonis imbuantur opinionibus, Magiſtratus non tantum poteſt, ſed etiam debet, quibuſcunque modis poteſt, efficere, ut vel tales opiniones ex ſubditis tollantur, vel ita circumſcribantur, ut cum Reipublicæ periculo non propagentur, & ex iis quam minima pateat, ſubditis eas faventibus, occaſio, ſecundum eas ſeditioſum quid in Republica committendi. Nam hæc omnia ex ipſa Magiſtratus ordinatione divina, & ipſis Reipublicæ fundamentis & fine aperte ſequuntur. Et ſi quis ſubditorum tunc ſe aperte opponat illis Magiſtratuum decretis, de tollendis, vel circumſcribendis ſecundum Naturam vel Scripturam, talibus opinionibus, eorumque pœnis ſe ſubjicere nolit, is, quamcunque bonas foveat opiniones, non minus adverſus Deum, quam Magiſtratum ſeditioſus erit; nam ordinationi Divinæ ſe opponit, & conſequenter in ea Deo reſiſtit.

§. 15. Ab-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 15. Abſurdum itaque eſt, quod Anonymus, *tales opiniones*, quales per ſe ſeditioſas non eſſe, concedimus, ſed majorem vel minorem ſeditioni occaſionem præbentes, ac ex Magiſtratus ſententia Naturæ vel Scripturæ adverſas, à Magiſtratu, dicto modo, compeſcendas exiſtimamus, *non niſi in Republica corrupta, ubi ſuperſtitioſi & ambitioſi ingenuos ferre nequeunt*, jure circumſcribi & coërceri, ſeu ut ipſe loquitur, *pro ſeditioſis*, ſeu ſeditioni occaſionem præbentibus, *haberi non poſſe*. Nam ut ex dictis patet, id etiam in optime conſtituta Republica plane neceſſarium eſt. Quæ ſint illæ *ſententiæ, quæ, quamvis ſimpliciter circa verum & falſum verſari videantur, iniquo tamen animo proponuntur & divulgantur*, quas Anonymus hic dicit *ſe cap. 15. ita determinaſſe, ut ratio nihilominus libera manſerit*, jam latius inquirere non vacat. Inſpiciantur & conferantur dicta noſtra ad cap. 15. *pag. 229.*

§. 16. Quod autem hic ad oppugnandam prædictam à nobis coërcitionem opinionum, quas Magiſtratus & Scripturæ & Naturæ adverſas eſſe, & tranquillitati ac paci Reipublicæ noxiarum actionum frugiferas eſſe poſſe cenſet, à Magiſtratu, compeſcendo eorum publicam profeſſionem, & propagationem inter ſubditos, inſtituendam, proferat immanem eam abſurditatem, quam ſupra cap. 14. pag. 162. adſtruere conatus fuit, *de fide non tam vera quam pia dogmata* requirente, imo admittente *dogmata quæ nec umbram veritatis habent*, & *pia non ratione veritatis, ſed tantum ratione obedientiæ*, quam nos ibidem ſatis late confutavimus, Atque ex ea hic concludat, *dubitandum non eſſe, quin optima reſpublica, unicuique eandem Philoſophandi libertatem concedat, quam fidem unicuique concedere* ibidem abſurdiſſime contenderat; nihil eſt quam ineptas abſurditates abſurditatibus ineptis ſuperſtruere, quæ idcirco prioribus ſubrutis facile concidunt, quare non eſt quod hic vel verbum addamus iis, quæ ſupra de tam monſtroſa fide dicta fuerunt. Nam ut repugnat obedientia ſine veritate in fide, ita & in Republica Deo & Magiſtratui debita non poteſt præſtari obedientia, ſine veritate, nec ſatis tuta poteſt eſſe quies & pax Reipublicæ, ſi omnis generis errores abſque prudenti Magiſtratuum coërcitione, in Republica non minus quam ipſa veritas doceri, proponi, adſtrui & propagari poſſent. Imo ipſe Anonymus tenetur fateri, *ex tali libertate incommoda quædam aliquando oriri.* Nec eſt quod reſpondeat, rogando, *quid unquam tam ſapienter inſtitutum fuit, ut nihil inde incommodi oriri potuerit.* Nam cum hic non niſi gradatim contendamus ad perfectionem Phil. 3. 14. ſemper majus incommodum evitandum præ minore, & de eo judicium ſolius Magiſtratuum prudentiæ committendum exiſtimamus, quippe cujus munus à Deo ordinatum eſt, populum in veritate & obedientia non modo antecedere, ſed etiam ducere & regere ad optatam tam futuræ quam hujus vitæ ſalutem, populi vero munus ei, ſecundum Dei in Natura & Scriptura dictata, ſubeſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Omnia legibus determinari, ut plurimum noxium eſt. Omnia ſine legibus & indeterminata relinquere, peſſimum omnium eſt. Infinitæ fere ſunt circumſtantiæ, propter quas aliorum in alia republica major, aliorum in alia minor eſt relinquenda libertas, de quibus nulli, niſi ſupremæ poteſtati competit arbitrium, publicum ſcilicet & deciſivum, ſubditis vero ſola relicta obedientiæ gloria. *Quæ abſque* majori & inſuperabili *damno prohiberi nequeunt*, *neceſſario*, non tam *concedenda*, quam permittenda *ſunt*, *tametſi inde ſæpe damnum ſequatur*.

§. 17. Quod autem *ex invidia*, *luxu*, *avaritia*, *ebrietate*, *& aliis ſimilibus vitiis*, *oriantur mala*, *quæ feruntur*, *quia imperio legum prohiberi nequeunt*, *quamvis revera vitia ſint*, id nullo modo arguit, concedendam eſſe licentiam quorumvis errorum fovendorum, profitendorum, & abſque publica coërcitione propagandorum in Republica, quam Anonymus dicit *judicii libertatem*, imperio legum limitatu ſatis facilem. Privati *judicii libertas*, qua quiſque ſibi ſecundum Naturæ & Scripturæ dictata judicat, fateor cogi *& opprimi non poteſt*, licet voluerit Anonymus ſupra ſæpius, ſubditos non niſi *ſupremarum poteſtatum decreto vivere* poſſe, & in tantum ei adſtrictos eſſe, ut *ſi ſe juſtos & pios præſtare velint* etiam *contra id quod bonum judicant*, *& palam* Naturæ vel Scripturæ adverſum *ſentiunt*, *agere debeant*, ut pag. 227. & *profecto virtus eſt*, eandem, extra omnem, non modo humanæ auctoritatis, ſed etiam præjudiciorum affectum, appetituum, & omnis generis vitiorum ſervitutem conſervare. Imo *apprime neceſſaria eſt ad ſcientias & artes promovendas*, *nam hæ ab iis tantum felici cum ſucceſſu coluntur qui judicium liberum & minime præoccupatum habent*: ſed prædicta errorum licentia & cogi poteſt, & deſtabile vitium ac Reipublicæ defectus foret. Nam ea non poteſt concedi à Magiſtratu, niſi maximam ſui muneris partem de procuranda populi ſalute abjiciat, & omnis generis turbis ac incommodis patentiſſimam aperiat portam. Nec ex ea tam promovebuntur ſcientiæ, quam rixæ & contentiones multiplicabuntur, ac deteſtabiles errores hominum animos occupabunt & in infinitas partes & ſectas diſciſſos, omni veritate tandem deſtituent. Cum contra rectæ rationis limitibus, ſecundum Naturam & Scripturam, à Magiſtratu circumſcripta libertas, ſe longe facilius ex omni ſervitute extricet, & veritatis cognitionem promoveat. Nam libertas nimia libertate ſeu licentia irrationali, perit. Quomodo vero hæc licentia ſit coërcenda, ut & quantum & quouſque exſtirpari & coërceri debat & poſſit in Republica omnis luxus, invidia, avarita, êbrietas, aliaque vitia, ut jam diximus non niſi ex Reipublicæ circumſtantiis, ſecundum Naturam & Scripturam, à ſolo ſupremo Magiſtratu, determinari debet.

§. 18. *Subditorum libertatem* ſeu licentiam jam dictam, *ita opprimi*, *& homines ita retineri*, *ut nihil mutire audeant*, *niſi ex præſcripto ſummarum Poteſta-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

teſtatum, quis unquam aſſeruerit, vel probaverit? ſed omnibus, ſemper, & in omnibus, æqualem, vel illimitatam concedere licentiam ſeu libertatem, eritne hoc conſultum? profectò non putem.

§. 19. *Fidei corruptio, adulatio abominanda, perfidia, doli, & bonarum artium interitus*, longe magis metuenda ſunt ex profana, quam defendit, & ſibi ſumit Anonymus, licentia in proponendis, propugnandis, & propagandis tam deteſtabilibus erroribus, omnem pietatem erga Deum & proximum, omnem divinorum & humanorum mandatorum obedientiam evertentibus, & Atheam profanitatem introducentibus, quam ex ſupra nobis deſcripta propagandorum errorum à ſuprema Poteſtate ſecundum Naturam & Scripturam facienda, coërcitione. Ut lubens omnium lectorum judicio ſubmitto.

§. 20. Nunquam volumus *opiniones, quas homines veras eſſe credunt*, in Republica *pro crimine haberi*, ut nugatur Anonymus, *aut ipſis ſceleri reputari, quod eos ad pietatem erga Deum & homines movet*. Sed volumus Magiſtratum, ſi videat eas opiniones eſſe falſas, & à veritate in Natura & Scriptura patefacta, deficere, & ex iis jure quoddam incommodum metuendum eſſe reipublicæ, ac omnem, quam ſubditi ſecundum eas humanis & divinis legibus præbent obedientiam, non puram, firmam, & ex veritate, ſed errore, profluentem, & idcirco non niſi pietatis, erga Deum & proximum, umbram eſſe, earundem publicam nimis profeſſionem, defenſionem, & propagationem juſtis & Reipublicæ utilibus legibus circumſcribere, & ita coërcere, ut malum illud inter ſubditos, ſi non exſtirpari, etiam prorepere nequeat, & plures inficere, ac tandem reipublicæ noxios producere fructus, ubi maturuerint inſuperabiles, ac ſimul adhibere quævis alia media, ut cenſet commodiſſima, ad eoſdem, ſalva Reipublicæ pace, ex talibus erroneis opinionibus evolvendos, ut tandem veritati obedientiam præſtare diſcant. *pag. 230.*

§. 21. Quod ſi qui *impatienter ferant*, & ea de cauſa *quidvis in Magiſtratum audeant*, ac *ſeditiones moveant*, quis tantæ abſurditatis fuerit, ut neget, eos merito tanquam ſeditioſos & rebelles in Republica puniri? Unde apertiſſimum eſt, *tales leges, non ingenuos*, ut nugatur Anonymus, ſed *ſceleſtos reſpicecere*; nec *ad irritandos honeſtos condi*, ſed *ad coërcendos malignos*, idque non *cum*, ſed ad evitandum *magnum* Reipublicæ *periculum* & defectum. Patet etiam *non inutiles*, ſed multis de cauſis utiles *eſſe leges* illas. Quod profert *ex cap.* 18. ſupra ad pag. 209. confutavimus, ita ut hic inde nulla poſſit peti probatio.

§. 22. *Magiſtratum Doctorum controverſias legibus derimere poſſe*, nunquam aſſeruimus, ſed earum agitationem, & propagationem coërcere & circumſcribere poſſe, ac determinare, quouſque vel alterutra pars in Republica publice ſit docenda & profitenda, manifeſtum jam eſt; & recte conſtituti ordinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

refractarios vel ſcismaticos, juſte præſcripta pœna à Magiſtratu puniendos eſſe, tam apertum eſt, ut probatione non egeat.

§. 23. Foveant homines contentioſi quamcunque *ſpem leges & Magiſtratum ad ſe trahendi, & de adverſariis communi vulgi applauſu triumphandi, & honores adipiſcendi.* Magiſtratuum tamen eſt, Reipublicæ ſalutem procurare, & in eam, ſecundum Naturæ & Scripturæ dictata, omnis generis errorum propagandorum licentiam legitime circumſcribere, & quicquid contentioſi ſperaverint, veritati patrocinium præbere, poſt rem ſatis legitime perpenſam & examinatam. Semper interim memores, Deo reddendam eſſe rationem, quam dederint, & ſibi conquirendæ, & propagandæ veritati, operam.

§. 24. Si *quid* vero in hiſce pro prudentia nonnunquam *largiendum ſit, vel potius cedendum eorum iræ, qui* tantum non licentioſa, ſed & *libera ingenia ferre nequeunt, & torva quadam auctoritate*, non abſque ſcelere comparabili, *ſeditioſæ plebis devotionem, facile in rabiem mutare, & in quos volunt inſtigare poſſunt.* Id fateor magnum patefacit Reipublicæ defectum, & imperfectionem profecto deplorabilem: ſed tamen non tam in Magiſtratu, quam ſubditis culpabilem, & idcirco illius prudentia, quibuſcunque legitimis mediis adhibitis, in hiſce curandam, & ex eorum animis tollendam. Tantum abeſt, ut hinc abneganda, vel diminuenda ſit Magiſtratuum potentia coërcendi licentioſam quorumvis errorum propagationem, ut contra Magiſtratus ſe prudentia & quibuſcunque aliis mediis externis adverſus tam iniquos ſuæ plebis ſeductores munire teneantur, eoſque per datam à Deo poteſtatem, ſi Reſpublica ferat, in aliorum exemplum compeſcere, οὐ γὰρ εἰκῆ τὴν μάχαιραν φορεῖ non enim fruſtra gladium portat Θεοῦ διάκονος ἐστὶ εἰς τὸ ἀγαθὸν Dei miniſter eſt in bonum. Rom. 13.4.

§. 25. *Vulgi iram & furorem cohibere*, fateor, neceſſarium eſt. Nec minori cura cavendum ne tradantur *leges inutiles, quæ violari non poſſunt, niſi ab iis qui virtutes & artes amant, & ne Reſpublica in tantam anguſtiam redigatur, ut viros ingenuos ſuſtinere non poſſit.* Sed quid hoc pro licentioſa quorumvis errorum propagatione? tenenturne Magiſtratus quoſvis boni ordinis refractarios habere pro ingenuis? An omnes profaniſſimarum & periculoſiſſimarum ſententiarum fautores, inter quos non infimus eſt noſter Anonymus, pro virtutum & artium amatoribus, fovere tenentur? An nullum promovendæ veritatis & exſtirpandorum errorum ſtudium, in Magiſtratibus admittitur? An Atheos non minus quam pios & probos ſuos ſubditos in veritate, in erroribus defendere & protegere tenentur? Revera, nullus ingenuus, & virtutis ac artium amator huc abſurditatis unquam devenerit, niſi ingenuum virtutis amorem, cum Anonymo abſurdiſſimo, propriam hic ſuam cauſam agente, abjecerit?

pag. 231. §. 26. *Viros honeſtos, quia diverſa ſentiunt, & ſimulare neſciunt, tanquam*

im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

improbos in exilium mitti, nullus unquam juſtum aſſeruerit; ſed quorumvis errorum fautores, imo Atheos, adverſus juſtiſſima Magiſtratuum mandata ſuos errores propagantes, & ſubditos ſeducentes, ac talibus informantes ſententiis, quibus non modo à Veritate & Deo, ſed etiam ab ipſo Magiſtratu deficiant, ſi ſecundum eas ſuas actiones inſtituant, pro honeſtis habere, quis poſſit? Nec illi tantum ſimulare neſciunt: ſed Magiſtratuum mandatis ſe opponere norunt. Ad ſimulandum, cum ſpecies mendacii ſit, nullus cogi poteſt; & idcirco qui id nolunt, non niſi injuſte in exilium mittuntur; ſed boni ordinis refractarios, qui aliis minoribus pœnis ſeſe coërceri non permittunt, in exilium mitti; quis injuſtum dixerit?

§. 27. *Homines, quia liberalis ingenii ſunt, pro hoſtibus habere*, quis probaverit? Sed quis profaniſſimos & periculoſiſſimos omnis generis errores non magis profani, licentioſi, & luxurioſi, quam liberalis ingenii fructus dixerit? & pertinacis, refractarii, ac duræ cervicis judicium negaverit, eorundem adverſus juſtiſſima Magiſtratuum decreta, propagationem? *Honeſtos ſe exiſtiment* tales homines, decretas *pœnas non timeant, nec deprecentur*; id nihil eſt, quam quod etiam in ſceleſtiſſimis, quibus cauterio reſecta fuit conſcientia, ſæpius repertum eſt: & idcirco nec Magiſtratus à ſui muneris obſervantia deterrere, nec eorum leges & pœnas injuſtas reddere poteſt. *Non angatur eorum animus ulla turpis facti pœnitentia.* Deus contumaces peccatores novit & inveniet. Non Magiſtratus, ſed Deus, in eorum animis pœnitentiam gratioſe poteſt operari; & idcirco iis, propter ejus abſentiam, intermittenda non eſt juſta coërcitio profaniſſimorum errorum licentioſiſſime, contra juſtiſſima ſua mandata, propagatorum. Et ſi qui alii eadem malitia, ex inflictis pœnis *ad imitandum exemplum* ſumant, & iis Magiſtratus maturum tenetur procurare remedium, quo Reſpublica, & ipſi cum Republica, ſi fieri poſſit, conſerventur, quam aptiſſime. Atque ita tandem Deo ſupremo imperatori, cujus miniſter eſt hic in terris, cum gaudio adminiſtrati ſui imperii rationem reddere poterint.

§. 28. *Ne itaque aſſentatio*, falſitas & error, ſed veritas, probitas & *fides in pretio ſint, & ut ſummæ Poteſtates imperium optime retineant, nec ſeditioſis cedere cogantur, conceſſa judicii libertate*, quorumvis errorum licentioſa profeſſio & propagatio, neceſſario eſt compeſcenda, & homines ita regendi ſunt, ut, quamvis diverſa & contraria ſentiant, quam pauciſſimi à veritate, per Naturam & Scripturam à Deo patefacta, & Magiſtratui poſt legitimam ſatis inquiſitionem nota, deficiant & ſeducantur, & Reipublicæ, quam minimum poſſit, ex tali ſententiarum contrarietate, obtingat incommodum, hominesque quam maxime concorditer in veritate & pietate coram Deo, cum proximo, ſub ſuo imperio vivant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

§. 29. *Nec dubitare poſſumus, quin hæc ratio imperandi optima ſit, & minora patiatur incommoda*, quandoquidem cum divinis in Natura dictatis, quam maxime convenit. Nam in hoc modo adminiſtrato imperio, Deus, veritas, pietas & probitas ſe mutuo amplectuntur, & errores tam à ſubditis quam Magiſtratibus, ſuo ordine & loco evitantur ac extirpantur, ac ſubditi Magiſtratibus, & Magiſtratus cum ſubditis Deo ſubjiciuntur, ita ut Deus & in hos & in illos ſummum teneat imperium, & Magiſtratus infra Deum à ſubditis ſumma cum reverentia obediatur.

§. 30. *Quo igitur in hominibus libertas judicandi*, Regulis recta ratione & Scriptura à Deo patefactis, à Magiſtratu *magis circumſcribatur*, eo minus *à ſtatu Naturali receditur.* Directe contra quam putat Anonymus, nam ea, quam petit, profana licentia, plurimum à Deo & recta ratione diſcedit, & homines non ad ſalutem, ſed hujus & futuræ vitæ perniciem, rectiſſima via ducit.

pag. 232. §. 31. *Magna*, fateor, *in Amſtelodamenſium urbe florentiſſima conceditur* omnis generis errores profitendi *libertas*: ſed tamen eam illimitatam non eſſe, præter Pontificiorum, aliarumque Sectarum reſtrictiones, docet nuperrimum illud lippis & tonſoribus notum Labadianæ ſciſmatis exemplum: nihil enim fanaticum hunc hominem commoviſſet cum ſuis alienas quærere terras, ſi Amſtelodami pro libitu damnati ſui ſciſmatis dogmata profiteri & propagare licite potuiſſet. Et ferant illius Reipublicæ circumſtantiæ tantam libertatem, an ideo ſemper & ubique concedenda? Illis utilis ſit, an ideo omnibus? Illi concedant, & utilitatem inde capiant, an ideo recte? Magiſtratuum quidem eſt eam determinare, ſed quis eos hic infallibiles dicat? Quorumvis eſt, eam, pro ſua conſcientia, ſecundum Naturam & Scripturam, ita circumſcribere, ut Deo ejus rationem reddere poſſint. Sed unius judicium alteri hic nullum poteſt creare præjudicium.

§. 33. Triſtia *Remonſtrantium & Contra remonſtrantium* noſtræ Reipublicæ *tempora*, non ſine lacrymis commemoranda, ob varias circumſtantias eorum, quas hic enarrare nihil attinet, nullum ab Anonymo deſideratæ illimitatæ licentiæ præbere poſſunt argumentum, cum nullus ingenuus utriuſque partis omnes actiones vel probaverit vel reprobaverit. Omnes homines ſumus, & illi fuerunt. Deo committamus judicium eorum, & nos interim quantum poſſumus obſervemus quicquid Deum in Natura vel Scriptura dictaſſe videmus, & poſt requiſitam inquiſitionem cognoſcimus.

§. 34. *Sciſmata non oriri ex magno veritatis ſtudio (fonte ſcilicet comitatis & maſuetudinis) ſed ex magna libidine regnandi*, facile concedo, & ideo hanc, non illud, coërcendam & limitandam cenſeo. Verum an illi non ducantur hac libidine, qui Magiſtratuum decretis ſeſe ſubjicere nolunt, & iis ſe aperte opponunt ſub prætextu liberalioris ingenii, & liberioris judicii, quoſvis errores

con-

contra mandatum eorum profana licentia profitendo & propagando, penes quemvis lectorem eſto judicium.

§. 35. *Ex his*, ut Anonymi verbis utar, *luce meridiana clarius conſtat*, *ſciſmaticos eſſe*, & *Reipublicæ perturbatores*, non, qui *magno veritatis ſtudio* & innata cuique *libertate judicii*, nulli deneganda, errores per Naturam & Scripturam debellare, & eorum abſurdam & Reipublicæ noxiam profeſſionem & propagationem, coërcere, & à Deo conceſſa poteſtate, reprimere conantur, ſed qui magno præter veritatem ſtudio, eoſdem fovere, & contra Magiſtratuum mandatum, ex innata cuique regnandi libidine, propagare, ac ſe Magiſtratuum pœnis non ſubjiciendo, ordinationi divinæ reſiſtere non verentur.

§. 36. Oſtendimus itaque ſubdito libertatem privati judicii adimi non poſſe, nec omnem, quod privatim ſentit, dicendi libertatem, adeo coarctari, ut *nihil niſi ex præſcripto*, quemadmodum nugatur Anonymus pag. 229. *ſummarum poteſtatum*, *mutire audeat*. Oſtendimus quouſqne talis libertas, ſalvo jure & authoritate ſummarum poteſtatum concedi poſſit, & à quovis ſubdito ſervari. Probavimus ex ea nulla Reipublicæ oriri incommoda, qualia plurima debent creari ex profana, quam petit Anonymus, omnis generis errores propagandi licentia; quæ facile à ſuprema Majeſtate coërceri non poſſent. Probavimus tam quod nullus ſubditus ſalva pietate, ſe tali libertate privare poſſit, & abſoluto à Deo ſummarum Poteſta tum judicio ſe ſubmittere, abnegato omni judicio proprio: quam quod nullus Magiſtratus tam abſolutum & independens à Deo imperium aſſumere, in ſubditos, vel ſubditis illimitatam omnis generis errores fovendi, profitendi, & propagandi publice licentiam concedere poſſit. Et conſequenter probavimus, leges illam licentiam, ex Naturæ & Scripturæ dictatis, ad Magiſtratus decretum coërcentes, & limitantes, juſtiſſimas & Reipublicæ utiliſſimas eſſe. Ita ut manifeſte pateat, talem licentiam, à nullo Magiſtratu, ſalva pietate, & pace Reipublicæ poſſe, aut debere concedi. Directe contra id, quod tanto molimine, poſt excogitatas tot abſurditates, poſt toties abnegatam Naturæ rationalis innatam legem, poſt rejectam omnem revelatam veritatem, imo poſt abnegatum toties ipſum Deum, adſtruere conatus fuit Anonymus. Deus det, ut hæc ad aperiendos miſeri hominis oculos, & alios ab his & ſimilibus erroribus avertendos, ac adverſus eos muniendos, quam plurimum valeant. Ipſe novit, quod hæc ſolo veritatis inquirendæ, defendendæ, & propagandæ animo ſcripta fuerint. Quare ſi quos commiſerimus inſcii errores, ipſe, quod rogo, per & propter unicum noſtrum Mediatorem Jeſum Chriſtum, gratioſe condonet. Et aperiat ab altera parte, quotidie magis magiſque ſummarum noſtrarum Poteſtatum oculos mentis, eoſque Spiritu ſuo ducat in omni veritate tam Naturæ quam verbo ſuo inſcripta, ac virtutem & animum addat, ſecundum eandem nos ſubditos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

ſuos, coërcitis omnis generis erroribus, tam in ſuam, quam noſtram tum hujus tum futuræ vitæ ſalutem æternam, regant, & dirigant, ut ibi tandem pro temporali & peritura corporea, Spiritualem obtineant coronam æternam. Quod animitus precor, AMEN.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]

4,824829

9/15 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
507 E 19 [1]